JUAN DE LA ANUNCIACIÓN (O.C.D.)
Collegii Complutensis Fr. Discalceatorum B.M.V. de Monte Carmeli, artium cursus / ad breviorem formam collectus & novo ordine... dispositus per F. Johann ab Annuntiatione... ; tomus quartus, completens tres libros Aristotelis De anima... -- Coloniae Agrippinae : Sumptibus Huguetan, 1693
[8], 380, [11] p., a4, A-Z4, 2A-2Z4, 3A-3C4 ; 4°
Antep. -- Port. a dos tintas, con anagr. calc. de la Orden de Predicadores, Franciscanos y Carmelitas. -- Texto a dos col.
1. Aristóteles. Sobre el alma-Crítica e interpretación 2. Aristotele. Arimaz -Kritika eta interpretazioa 3. Metafísica 4. Metafisika I. Colegio de Carmelitas Descalzos (Alcalá de Henares) II. Título

R-6420 Ejemp. deteriorado, afectando a primeras p., y falto de port. y de 2 p. del cuaderno de [8] p. -- Datos tomados de CCPB, 54948. -- Enc. perg.

COLLEGII

COMPLVTENSIS

ARTIVM CVRSVS,

TOMVS QVARTVS.

medium vsque ad auditum. 172
VI. *Qualiter generetur sonus reflexus, seu echon.* 178
VII. *quodnam sit organum & subiectum auditus.* 183

DISPVT. XI.

De odoratu. 186

Quæst.I. *Quid sit odor.* 187
II. *Quomodo odor diffundatur per medium.* 191
III. *de subiecto seu organo odoratus.* 195

DISPVT. XII.

De gustu. 197

Quæst.I. *Quid, & quotuplex sit sapor.* 198
II. *Quod sit medium, & subiectum gustus.* 201

DISPVT. XIII.

De tactu. 204

Quæst.I. *Quenam qualitas sentiatur per tactum.* ibid.
II. *An tactus percipiat solas excellentias obiecti.* 207
III. *Quomodo tactus immutetur intentionaliter ab obiecto.* 211
IV. *de medio, & organo tactus.* 215

LIBER III.

De anima. 219

DISPVT. XIV.

De sensibus internis. 220

Quæst.I. *An detur [illegible] sensus internus communis [illegible] qui ab externis distinguatur* [illegible]
II. *Vtrum præter sensum [illegible] principem detur alius sensus [illegible] qui appellatur phantasia* [illegible]
III. *An detur alius sensus interior qui dicitur æstimatiua, & vtrum distinguatur à phantasia.* 23[illegible]
IV. *An præter æstimatiuam detur memoria, & an ab ea distinguatur.* 241

DISPVT. XV.

De anima rationali secundum se. 246

Quæst.I. *Vtrum anima rationalis sit pure spiritualis* ibid.
II. *Vtrum anima rationalis sit corruptibilis.* 253.

DISPVT. XVI.

De obiecto intellectus possibilis. 260

Quæst.I. *Vtrum ens in tota sua latitudine sit obiectum adæquatum extensiuum intellectus possibilis.* ibid.
II. *Quodnam sit obiectum proportionatum nostri intellectus.* 267

DISPVT. XVII.

De speciebus intelligibilibus. 273

Quæst

t I. *Vtrum ſpecies impreſſæ ſint neceſſ- ad cognitionem.* ibid.
ſpecies impreſſa re- obiectum. 280
n ſpecies, & obiectum ſint iſdem naturæ in eſſe repræſentatiuo. 286
V. *Vtrum potentia cognoſcitiua uniãtur per identitatem cum ſpecie, & obiecto.* 289
V. *An ſpecies impreſſa concurrat actiue ad cognitionem.* 293
VI. *Qualiter ſpecies intelligibilis huius ſtatus repreſentet ſingularia.* 298

DISPVT. XVIII.

De vnitate intellectus poſſibilis. 305

Quæſt.I. *AN in parte intellectiua detur memoria, & an diſtinguatur ab intellectu.* ibid.
II. *Vtrum intellectus, & ſpeculatiuus, & ratio ſuperior, & inferior diſtinguantur realiter.* 309

DISPVT. XIX.

De intellectu agente. 311

Quæſt.I. *AN detur intellectus agens, & diſtinguatur realiter à poſſibili.* ibid.
II. *Qualiter phantaſma concurrat cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis.* 317

DISPVT. XX.

De intellectione. 322

Quæſt.I. *AN intellectio ſit actio de prædicamento actionis.* ibid.
II. *An intellectio diſtinguatur à verbo.* 328
III. *An intellectio diſtinguatur à dictione.* 337
IV. *Vtrum omnis intellectio creata producat verbum.* 341
V. *Qualiter intellectus primo cognoſcat ſingularia.* 347
VI. *An intellectio huius ſtatus pendeat naturaliter ab operatione phantaſiæ.* 350

DISPVT. XXI.

De appetitu rerum cognoſcentium. 355

Quæſt.I. *QVid, & quotuplex ſit appetitus proprius rerum cognoſcentium.* ibid.
II. *Vtrum iraſcibilis, & concupiſcibilis ſint potentiæ realiter diſtinctæ.* 358
III. *Vtrum appetitus rationalis, ſeu voluntas operetur libere.* 364
IV. *Quos actus habeat vol.* 369
V. *An voluntas ſit perfectior intellectu.* 372

COLLEGII COMPLVTENSIS FR. DISCALCEATORVM B. M. V. DE MONTE CARMELI, ARTIVM CVRSVS.

TOMVS QVARTVS.

DISPVTATIO I. PROOEMIALIS,

IN LIBROS DE ANIMA.

VÆ de ente mobili vt sic in libris Physicorum, & de ente mobili ad formam intrinsecam in libris de Generatione scripsimus, latam, ac peruiam explanarunt viam ad ea, quæ de ente mobili animato dicemus in tractatu præsenti : Qui proculdubio præcedentibus dignitate præstat, cùm ex parte obiecti, cùm

modo procedendi : ex illo quidem, quia corpus animatum ...era nobilitate antecellit ; ex hoc autem, nam operationes vi... quibus hæc Philosophiæ portio ad suum obiectum pro... nobiliores sunt alijs motibus inanimatis. Parque huic ...tati est istius operis vtilitas ad cæteras disciplinas capes... ...das, vt singularum naturam contemplanti constabit. Iuuat ...quippe imprimis ad comparandam Philosophiam Moralem, ...cuius est animi affectus probè dirigere, illiusque morbos cura... re : quoniam sicut Medicus nequit corpori conuenientia reme... dia adhibere, cuius temperamentum alte non callet : sic Philo... sophus moralis non valet animæ affectibus mederi, nisi illius potentias viresque perspectas optimè habeat. Porrò ad Meta... physicam plurimùm scientia de anima confert : nam intellectus se ipsum cognoscens, & propriam animæ rationalis nobilitatem deprehendens facile se se eleuat ad substantiarum separatarum contemplationem, cui incumbit Metaphysicus. Denique nulla est facultas, cui ex notitia animæ non accedat emolumentum : tenet quippe animus noster medium inter substantias corporeas, & omninò separatas, & est velut mundi epilogus ; quocirca qui illius naturam probe norunt, nequeunt non habere omnium rerum aliqualem notitiam, quasi in compendio. Quæ omnia huius partis Philosophiæ dignitatem apprime commendant, & ad eam comparandam viuidè pungunt. Vtinam desiderij, quod jam animo insidet, præeunte D. Thomæ lumine, compotes euadamus. Et verò nihil omittendum est, quod ad peroptatum Philosophiæ finem possit nos quoquo modo transmittere. Quamvis autem in hac prima, & prœmiali disputatione nonnulla possemus excitare dubia ; meditato ab illis abstinuimus, ne actum iterum ageremus : constat quippe eorum

resolutio

resolutio ex dictis tum in Logica, disput. 19. quæstion. vbi *generalem doctrinam circa scientiarum specificationem statuimus*, *tum in Physicis*, disput. 1. quæstion. 1. *obiectum adæquatum totius Philosophiæ assignauimus*, *quinei- ieretur brem solam sequentem difficultatem exagitandam duxi bere breuiter tamen: nam illius decisio facile apparet ex dictis lo proxime citatis.*

QVÆSTIO vnica.

Vtrum obiectum horum librorum sit anima, an vero corpus animatum?

IN obiecto habitus distinguunt communiter Doctores rationem formalem, *quæ* seu in esse rei, & rationem formalem *sub qua*, siue in esse scibilis. Ex quibus hæc solet appellari obiectum *quo*: quia est id, quo res constituitur in ratione obiecti attingibilis ab habitu. Hoc tamen minime tollit, quominus in ipsamet ratione formali *quæ* sumpta in esse rei, distinguamus constitutum, & constitutiuum, siue obiectum *quod*, & obiectum *quo*. Obiectum *quod* dicitur illa res, quæ per se respicitur ab habitu: obiectum vero *quo* in esse rei est id, ratione cuius obiectum *quod* constituitur in esse talis entis: vti se habet albedo ad album, forma substantialis ad corpus, &c. Verum quidem est, quod nomen obiecti *quo*, soli rationi *sub qua* communiter attribuitur ob rationem modo tactam. Igitur quæstio præsens non procedit circa rationem *sub qua*, siue obiectum *quo* in esse scibilis; sed circa rationem formalem *quæ*, provt complectitur tàm obiectum *quod*; quàm obiectum *quo*; in esse rei.

§. I.

Defenditur sententia Aristotelis, & D. Thomæ.

1 DIcendum est primo obiectum *quod* præsentis operis non esse animam, sed corpus animatum. Hæc, vt statim videbimus, est mens Aristot. cui consonat Angel. Doctor 1. *Physicor. lect.* 1. vbi propria obiecta diuersorum Philosophiæ tractatuum designat his verbis: *Post libros Physicorum sequuntur alij libri scientiæ naturalis, in quibus determinatur de speciebus mobilium, puta in libr. de Cœlo de mobili secundum motum localem, qui*

prima ſpecies motus : in lib. autem Generatione de motu ad formam, primis mobilibus, ſcilicet elementis tum ad tranſmutationes eorum in quantum vero ad eorum tranſmutationes in libris ororum : de mobilibus vero ſcilicet inanimatis in libr. de Mineralibus. Et ſtatim deſignans obiectum proprium, & formale huius tractatus addit : *De animatis vero in libro de Anima, & conſequentibus ad ipſum:* Sicut ergo forma cœli, vel forma elementi, vel forma mixti non ſunt obiecta aliorum tractatuum Philoſophiæ, ſed ipſum cœlum, elementum, & mixtum : ita ex mente S. Doctor. obiectum proprium præſentis operis non eſt anima, ſed corpus animatum. Vnde hanc ſententiam amplectuntur non ſolum Thomiſtæ; ſed etiam Venetus in præſenti, Apollinaris *quæſtion. 3. proœm.* & alij apud Rubium, *quæſt. 2. proœm. num. 30.*

Probatur ratione deſumpta ex dictis *in libr. Phyſicorum, diſputatione prima, quæſtione ſecunda*, quæ poteſt ad hanc formam reduci : quoniam hic tractatus eſt quædam pars Philoſophiæ : ergo eius obiectum *quod* debet directe contineri ſub obiecto *quod* formali, & adæquato totius Philoſophiæ, nempe ſub corpore mobili : conſtat autem animam non contineri formaliter ſub corpore vt ſic ; bene autem corpus animatum : hoc ergo, & non anima eſt obiectum *quod* proprium præſentis tractatus.

Confirmatur primo : nam ratio *quæ* adæquata reſpectu totius Philoſophiæ debet eſſe abſtracta à diuerſis rationibus formalibus, *quæ* inadæquatis, circa quas diuerſæ partes, aut quaſi partes ipſius Philoſophiæ per ſe verſantur : atqui corpus naturale vt ſic, quod eſt propria, & adæquata ratio totius Philoſophiæ, nequit abſtrahi ab anima tanquam à proprio ſibi inferiori : ergo anima nequit inſpici per ſe velut obiectum *quod*, ſeu ratio *quæ* ab vlla Philoſophiæ parte : ergo nec in iſto tractatu.

Confirmatur ſecundo, & ſimul præcluditur tacita euaſio : quia licet obiectum materiale partis alicuius habitus non contineatur directe ſub obiecto adæquato habitus; nihilominus obiectum formale partis habitus debet ſub obiecto adæquato habitus directe contineri, vt inductiue conſtat in omnibus habitibus : ſed anima non continetur directe ſub corpore vt ſic, quod eſt obiectum adæquatum Philoſophiæ; ſiquidem corpus non poteſt formaliter, & in recto prædicari de anima : ergo hæc nequit eſſe obiectum formale præſentis operis : ſupereſt igitur, quod prædicta ratio conueniat corpori animato.

2 Quæ omnia amplius roborari queunt animaduertendo tractatum hunc, & eum, qui inſcribitur *Parua naturalia*, conſtituere vnum, & idem opus, ad eum modum, quo octo libri Phyſicorum conſtituunt vnum, & eundem tractatum, tum quia id aperte indicat D. Thom. cùm parua naturalia

turalia reputat velut corollarium librorum de Anima dicens : *De animatis vero determinatur in libro de Anima, & consequentibus ad ipsum.* Tùm etiam quia ad idem opus spectat agere de obiecto, & principijs illius: quare cùm in paruis naturalibus tractetur de animatis, & in hoc opere de anima, quæ est principium formale illorum ; consequens est, vt libri de anima, & parua naturalia vnum, & eundem tractatum constituant. Vnus autem, & idem tractatus debet vnicum sibi vendicare obiectum formale *quod*. Vnde cùm obiectum proprium tractatus, qui dicitur *parua naturalia*, non sit anima, sed animatum, vt omnes Philosophi admittunt; plane infertur non animam, sed corpus animatum esse obiectum *quod* proprium præsentis operis.

3 Dicendum est secundo animam esse subiectum *quo* in esse rei respectu huius tractatus. Hanc assertionem præcisè intendunt euincere B. Albert. Caiet. Ferrara & communiter Interpretes in proœmio huius operis. Et ratio est satis perspicua : quoniam obiectum *quo* in esse rei est id, per quod in eodem ordine entis constituitur obiectum *quod*, vt diximus in principio quæstionis : sed corpus animatum, quod est obiectum formale *quod* huius operis constituitur in esse rei per animam : ergo loquendo de obiecto formali *quo* in esse rei respectu huius tractatus, prædicta ratio obiecti animæ attribuenda est.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

4 ADuersus primam conclusionem sentiunt Toletus *præsenti*, *quæst.* 4. Rubio *quæst.* 2. & alij asserentes animam esse obiectum formale *quod* horum librorum. Quod potest suaderi primo ex Aristot. in proœmio huius operis : vbi inquit : *Quærimus autem contemplari, & cognoscere naturam ipsius animæ, & substantiam, postea quæcumque accidunt circa ipsam.* Obiectum autem formale cuiusvis operis est illud, cuius notitiam in tali opere consequi intendimus : ergo obiectum *quod* huius tractatus est anima. ¶ Confirmatur : nam idem Philosophus opus istud inscripsit titulo *de Anima*, scientiamque in eo contentam frequenter vocat de *Anima*, vt Lector facile offendet ; & denique *lib.* 1. de sensu, & sensibili asserit se jam egisse de anima, & virtutibus illius. Quæ omnia satis suadent animam ex mente Aristot. esse obiectum formale *quod* huius operis.

Respondetur ad argumentum, quod Aristot. intendit quidem in his libris contemplationi animæ, tanquam principij formalis, & præcipui sui obiecti *quod*, nempe corporis animati. Ex quo tamen solùm sequitur animam esse obiectum *quo* in esse rei respectu huius tractatus, vt constat ex ijs, quæ pro assertione diximus. Sic etiam idem Philosophus plura tractat de forma

ſubſtantiali *in libr. Phyſicorum*, non quia forma ſit obiectum *quod* iſti operis ; ſed quia eſt principium formaliter conſtituens obiectum *quod* illius, videlicet corporis naturale. ¶ Per quod patet ad confirmationem : nam omnia illa ſolùm euincunt animam eſſe obiectum *quo* in eſſe rei reſpectu præſentis operis ; frequenter quippe contingit tractatus habere ſuam inſcriptionem ab aliqua affectione, ſeu principio proprij obiecti, vt in ſimili obſeruauimus *in libr. de Generatione, diſputat.* 1. *quæſtion.* 1. §. 2.

5. Secundo probatur eadem ſententia ratione : quoniam illud eſt obiectum formale *quod* alicuius operis, quod præcipue in eo definitur, & cuius proprietates demonſtrantur, vt ex ſe liquet : ſed in hoc tractatu definitio animæ eſt, quæ præcipuè traditur, illiuſque proprietates ſedulo demonſtrantur, vt ipſius operis progreſſus oſtendet : ergo anima eſt obiectum formale *quod* huius operis. ¶ Confirmatur primo : quia potentiæ vitales, in quibus demonſtrandis, & exponendis major huius operis pars inſumitur, conueniunt animæ tanquam primæ radici ; licet in conjuncto, ſeu corpore recipiantur : ergo anima eſt obiectum *quod* in hoc tractatu : quandoquidem id habet rationem obiecti *quod* alicuius operis, cui proprietates in eo demonſtratæ per ſe conueniunt. ¶ Confirmatur ſecundo : nam in aſſignandis obiectis potius attendendum eſt ad dependentiam in cognoſci, quam ad dependentiam in eſſe : ſed licet anima dependeat in eſſe à corpore animato, cuius eſt pars ; attamen in cognoſci potius corpus animatum dependet ab anima ; ſiquidem ea ſemel cognita cum ſuis potentijs, nihil fere de corpore animato ſupereſt cognoſcendum : ergo ratio obiecti *quod* in hoc opere non corpori animato, ſed animæ debet attribui,


Reſpondetur argumento, ad rationem obiecti *quod* deſiderari, vt notitia eius quæratur propter ſe, & non propter aliud, cuius ſit pars in eſſe rei : notitia autem animæ in toto hoc opere quæritur propter perfectam intelligentiam corporis animati, ad quod anima vt vera pars ordinatur. Vnde licet plura inſumantur cùm in ea definienda, cùm in eius paſſionibus demonſtrandis ; non extrahunt illam à ratione obiecti *quo*, nec conſtituunt in munere obiecti *quod*.

Ad primam confirmationem reſpondemus, potentias vitales ſolùm conuenire animæ vt primo principio *quo* ; ſecus vero vt principio *quod* : hæc quippe ratio ſoli compoſito reſeruanda eſt. Quamobrem ſolum euincitur, quod *anima* ſit obiectum *quo* huius operis ; minime autem obiectum *quod*.

Ad ſecundam dicimus animam, & corpus animatum habere mutuam dependentiam in cognoſci : nam ſicut totum nequit cognoſci niſi dependenter à partibus, ex quibus conſtat ; ita partes, vt tales,

non

non valent intelligi absque ordine ad totum, propter quod sunt. Sed in Philosophia potior ratio huius posterioris dependentiæ habenda est, eò quod obiectum formale, & adæquatum illius est ens mobile, seu corpus substantiale ex materia, & forma coalescens, huiusque notitiam præcipue intendit. Vnde nihil interest, quod cognita perfectè anima, facile dignoscatur quidditas corporis animati: solùm enim suadet animam esse præcipuum corporis animati principium. Et ex oppositò sequeretur nullum compositum posse habere rationem obiecti formalis *quod*, sed solam formam: quod proculdubiò est absurdum.



LIBER

LIBER I. ET II.

DE ANIMA.

TRACTATVM hunc partitus est Aristot. in tres libros: quorum primum in quinque diuidit capita, in quibus refert antiquorum opiniones circa quidditatem animæ, easque refellit. Secundum verò duodecim capitibus absoluit, in quibus late disserit de animæ essentia, diuisionibus, potentijs, sensibus, & objectis sensibilibus. Cæterum quia id, quod anima non est, nequit aptiori via demonstrari, quam ostendendo quid est: idcircò omittemus expositionem eorum, quæ Philosophus scripsit primo libro, vt declaremus ea, quæ statuit in secundo. Quod per sequentes disputationes præstare studebimus, in quibus etiam exponemus quidquid obscurum, aut difficile in textu Aristot. reperitur: quamobrem illius expositionem seorsim non aggredimur, neque notis illustramus. De his autem, quæ Philosophus tractat in tertio libro, differemus à disp. 15.

DISPV

DISPVTATIO II.

De quidditate animæ, & prima eius definitione.



MITTIMVS quæstionem *an est*, eò quod existentiam animæ operationes ab ea fluentes, quas experimur, liquidò euincunt, ac demonstrant. Illius autem quidditas non adeo facile innotescit, vt constat ex erroribus in quos impegerunt antiqui: quapropter illi enucleandæ operosiùs insistendum est. Quia vero quidditas rei non aliter melius explicatur, quam illius definitionem adducendo; propterea afferre, ac elucidare oportet duas definitiones, quibus Philosophus animæ essentiam explicuit. Sed vt majorem distinctionem, ac perinde claritatem huic operi conciliemus; declarabimus primam definitionem in hac disputatione, & secundam in sequenti.

QVÆSTIO I.

Vtrum prima definitio animæ sit legitima?

PRima animæ definitio, quam attulit Aristot. *in hoc libr. 2. cap. 1.* sic se habet: *Anima est actus primus corporis physici organici, potentia vitam habentis.* Circa quam plura occurrunt scitu digna, & alia, quæ non mediocrem ingerunt difficultatem. Quæ seorsim, ac singillatim exponemus, & ex illis quam legitima sit hæc definitio, constabit.

§. I.

Declarantur priores illæ particulæ actus primus.

1 ILla particula *actu* habet officium generis in hac definitione: nam ratio actus communis est tam animæ, quam alijs omnibus formis cùm substantialibus, cùm accidentalibus. Sed per ly *primus* designatur differentia animæ ab omni forma accidentali: nullum quippe accidens queit esse actus primus. Nam operationes supponunt alium actum priorem, eum videlicet à quo eliciuntur: potentiæ autem licet comparatiuè ad operationes sint actus primus, seu prior; nihilominus habent simpliciter rationem actus secundi: quia essentialiter præsupponunt alium actum, nempe formam substantialem. Sola ergo forma substantialis est simpliciter *actus primus*, tùm negatiuè, quia non supponit alium, tum positiuè, quia cæteros præcedit.

2 Oppones; perfectior est actus secundus, quam primus: sed anima est actus perfectior, qui repetitur in toto: ergo est actus secundus, & non primus. Suadetur major, tùm quia finis est perfectior ijs, quæ sunt ad finem: at felicitas, quæ est vltimus finis, non consistit in actu primo; sed in secundo; siue in operatione iuxta commune axioma *Vnumquodque est propter suam operationem* ex Aristot. 1. *Ethicorum, cap.* 12. & alibi: ergo actus secundus perfectior est primo. Tùm etiam, quia ille actus est perfectior, qui habet majorem puritatem, seu minus potentiæ: constat autem actum primum habere plus potentiæ, quàm secundum: siquidem est in potentia ad eum recipiendum, & per eum perficitur: ergo.

Huic obiectioni duabus solutionibus possumus satisfacere. Prima, & satis expedita est negare majorem intellectam de actu secundo comparato ad actum primum, qui sit forma substantialis; licet posset admitti de actu secundo collato cum actu primo, qui sit potentia proxima ad operandùm, ac proinde forma accidentalis. Et oppositum nulla ex inductis probationibus suadetur: non prima, quia substantia secundum se accepta non ordinatur nec ad operationem, tanquam ad finem cuius gratia, nec ad aliquod extra proprium prædicamentum. Vnde cùm dicitur, vnumquodque esse propter suam operationem; vel debet intelligi de eo vt constituto per potentiam proximè operatiuam, & facta tota reduplicatione supra illam, non supra substantiam: vel exponendum est de operatione non in abstracto, sed in concreto sumpta, quo pacto includit ipsum operans, & addit aliquid supra ipsum. Ex quo non sequitur, quod operatio sit perfectior, quàm substantia; sed solum: quod substantia operans (qua ratione importat se ipsam potentiam, & operationem) sit perfectior se ipsa seorsim sumpta. Neque secunda probatio vrget: nam major solùm verificatur cæteris paribus, & intra eundem ordinem, quod in præsenti non contingit.

tingit. Forma enim substantialis est actus ordinis substantiæ, & explet maximam potentialitatem materiæ; atque ideo est actus simpliciter. Operatio autem est actus solùm in ordine accidentali, & supponit subiectum existens jam simpliciter in actu: quocirca solum habet constituere, & actuare secundum quid. Vnde non est perfectior actus, quam forma substantialis.

3 Secunda obiectionis haud contemnenda solutio desumitur ex Caietano in præsenti, qui considerat formam, & operationem in ordine entis, & in ratione actus. Et quidem si comparentur in ordine entis, præstat forma operationi: quia illa dat esse simpliciter, nempe substantiale; hæc vero solùm communicat esse secundum quid, nimirum accidentale. Quod si comparentur in ratione actus, potest concedi, quod operatio antecellat formam: quoniam illa est vltimior actus, & minus potentialitatis in subiecto relinquit. Ex quo solùm sequitur, quod actus secundus, seu operatio excedat actum primum, siue formam substantialem excessu secundum quid, & cum addito, nempe sub consideratione actus: absolute enim, & simpliciter perfectior est forma, eò quod excedit in esse rei, qui est excessus simpliciter.

4 Sed replicabis aduersus hanc solutionem: quoniam actuare est dare esse: ergo actus dans nobilius esse; nobiliori modo actuat, ac proinde erit nobilior actus: si ergo forma dat nobilius esse, quam operatio, sequitur, quod excedat operationem non solùm in esse rei, sed etiam in ratione actus. ¶ Ad hæc: tota essentia actus sumitur in ordine ad actuandum subiectum: ergo actus, qui in sua essentia est simpliciter perfectior, etiam erit perfectior sub ratione actus: & consequenter corruit illa distinctio, seu consideratio actus in esse actus, vel in esse rei.

Adhuc tamen potest, & debet sustineri solutio Caietani: nam ad replicam respondetur negando primam consequentiam: quoniam nobilior modus actuandi non regulatur penes esse communicatum (quod pertinet ad ordinem rei) sed ex hoc quod actus minus potentialitatis relinquat in subiecto. Vnde cum operatio sit vltimior actus, & actuet ipsam formam; nequit non illi præstare in ratione actus, quamvis ei cedat in esse rei. ¶ Et hinc constat ad id, quod additur nam licet tota essentia actus sit ad actuandum; alia tamen est expressio actuandi, & alia essendi. Quamobrem stat bene, quod aliquid excedat sub vna expressione, & excedatur sub alia. Quod potest declarari exemplo materiæ primæ: hæc quippe sub ratione entis excedit potentiam accidentalem; cum sit substantia; sub ratione vero potentiæ est imperfectior illa; cum sit pura potentia, & nihil includat actus: & tamen certum est rationem entis, & rationem potentiæ non distingui realiter in materia prima.

Expositio prædictarum particularum, *actus primus*, quam hactenus

proſequuti fuimus, ſatis plana, ac legitima eſt: & iuxta illam conueniunt dictæ particulæ non ſolùm animæ, verùm omni formæ ſubſtantiali: quævis enim eſt actus primus cum nullum actum in materia ſupponat. Supereſt tamen ſubtilior alia declaratio, quam afferunt Caietanus, & Ferrara *in præſenti*, & Bañez 1. *p. quæſt.* 75. *art.* 1. *dub.* 2. Et hanc animam ab omni forma inanimata ſecernit, & notandum diſcrimen inter vtramque conſtituit. Etenim ly *actus primus* deſignat non ſolum diſtinctionem ab actu ſecundo, ſed etiam ſeparabilitatem ab eo; atque ideo ſignificat actum omnino primum, & qui valeat, quantum eſt de ſe, ab omni actu ſecundo, ſiue operatione ceſſare. Vnde quia anima poteſt, quantum eſt de ſe ceſſare ab operatione, vel ratione libertatis, vel per apprehenſionem, vel ob alias cauſas; forma vero inanimata id non valet: propterea per illas particulas *actus primus* ſic explicatas, anima ab omni forma inanimata diſtinguitur. Quam doctrinam aperte indicat Ariſtot. *in præſenti*, *text.* 5. vt exponit D. Thom. *ibidem lection.* 1. his verbis: *Sciendum, quod Philoſophus dicit animam eſſe actum primum, non ſolùm vt diſtinguat animam ab actu, qui eſt operatio; ſed etiam vt diſtinguat eam à formis, quæ ſemper habent ſuam actionem, niſi impediantur.*

Quod poteſt inductiue oſtendi de omnibus animabus: etenim anima rationalis, cùm libera ſit, queit ab operando ceſſare, vt experientia ſuadet. Similiter anima ſenſitiua frequenter eſt in otio, ceſſatque ab operationibus ſibi proprijs, vt apparet in brutis dormientibus. Deinde anima vegetatiua multoties vacat ab opere generationis, nutritionis, & augmentationis, vt in plantis videre eſt. Aliæ vero formæ inanimatæ perpetuò, quantum eſt de ſe, proprias exerunt operationes: quia cùm omnino materiales ſint, habent omnimodam determinationem ad operandum: & ideo petunt non ceſſare ab operatione, vt in igne, & alijs rebus inanimatis apparet.

6 Cæterùm hæc expoſitio, & doctrina labefactari videtur *primo*: quia perfectior eſt anima, quam forma inanimata: ſed hoc quod eſt ceſſare ab operatione, non dicit perfectionem, ſed potius imperfectionem, vt conſtat in animali, quod tunc ceſſat ab incremento, cùm eius virtus eſt languida: ergo differentia inter animam, & formam inanimatam non eſt conſtituenda in prædicta ceſſatione. *Secundo*: quia cùm dicitur animam poſſe ceſſare ab operatione, vel intelligitur poſitis omnibus requiſitis ad operandum, vel eis non poſitis? Si primum: ſolùm poteſt adaptari prædicta doctrina animæ rationali, quæ libera eſt; ſecus vero alijs animabus, quæ non tranſcendunt ordinem agentis naturalis, & neceſſarij, de cuius ratione eſt, quod poſitis omnibus requiſitis ad operandum, neceſſariò operetur. Si ſecundum etiam poteſt applicari illa expoſitio formæ inanimatæ: hæc quippe ablatis requiſitis ad operandum ceſſat ab operatione.

ratione. *Tertiò :* nam plures sunt operationes, & motus à quibus nequit anima separari, vt constat in motu cordis, quo deficiente perit animal; & in nutritione, quæ tandiù durat, quandiù animal viuit *ex* 1. *de Generat. text.* 41. ergo anima non est actus primus separabilis ab omni actu secundo. *Quarto :* nam iuxta prædictam expositionem per ly *actus* conuenit anima cum omni forma, & per ly *primus* differt ab omni forma; atque ideo in solis illis verbis saluabitur adæquata definitio animæ: ergo quæ sequuntur, nimirum, *corporis physici*, &c. superfluunt: hoc autem non est dicendum: ergo nec admittenda illa expositio.

Eæ tamen obiectiones traditæ doctrinæ non præiudicant. Ad primam enim respondetur, quod licet cessare vtcumque ab operatione non dicat perfectionem; cessare tamen ab intrinseco, vt in animatis contingit, magnam arguit perfectionem, & non mediocrem eleuationem supra alias formas. Quod satis apparet ipso exemplo in contrarium adducto: nam quod augmentum viuentis aliquando cesset, oritur ex eo, quod debet fieri per facultatem intrinsecam, & per virtutem ad hoc peculiariter destinatam. Hoc autem minime competit rebus inanimatis, vt ostendimus *in lib. de Generat. disputat.* 6. *quæst.* 1.

Ad secundam respondemus nullo ex illis duobus modis animam dici actum primum separabilem à secundo; sed alio longè diuerso: qui consistit in eo, quod anima ab intrinseco petit cessare aliquando à sua operatione, & esse in otio; & consequenter postulat, quantum est de se, vt non semper dentur omnia requisita ad operandum. Vnde prouenit, quod absentia illorum sit iuxta naturam rei animatæ, vt patet in actu generationis, qui non conuenit semper, & à principio viuentibus, sed determinatis temporibus: & ideo nec animal, nec planta, statim generat. Hic autem cessationis modus minime competit rebus inanimatis: eæ quippe non postulant ab intrinseco, quod absint requisita ad operandum; sed magis est iuxta naturam eorum semper operari, vt patet in igne, qui statim, ac producitur, potest alium generare, & semper quantum est de se generat. Videantur quæ diximus loco proxime citato.

Ad tertiam negandum est antecedens intellectum de motibus conuenientibus principaliter, & particulariter animæ, vt anima est. Nec oppositum suadet motus cordis: nam ille non est à sola anima, sed prouenit à generante tanquam à causa particulari, principali, & proxime mouente, vt statuimus *in libr. Physicor. disput.* 26. *quæst.* 1. Nutritio autem aliquando interrumpitur, quia non incessanter conuertitur alimentum in substantiam aliti, vt obseruauimus *in libr. de Generat. disput.* 5. *quæst.* 1. in principio. Quibus addendum est non requiri, vt saluetur animam esse actum primum separabilem à secundo, quod possit separari ab omni actu:

ſufficit enim, quod poſſit, & petat, quantum eſt de ſe ſeparari ab aliquo. Et hoc competit omni animæ: nàm eſto non petat ceſſare à nutritione; poſtulat tamen non ſemper generare, vt nuper oſtendimus. Et per hoc ſufficienter diſtinguitur anima ab alijs formis.

Ad vltimam dicendum eſt, quod licet anima diſtinguatur ab alijs formis per eſſe actum primum ſeparabilem à ſecundo; attamen nec conſiſtit in hoc ſolo conceptu adæquata animæ quidditas, nec per illum ſufficienter innoteſcit. Vnde citra vitium additæ ſunt aliæ particulæ, nempe *corporis phyſici*, &c. quia neceſſariæ ſunt ad manifeſtandum perfecte animæ eſſentiam, & conditionem.

§. II.

Exponuntur ſequentes particulæ corporis phyſici.

7 VT apertè ſignificaretur diſtinctio animæ ab actibus primis omninò completis, & per ſe ſubſiſtentibus, quales ſunt Angeli; oportuit poſt illas particulas *actus primus* addere immediate ſequentes, nimirum *corporis phyſici*. Subſtantia quippe completa non ordinatur ad componendum aliud: at illa, quæ incompleta eſt, & habet rationem partis, vt anima nequit non ordinari ad aliud, & hunc reſpectum exprimere in propria, ac quidditatiua ſui definitione, vt tradit D. Th. *in præſenti lect.* 1. his verbis: *In omni definitione formæ ponitur aliquid, quod ſit extra eſſentiam formæ, ſcilicet proprium ſubiectum, ſiue materia: vnde cùm anima ſit forma, oportet, quod in definitione eius ponatur materia, ſiue ſubiectum eius.* Et hoc deſignatur per ly *corporis*. Porrò quia corpus aliud eſt artificiale, vt cathedra; aliud mathematicum, quod importat tres dimenſiones quantitatiuas; aliud denique phyſicum, quod radicat accidentia ſenſibilia, & eſt principium motus, & quietis: addita eſt particula *phyſici*, quæ ſignificat animam eſſe actum primum corporis naturalis non vero artificialis, aut mathematici, vt obſeruat S. Doctor *in hoc lib. text.* 8. *lect.* 2.

Nomine autem *corporis phyſici* poteſt intelligi vel ſola materia prima, quæ ſaltem in ſuo toto ſubſtat accidentibus ſenſibilibus, & meritò appellatur ſubſtantia corporea: vel valet ſignificari compoſitum ſubſtantiale coaleſcens ex materia, & anima, non vt dat eſſe animatum; ſed quatenus communicat eſſe corporeum, ſeu gradum receptiuum vitæ: nam *corpus* (ait D. Thom. *hoc 2. lib. text. 6. lect. 1.*) *habet ab anima, & quod ſit, & quod corpus ſit, & quod ſit corpus ſuſceptiuum vitæ.* Vnde merito dubitari poteſt, quonam ex ijs modo accipiatur ly *corporis phyſici* in iſta definitione.

8 Caietanus *in hoc lib. cap.* 1. §. *Tertio notandum eſt.* Ferrara *quæſt.* 2. & communiter Thomiſtæ aſſerunt prædictam particulam non priori, ſed poſteriori modo accipiendam fore. Et merito quidem: nam ita expreſsè

presse docet Angelic. Præceptor, *quæst. de spiritualibus creat. quæst. 3. ad 2.* his verbis: *Dicendum, quod cùm forma perfectissima det omnia, quæ dant formæ imperfectiores, & adhuc amplius: materia provt ab ea perficitur eo modo perfectionis, quo perficitur à formis imperfectioribus, consideratur vt materia propria etiam illius modi perfectionis, quam addit forma perfectior super alias. Ita tamen, quod non intelligatur hæc distinctio in formis secundum essentiam, sed solùm secundum intelligibilem rationem. Sic ergo ipsa materia, secundum quod intelligitur vt perfecta in esse corporeo susceptiuo vitæ, est proprium subiectum animæ.*

Et ratio est satis manifesta: quoniam cùm forma definitur per suum susceptiuum, congruentiùs explicatur per proprium, ac peculiare subiectum, quam per commune: atqui anima definitur per suum susceptiuum; & esse proprium subiectum animæ, vt anima est, non conuenit materiæ primæ nudæ, sed materiæ vt actuatæ per gradus, qui supponuntur ad esse animatum: ergo per ly *corporis* in definitione animæ positum non significatur sola materia, sed compositum ex materia, & anima, quatenus dat esse corporeum, & gradus, qui ad esse animatum præintelliguntur. Minor liquet: nam materia nudè accepta est subiectum commune omnibus formis; ipsa vero vt actuata modo dicto, est proprium, ac peculiare subiectum animæ.

9 Sed hæc expositio non omnibus arridet, & ideo oportet occurrere obiectionibus, quibus criminantur eam. Primo opponunt: nam susceptiuum formæ secundum omnia, quæ habet, distinguitur realiter ab illa: sed compositum ex materia, & anima, vt dante esse corporeum, non distinguitur realiter ab anima, provt dat esse animatum; siquidem esse corporeum, & esse animatum sola ratione distinguuntur: ergo anima non definitur per corpus tanquam per proprium susceptiuum, vt à nobis describitur. Major probatur, tum quia subiectum non habet à forma, quod sit subiectum: ergo in esse subiecti, nec est realiter idem cum forma, nec eam includit. Tum etiam, quia forma secundum suum esse saltem quoad vnionem educitur de subiecto: sed nequit educi ex se ipsa vllo modo: ergo subiectum nullo modo illam includit, sed secundum omnia, quæ habet, distinguitur realiter ab ea.

Respondetur animam bifariam posse considerari, vno modo secundū suam entitatem, qua ratione importat omnes gadus, quos materiæ impertitur, à primo vsque ad vltimum; alio modo secundum præcisam rationem animæ, quâ ratione solum explicat propriam differentiam, quam addit supra conceptus sibi, & alijs formis communes. Si ergo anima sumatur primo modo est actus immediate solius materiæ primæ; quia entitas animæ materiam primam supponit, & actuat. Accepta autem posteriori modo non est actus solius materiæ, sed corporis:

poris: eo quod esse animatum supponit necessario esse corporeum. Hinc ad obiectionem respondetur, susceptiuum formæ secundum entitatem nullo modo eam includere, nec aliquid illius: susceptiuum vero illius secundum aliquem posteriorem gradum, necessario eam includere secundum gradum priorem. Vnde materia habet à forma vnum gradum per quem fit capax ad receptionem alterius gradus. Et similiter forma secundum vnum gradum educitur de materia vt actuata, & constituta per alium.

10 Secundo obijcitur: quoniam si anima, vt talis, est actus corporis constituti ex materia & forma; sequitur quod adueniat enti in actu, ac proinde, quod sit forma accidentalis: consequens plane est absurdum: ergo. ¶ Respondetur negando sequelam: nam vt anima esset forma accidentalis, deberet absolute, & secundum entitatem considerata aduenire enti in actu: quod tamen illi minime competit, vt constat ex proxime dictis. Gradus autem inferiores supponere superiores, & materiam constitutam in actu per illos, minime præiudicat substantiæ; sed in omni forma substantiali admittendum est, vt consideranti constabit.

11 Tertio obijcitur: quia Philosophus agit de anima quatenus est forma physica, & informat modo physico: sed anima respectu solius materiæ primæ exercet munia formæ physicæ; quippe quatenus communicat diuersos gradus sola ratione distinctos, potius est forma metaphysica, quam physica: ergo anima non per materiam constitutam in gradu corporis, sed vt nudam ab omni gradu definienda est apud Physicos.

Respondetur negando minorem: nam anima, vt anima est, habet rationem formæ physicæ; cumque sub ratione animæ supponat corpus, sequitur, quod non solum respectu materiæ nudè sumptæ, sed etiam respectu illius vt constitutæ per gradum corporis exerceat munera formæ physicæ; quin valeat ob hanc rationem forma metaphysica dici. Præsertim cum forma metaphysica non distinguatur à suo susceptiuo, nec exigat dispositiones physicas ad proprium actuandi modum: anima autem, vt anima est, distinguitur realiter à suo susceptiuo; quippe quod includit materiam; & similiter expoſcit dispositiones physicas ad communicandum gradum animati, ea scilicet accidentia, quæ à gradu immediatè præcedenti dimanant: quamobrem longe distat à forma metaphysica.

12 Vltimo obijcitur: quia proprium susceptiuum animæ vt anima est, nequit esse corpus; quandoquidem esse corporeum præintelligitur ad omnem formam consideratam secundum suam specificam rationem: prius enim est esse corpus, quam esse verbi gratia lapidem: ergo non recte explicatur proprium susceptiuum animæ per ly *corporis*. Maxime, quia inter

corpus,

corpus & viuens mediant alij duo gradus, videlicet generabile, & mixtum, vt statuimus in Logica *disp. 6. quæst. 6.* ergo anima non definitur hic per susceptiuum proprium, & immediatum, sed per commune, & remotum. ¶ Sed hæc obiectio facile euanescit: quoniam anima non definitur per corpus vtcumque, sed per *corpus organicum*, cuius dicitur actus. Vnde ratio corporis, quæ quantum est de se, late patet, trahitur ad supponendum determinate pro corpore organico, quod est proprium animæ susceptiuum, vt contingit in aliis gradibus communibus, & remotis, cum determinantur, & contrahuntur per inferiores, & specificos; secum enim afferunt omnia genera intermedia, atque immediata. Vnde bene saluatur, quod anima explicetur per proprium susceptiuum, vt magis constabit ex iis, quæ statim dicemus.

§. III.

Declaratio illius particulæ, organici.

13 PRo intelligentia istius particulæ animaduertendum est corpus naturale esse duplex: aliud videlicet quod caret partibus diuersæ rationis, vt aqua; aliud vero, quod illis constat, vt homo. Ex quibus hoc posterius merito appellatur organicum, ducta similitudine ab organo, quod inter instrumenta musica habet magnam partium varietatem. Ad significandum ergo quod anima est actus corporis habentis partes diuersæ rationis quæ operationibus vitæ deseruiunt, dicitur *actus corporis organici*. Quod optime explicuit D. Th. *in hoc lib. lect. 1.* his verbis: *Dicitur corpus organicum, quod habet diuersitatem organorum. Diuersitas autem organorum necessaria est in corpore suscipiente vitam propter diuersas operationes animæ. Anima enim cum sit forma perfectissima inter formas rerum corporalium, est principium diuersarum operationum: & ideo requirit diuersitatem organorum in suo perfectibili. Formæ vero rerum inanimatarum propter suam imperfectionem sunt principia paucarum operationum: vnde non exigunt diuersitatem organorum in suis perfectibilibus.* Idque ostendi valet argumento desumpto ex plantis, quæ rerum animatarum imperfectissimæ sunt; & tamen aliquam organizationem habent, vt puta radicem, corticem & folia, quæ diuersis muniis deseruiunt, vt obseruant Aristot. *in præsenti textu 7.* & D. Thom. ibidem.

14 Sed obijcies: nam anima est actus, seu forma sanguinis, vt ostendemus *disp. 5. quæst. 1.* & tamen sanguis non est corpus organicum: ergo non est de ratione animæ, quod sit corporis organici actus. ¶ Respondetur, animam non dici actum corporis organici, quod sit tale in actu intra ordinem substantiæ (diuersitas quippe partium integralium, quæ ad organizationem actualem, & formalem requiritur prouenit formaliter à quantitate, vt ostendimus *in lib. de Generat. disp. 5. q. 1.*) sed est actus corporis, quod intra genus substantiæ importat organizationem solum radicalem, & subiectiuam, vt magis declarabimus

num. 16. Porro vt anima sit hoc pacto actus corporis organici, non requiritur, quod in qualibet parte radicet diuersa accidentia: sed sufficit, quod provt est sub tota quantitate, sit radix partium dissimilarium: quippe quæ non dicitur actus huius vel illius partis, sed actus corporis hoc est totius compositi. Vnde cum sanguis, quandiu viuit, non sit totum, sed vera pars animalis; non postulat habere diuersitatem partium, nec quod anima in eo radicet accidentia diuersæ rationis.

15 Deinde vrgentius oppones: nam anima in præsenti definitur per suum susceptiuum, vt diximus §. *præced.* at susceptiuum illius non est corpus organicum: ergo non recte definitur per illud. Probatur minor: quia corpus organicum idem est, ac corpus viuum, seu animatum; cum sola viuentia habeant partes dissimilares: constat autem corpus viuum, seu animatum non esse susceptiuum animæ; sed eam includere: ergo esse susceptiuum non conuenit corpori organico.

Vt hanc obiectionem perspicue diluamus obseruandum est primò susceptiuum formæ esse duplex, informe videlicet, & formatum. Subiectum informe solum dicit ea; quæ sunt propria subiecti, non vero ea, quæ sibi communicantur à forma: quo pacto diaphanum comparatur ad lucem, quia secundum se non dicit ea, quæ participat à luce. Subiectum verò formatum affert, & explicat ea, quæ sibi communicantur à forma: qua ratione se habet album ad albedinem, inuoluit enim effectum formalem illius. ¶ Secundo animaduerte corpus organicum bifariam accipi, primo dispositiue tantum; secundo proprie. Priori modo importat totum coalescens ex materia prima, & anima, quatenus dat omnes gradus vsque ad animatum exclusiue: & consequenter dicit talem quantitatem, situm & alias dispositiones requisitas, vt anima possit tribuere esse animatum, & radicet accidentia vitalia, quibus constituitur proprie, & formaliter organum. Posteriori autem modo importat compositum constitutum ex materia, & anima, quatenus dat esse animatum formaliter, ac proinde quatenus radicat illa accidentia, quæ ad propriam, & formalem rationem organi requiruntur.

Hinc ad obiectionem respondetur primo animam in præsenti definiri per susceptiuum informe, atque ideo per corpus organicum solum initiatiuè, ac dispositiuè. Vnde neganda est minor, & ad probationem dicendum, quod licet corpus organicum propriè, & completè, saltem radicaliter, sit idem ac corpus viuum seu animatum: attamen corpus organicum solum dispositiue non importat formaliter vitam, ac proinde nec includit animam, vt anima est: quamobrem potest hæc definiri per illud tanquam per susceptiuum informe. Cui solutioni fauet D. Thom. 1. *p. quæst.* 76. *art.* 6. *ad* 1.

16 Secundo, & magis ad mentem Aristot. & D. Thom. respondetur animam definiri per subiectum formatum, ac proinde per corpus propriè organicum, saltem radicaliter; seu quoad gradum: quod nequit

quit non esse corpus formaliter animatum, & viuum. Vnde sicut recte definitur calor per calidum tanquam per subiectum formatum, includens-que effectum formalem caloris, vt si dicas, calor est actus calidi: ita definitur anima per corpus organicum, seu animatum, quod effectum formalem animæ includit. Apertius enim explicatur hoc modo quidditas formæ, cum definitur tam per subiectum, quam per effectum formalem, quem subiecto confert. Quæ omnia elucidat D. Thom. *quæst. de Anima art.* 1. *ad* 15. his verbis: *Dicendum, quod in definitionibus formarum aliquando ponitur subiectum vt informe sicut cum dicitur, motus est actus existentis in potentia: aliquando autem ponitur subiectum formatum, sicut cum dicitur motus est actus mobilis, lumen est actus lucidi. Et hoc modo dicitur anima actus corporis organici physici: quia anima facit ipsum esse corpus organicum, sicut lumen facit aliquid esse lucidum.* Idem repetit 1. *p. q.* 76. *art.* 4. *ad* 1. cui subscribunt non solum Thomistæ, sed & Tolet. Rubius, Suarez, & alij.

17 Dices: loco nominis positi in definitione licet ponere definitionem illius, sicut loco animalis viuens sensibile: ergo loco illius particulæ *organici* possumus ponere eius definitionem: at corpus proprie organicum, seu animatum definitur per animam: ergo jam in definitione animæ poneretur anima, & consequenter hæc definiretur per se ipsam quod est absurdum: ergo anima nequit definiri per ly *organicum* propriè sumptum, & tanquam per subiectum formatum. ¶ Respondetur nullum esse inconueniens, quod anima explicitè sumpta definiatur per se ipsam implicite acceptam in suo effectu formali. Neque hinc sequitur quod possit explicite poni in sui definitione: nam illa regula solum procedit de iis, quæ definitio affert in recto; secus vero de illis, quæ dumtaxat collocantur in obliquo, & per modum additamenti, qualiter ly *organici* stat in animæ definitione. Videantur quæ diximus *in Log. disp.* 14. *quæst.* 6. §. 2.

§. IV.

Elucidantur vltimæ particulæ potentia vitam habentis.

18 Duplicem vitam distinguunt communiter Philosophi, nimirum substantialem, & accidentalem. Vita substantialis importat primam radicem potentiarum vitalium, & primum principium mouendi se ipsum *Propria enim ratio vitæ* (ait D. Thom. *in præsenti lect.* 1.) *est ex hoc quod aliquid est natum mouere seipsum, large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur: ea enim sine vita esse dicimus, quæ ab exteriori tantum principio moueri possunt.* Et de hac vita intelligendus est Philosophus, cum *in hoc lib.* 2. *text.* 37. inquit, *Viuere in viuentibus est esse*, nempe substantiale. Vita vero accidentalis est operatio à vitâ radicali procedens, per quam viuentia se mouent, vt augmentatio, visio, &c. Vnde 1. *Politic. cap.* 6. dicitur. *Vita certe est actio., & non factio, & lib.* 10. *Ethic. cap.* 4. *vita quædam est operatio.*

Qua etiam ratione beatitudo, quæ in operatione consistit, dicitur vita æterna iuxta *illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te.*

Quando ergo in hac definitione dicitur animam esse actum corporis organici *habentis vitam in potentia*, non vita substantialis, sed accidentalis intelligenda est, vt expressè tradit Aristot. *text.* 10. quem sic illustrat D. Thom. *lect.* 2. *Dicitur aliquid esse in potentia dupliciter: vno modo, cùm non habet principium operationis: alio modo, cùm habet quidem, sed non operatur secundum ipsum. Corpus autem, cuius actus est anima, est habens vitam in potentia, non quidem primo modo, sed secundo.* Et ratio constat ex dictis §. *præced.* nam anima definitur per ly *organicum*, tanquam per subiectum formatum, & animatum: corpus autem animatum non est in potentia ad vitam substantialem, sed illam actu habet, vt liquet ex terminis: ergo ly *habentis vitam in potentia* de sola vita accidentali intelligendum est. Ex quo etiam fit prædictas particulas non esse simpliciter necessarias ad hanc animæ definitionem, cùm includantur in illa *organici*. Potuerunt tamen citra vitium addi majoris claritatis gratia, vt euidentius appareret animæ quidditas, quæ valde latebat antiquos, atque in varios distorquebat errores.

19 Obijcies *primo* cum quodam juniore: vita accidentalis est multiplex, iuxta numerum operationum vitalium; vita vero substantialis est vnica: atqui in definitione non dicitur *habentis vitas*, sed *habentis vitam*: ergo illa particula non de vita accidentali, sed de substantiali interpretanda est. *Secundo*: ly *habentis* designat, quod animatum habeat in se vitam: at vita accidentalis non semper recipitur in animato, sed transit ad aliud subiectum; siquidem generatio v. g. plantæ est actio transiens: ergo illa particula *vita* significat vitam substantialem; hæc enim semper habetur ab animato.

Hæc tamen satis leuia sunt. Ad primum dicendum est omnes operationes vitales conuenire in vna communi ratione vitæ accidentalis: vnde merito possunt appellari *vita*, & sic designantur per ly *vitam* in hac definitione positum. Ad secundum respondetur ly *habentis vitam in potentia* solum significare, quod corpus organicum, cuius anima est actus, habet potentiam actiuam ad eliciendas operationes vitæ. An vero istæ necessario debeant recipi in viuenti, & quomodo hoc verificetur, alia difficultas est, ad præsentem definitionem non spectans: de qua tamen nonnihil agemus *infra disp.* 4. *quæst.* 1. Præterquam quod in omni viuenti datur aliqua operatio ipsum intrinsecè afficiens: quod satis, superque erat ad verificandum ly *habentis vitam in potentia*; quidquid sit, an omnis operatio vitalis debeat esse actio immanens.

20 Ex ijs, quæ hactenus in tota quæstione diximus, liquido sequitur, & apparet conclusio directe respondens quæsito, nempe prædictam definitionem esse legitimam. Quod satis constat auctoritate Aristotel. & D. Thom.

&

& insuper ratione probatur: nam illa definitio est legitima, quæ constat genere, & differentia, & quidditatem definiti manifestat: sed huiusmodi est definitio animæ ab Aristotele tradita, quam hucusque explicuimus vt constat ex dictis: ergo vt legitima admittenda est. Quod quia vnanimi consensu faciunt Philosophi, amplius in ea illustranda immorari non libet.

QVÆSTIO II.

Vtrum prædicta animæ definitio sit essentialis?

SVppositis his, quæ diximus *qu. præced.* paucis præsentem absoluemus: quæ non procedit de definitione omnino rigorosa, hæc enim solis entibus completis potest adaptari: sed de definitione, quæ sit essentialis iuxta capacitatem materiæ, & qualis potest applicari rei incompletæ, vt anima est.

§. vnicus.

Statuitur communis sententia.

21 DIcendum est prædictam definitionem esse essentialem. Ita Arist. *in lib. 2. c. 1. & 2.* cui adstipulantur omnes Philosophi paucis exceptis, quos infra referemus. Probatur ratione: quoniam illa est definitio essentialis, quæ per essentialia explicat quidditatem rei definitæ: sed tota quidditas animæ consistit in eo, quod sit actus primus corporis animati, & hoc apertè significatur in prædicta definitione: ergo est essentialis.

Confirmatur primo: nam definitio, quæ datur per rationem superiorem, & inferiorem essentialiter conuenientes rei definitæ, nequit non esse essentialis: sed adducta definitio est huiusmodi; siquidem ly *actus primus* designat rationem animæ, & alijs formis superiorem & ly *corporis organici* significat propriam, ac essentialem animæ rationem: ergo dicta definitio est essentialis. ¶ Confirmatur secundo: quia substantia incompleta importat essentialiter habitudinem tùm ad aliam compartem, tùm ad compositum, quod constituit; in quo distinguitur à substantia completa, quæ habet in se esse completum, & propterea non ordinatur ad aliud: ergo in definitione essentiali sustantiæ incompletæ aliquid extrinsecum ponendum est: sed id obseruatur in hac definitione: ergo &c. Videantur quæ supra *n.* 7. diximus ex D. Thom.

22 Pro contraria sententia referuntur Auincen. *lib. 6. natur. qu.* Scotus *in 9. dist. 6. quæst. vnic.* Quæ potest suaderi primo: nam definitio essentialis debet tradi per priora, & notiora definito, non solum quoad nos, sed etiam secundum se; eo quod debet dari per partes essentiales, quæ ex natura rei præcedunt totum: at definitio hic tradita id non obseruat; siquidem anima definitur per corpus animatum, quod est effectus formalis

animæ, ſubindeque poſterius ea: ergo prædicta definitio non eſt eſſentialis.

Huic argumento facile poſſet occurrere, qui aſſereret animam definiri per ly *corpus organicum* tanquam per ſubiectum informe iuxta ea, quæ ſupra diximus *num.* 15. Subiectum enim informe non importat effectum formalem formæ, ſed ad eam ſimpliciter præſupponuntur. Vnde jam tradita definitio daretur per priora, & notiora re definita. Sed ne huic expoſitioni ſolutionem argumenti alligemus, aliter iuxta ſecundam expoſitionem illi occurrendum eſt. *Primo* igitur reſpondemus nullum eſſe inconueniens quod in definitione eſſentiali ponatur aliquid, quod ſit poſterius re definita, dummodo non ponatur in recto, & per modum partis eſſentialis; ſed ſolum in obliquo, & per modum termini, & additamenti, in ordine ad quod explicatur propria, & eſſentialis differentia rei definitæ. Vnde cum anima dicat eſſentialem ordinem ad ſuum effectum formalem, nempe ad animatum; merito id in illius quidditatiua definitione conſtituitur. Non enim ponitur vt pars eſſentialis animæ, ſed vt quid deſeruiens ad manifeſtandam propriam animæ differentiam: quæ eſt pars metaphyſica animæ, & conſequenter prior, & notior, quam illa. *Secundo* reſpondemus animam non definiri per corpus animatum quatenus hoc eſt effectus formalis illius, ſed quatenus habet rationem finis, & ſpecificatiui extrinſeci reſpectu ipſius animæ. Quo pacto non eſt poſterius ea, ſed ad illam eſſentialiter in aliquo genere præſupponitur.

25 Secundo arguitur: quia definitio explicans quidditatem ſubſtantiæ per accidentia non eſt eſſentialis, ſed deſcriptiua; ſiquidem ſubſtantia eſt ſimpliciter prior accidentibus: atqui prædicta definitio explicat quidditatem animæ per aliquid accidentale, videlicet per *corpus organicum*, quod nequit non accidentia includere; cum ſubſtantia, remotis accidentibus, non habeat partes: ergo hæc definitio non eſt eſſentialis.

Reſpondetur negando minorem, & ad inſertam illius probationem dicendum eſt corpus organicum, per habitudinem ad quod definitur anima, non dicere organizationem formalem, quæ à quantitate, & aliis diſpoſitionibus prouenit; ſed organizationem radicalem, quæ poteſt, & debet conuenire ſubſtantiæ animatæ, vt diximus *in lib. de Generat. diſp. 5. qu. 1. §. 5.* Eſto tamen, quod ly *organicum* importaret aliqua accidentia, hæc non ponerentur vt quid terminans eſſentialem animæ habitudinem, ſeu propriam differentiam illius: ſed ſolum deſeruirent ad deſignandum & circumſcribendum terminum eſſentialiter inſpectum ab anima, nempe corpus ſubſtantiale, quod radicat prædicta accidentia.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Vtrum hæc definitio conueniat animæ rationali.

AD perfectam intelligentiam traditæ definitionis oportet exponere, quodnam sit definitum illius, & vtrum omnem animam complectatur. Et quia circa animam vegetatiuam, ac sensitiuam nulla est difficultas; propterea reducitur quæstio ad solam animam rationalem. Nec dubium principaliter procedit circa animam rationalem, quatenus vegetatiua, & sensitiua est: sed de eadem, provt est intellectiua, & distinguitur ab aliis animabus. Porro nec intenditur, quod hæc definitio conueniat animæ rationali, vt rationalis est, ly vt *rationalis* sumpto cum præcisione à ratione generica: nam hoc pacto nec animæ sensitiuæ, vt sensitiuæ, queit prædicta definitio adaptari. Sed sensus est, an sicut in anima sensitiua propria illius differentia est ratio per se contrahens animam vt sic; atque ideo hæc definitio conuenit animæ sensitiuæ, vt sensitiuæ, ly vt *sensitiuæ* reduplicante totam speciem animæ sensitiuæ, vt constantem genere, & propria differentia. Ita esse rationale in anima nostra sit differentia per se contrahens animam vt sic; & consequenter, an definitio animæ vt sic conueniat animæ rationali, vt rationali, ly vt *rationali* reduplicante non præcise differentiam; sed totam speciem, aut quasi speciem animæ nostræ constitutam ex genere, & vltima differentia.

§. I.

Proponitur pars affirmatiua.

24 DIcendum est prædictam animæ definitionem conuenire animæ rationali, vt rationalis est. Hæc est mens Aristot. *in hoc lib. text.* 7. & 8. vbi traditam à se definitionem asserit esse vniuersalem, & omni animæ communem. Quod euidentius apparet ex eo, quod in secunda animæ definitione, nempe *Anima est, qua primo viuimus, sentimus, loco mouemur, & intelligimus*, manifeste comprehendit animam rationalem, quatenus est rationalis, seu principium intelligendi: constat autem vtramque definitionem habere idem definitum, cum vna per alteram demonstretur, vt videbimus *disp. seq. quæst.* 3. Vnde ex mente Philosophi nequit non præsens definitio animam rationalem vt talem, comprehendere. Quamobrem sic docent D. Thom. locis proxime citat. Bañez 1. *p. q.* 75. *art.* 1. Suarez 2. *tomo Summæ Theol. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 1. & communiter Philosophi.

Probatur ratione: quoniam prædicta definitio conuenit essentialiter omni animæ, quæ est vera forma corporis, vt illius verba manifeste significant: sed anima rationalis quatenus rationalis est vera forma corporis: ergo hæc definitio conuenit essentialiter animæ rationali quatenus talis est. Probatur minor tum ex Clementina prima

de

de ſumma Trinitate, & fide catholica, vbi hæc habentur: *Quiſquis deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiua, non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter tanquam hæreticus cenſendus ſit.* Si autem anima rationalis quatenus talis, non eſſet forma corporis, non eſſet *per ſe* forma corporis: cuius oppoſitum determinatur in dicta Clementina. Tum etiam: quia propria differentia ſubſtantiæ corporeæ deſumenda eſt ab eius forma: ſed differentia conſtitutiua hominis, nempe rationale, ſumitur ab anima rationali, vt rationalis eſt: ergo anima rationalis, quatenus talis, eſt vera forma corporis humani, ſeu hominis. Tum præterea: quia ideo anima v. g. ſenſitiua, quatenus talis, eſt vera forma corporis quia tribuit ei gradum ſentiendi; ita vt verificetur animal eſſe formaliter ſenſitiuum ratione animæ: ſed anima rationalis quatenus talis, tribuit homini eſſe rationale; ita vt verificetur quod hæc ſubſtantia corporea, nempe homo, eſt rationalis ratione animæ intellectiuæ: ergo hæc quatenus talis eſt vera forma corporis.

Confirmatur vrgenter quoniam id, à quo oriuntur potentiæ vitales ſubſtantiæ corporeæ, tanquam à principio formali, quo, nequit non eſſe vera forma, & actus corporis: ſed potentiæ ad ridendum, flendum, & admirandum quæ ſunt propria hominis, oriuntur ab anima rationali, quatenus tali, & ſumpta ſecundum vltimam differentiam: & ideo non conuenit aliis animabus radicare prædictas potentias: ergo animæ rationali vt tali conuenit eſſentialiter eſſe veram formam hominis, ac proinde & verum actum corporis humani, quod organicum eſt. Vnde nil deſiderari poteſt vt hæc animæ definitio conueniat animæ rationali, quatenus rationalis eſt. ¶ Ad hæc: vnumquodque habet à ſua forma propriam operationem: ſed homo habet ab anima rationali propriam operationem ratiocinandi: ergo anima rationalis, vt rationalis eſt vera, ac propria hominis forma. Recolantur dicta *in lib. Phyſic. diſp. Phyſic. diſp. 7. q. 3.* vbi ſimilem difficultatem verſauimus.

§. II.

Refelluntur opiniones aduerſæ.

25 PRima ſententia communi placito aduerſa aſſerit prædictam definitionem nullo pacto conuenire animæ rationali: quia exiſtimat animam noſtram non vniri corpori per modum formæ informantis, ſed tantum vt motorem mobili. Ita Plato in Alcibiade, & in Phædone, Simplicius *in hoc lib. text. 7.* Philopon. *text. 11.* & alij ex antiquis. Probatur primo: nam forma, quæ informat, corpus, & cui prædicta definitio poteſt adaptari, debet eſſe in alio tanquam in ſubiecto: nempe in corpore: ſed anima rationalis nequit eſſe in alio; cum ſit forma per ſe ſubſiſtens, vt infra dicemus *lib. 3.* ergo anima noſtra non eſt forma corporis, nec comprehenditur tradita definitione.

Confir-

Confirmatur : quia accidens ſpirituale nequit eſſe in corpore, ſaltem modo permanenti : ergo nec forma ſubſtantialis ſpiritualis. Patet conſequentia ; tum à paritate : tum à fortiori, quia forma ſubſtantialis ſpiritualis nobilior eſt, quam forma accidentalis ſpiritualis : ergo ſi huic repugnat ſeſe dimittere, ac deprimere ad informandum corpus, magis repugnabit illi.

Reſpondetur argumento negando minorem : nam licet ſit contra rationem formæ per ſe ſubſiſtentis eſſe in alio tanquam in ſubiecto inhærentiæ & à quo in exiſtendo dependeat ; minimè vero aduerſatur ei, quod ſit in alio, vt in ſubiecto informationis, à quo in exiſtendo non dependeat, ſed cui potius exiſtentiam communicet. Et hoc pacto anima rationalis eſt in corpore Quod ſatis ſuperque eſt vt ſit forma illius ; cum de iſtius ratione non ſit dependere à ſubiecto; ſed hoc potius atteſtetur imperfectionẽ formæ.

Ad confirmationem, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia : & ratio diſparitatis eſt, quod de ratione accidentis eſt dependere à ſubiecto, etſi fuerit accidens permanens, commenſurari cum illo, ſeu recipi ad modum recipientis. Vnde repugnat, quod accidens ſit permanens, & in corpore ; & quod corporeum non ſit. Forma autem ſubſtantialis, vt anima noſtra, eſt capax propriæ ſubſiſtentiæ: vnde poteſt actuare corpus ; quin ab eo in ſuo eſſe dependeat : & conſequenter, licet ſe inclinet ad informandum ; adhuc excellentiam propriæ ſpiritualitatis conſeruat indemnem.

26 Arguitur ſecundo : quoniam id, quod eſt vera forma corporis habet appetitum illius : ſed anima noſtra nequit habere huiuſmodi appetitum : ergo non eſt vera forma corporis. Probatur minor : nam vnumquodque inclinatur ad ſuam propriam, & nobiliorem operationem : ſed operatio propria, & nobilior animæ rationalis, nempe intelligere, non ita bene exercetur in corpore, quam extra illud ; cum ſit operatio immaterialis : ergo anima noſtra non habet appetitum ad vnionem cum corpore. ¶ Et confirmatur hoc : nam alias anima ſeparata à corpore eſſet in ſtatu violento, ſicut lapis, quandiu extra centrum exiſtit : ſed nihil violentum eſt naturaliter perpetuum : ergo anima ſeparata poſſet naturaliter, ac deberet iterum vniri cum corpore : conſequens eſt abſurdum ; alias res ſemel extincta poſſet virtute cauſarum ſecundarum iterum reproduci, cuius oppoſitum ſtatuimus *in lib. de Generat. diſp. vlt. quæſt. vnica* : ergo &c.

Reſpondetur huic argumento animaduertendo prius, quod anima rationalis eſt quodammodo medium inter formas corporeas, & ſubſtantias omnino ſeparatas : vnde, oportet, quod ex vtroque extremo participet. Qua de cauſa, & duos ſtatus ſibi naturaliter vendicat & duo genera operationum. Nam ob affinitatem cum Angelis queit naturaliter eſſe ſeparata à corpore, exercetque in ſeparationis ſtatu operationes omnino independentes à materia. Ob confinium autem cum formis corporeis petit eſſe

aliquando in corpore, & exercere ſuas operationes dependenter ab illo, ſaltem tanquam à miniſtrante phantaſmata. Ex quibus hic poſterior ſtatus connaturalior eſt animæ noſtræ, tum quia eſſentialiter eſt pars hominis, in cuius proinde conſtitutionem toto appetitu collimat; cum quælibet pars ſit propter totum. Tum quia in corpore exiſtens acquirit propria induſtria, & mediis ſenſibus ſpecies intelligibiles; atque ideo intelligit per viam propriæ inuentionis: at ſeparata nequit comparare ſpecies, ſed eas aliunde recipit; & conſequenter intelligit per modum doctrinæ, & quaſi paſſiuè ſe habendo: ex quibus ille prior intelligendi modus eſt magis connaturalis, cum ſit magis ex propriis, & ab intrinſeco.

Hinc ad argumentum neganda eſt minor: & ad illius probationem patet ex modo dictis, quod licet intelligere abſque conuerſione ad phantaſmata ſit ex genere ſuo magis perfectum, quam intelligere cum conuerſione ad illa: nihilominus non eſt magis connaturale animæ noſtræ, ac proinde nec magis appetibile. Quibus adde primo animam non ſolum eſſe propter operationem intelligendi; ſed etiam propter operationes riſus, & fletus, quas vtpotè ſibi connaturales, appetit exercere, & nequit elicere niſi in corpore. Adde ſecundo præcipuum animæ noſtræ appetitum eſſe ad bonum, & conſtitutionem totius hominis, cuius eſt pars eſſentialis: vnde maxime apperit eſſe in corpore, & refugit ſeparationem ab illo, vt ipſe mortis angor confirmat.

Ad confirmationem neganda eſt ſequela: quia animæ noſtræ non debetur naturaliter eſſe perpetuò in corpore, ſicut lapidi eſſe ſemper in centro; ſed tantum illi conuenit pro determinata vitæ humanæ periodo, eò quod informat dependenter à diſpoſitionibus, quæ continuò tabeſcunt, & tandem dilabuntur. Vnde ex ſuppoſitione, quod præextiterit in corpore, jam appetit ſtatum ſeparationis: quia hic etiam ſtatus eſt ei connaturalis, licet non ſit omnium connaturaliſſimus. Cæterum etſi admitteremus ſtatum ſeparationis eſſe vtcumque violentum animæ noſtræ; adhuc non inferretur fore naturaliter poſſibilem reunionem eius ad corpus. Etenim dupliciter eſt aliquid in ſtatu violento: primo quia habet aliquid poſitiuum ſibi contrarium, vt aqua calida calorem: ſecundo quia caret perfectione ſibi debita, vt homo cæcus, caret viſu. Violentum ergo priori modo non eſt naturaliter perpetuum: quia inter contraria poſitiua eſt continua pugna, & valet qualitas connaturalis deſtruere extraneam, & ſubiectum reducere ad ſtatum ſibi connaturalem. At violentum poſteriori modo non eſt neceſſarium, quod illum ſtatum naturaliter exuat, vt patet exemplo hominis cæci: quia non adeſt in natura principium illius reparationis. Vnde quia ſtatus ſeparationis, ſi eſſet violentus animæ, id non haberet priori modo, ſed poſteriori: propterea non deberet naturaliter interrumpi.

27 Secunda ſententia docet prædictam definitionem conuenire animæ noſtræ, quatenus vegetatiua, & ſenſitiua

sensitiua est; secus vero quatenus est rationalis: nam sub posteriori ratione non est formaliter forma corporis, sed solum identice. Ita Caiet. 1. *p. q.* 76. *art.* 1. *ad* 1. Ferrara 2. *contra Gentes cap.* 85. §. *ad primum horum dicitur.* Et potest suaderi primo: quia si hæc definitio conueniret animæ nostræ, quatenus est rationalis; sequeretur, quod etiam si anima nostra non esset vegetatiua, & sensitiua, adhuc esset vera forma corporis: consequens est absurdum; siquidem secluſa communicatione graduum superiorum, impossibile est, quod gradus inferiores communicentur: ergo hæc definitio non conuenit animæ nostræ formaliter, quatenus est rationalis.

Respondetur negando sequelam, quæ suppositis iis, quæ in limine quæstionis prænotauimus, nullam apparentiam videtur habere: etenim nunquam intendimus, quod anima rationalis, vt rationalis præcisè, & cum exclusione aliorum graduum sit vera forma corporis, & comprehendatur sub definitione ab Arist. tradita. Id quippe neque animæ sensitiuæ competit: quandoquidem si anima equi non esset vegetatiua, nullo pacto esset actus corporis animati, nec illi gradum sentiendi conferret. Sed sensus est, quod ly *vt rationalis* sit differentia per se contrahens animam vt sic, & constituens speciem, aut quasi speciem animæ. Quod proculdubio verum est, vt constat ex dictis.

28 Secundo suadetur eadem sententia: nam idem est animam esse actum primum corporis organici, ac esse radicem potentiarum organicarum, seu quæ recipiuntur in organo: sed anima nostra, quatenus est rationalis, radicat potentias, quæ organis non inhærent, nempe intellectum, & voluntatem: ergo anima nostra quatenus rationalis, non est forma corporis organici. ¶ Confirmatur primò: quia potentia nequit esse abstractior, quam forma substantialis, à qua dimanat: sed intellectus oritur ab anima rationali vt tali; & non recipitur in corpore: ergo anima rationalis, vt talis, non est forma corporis. ¶ Confirmatur secundo: nam vera forma corporis debet esse principium operationis corporeæ: at anima nostra, quatenus rationalis, non est principium operationis corporeæ, sed incorporeæ, nempe intellectionis: ergo anima rationalis, quatenus talis nequit esse forma corporis.

Respondetur argumento animam nostram, vt rationalis est, & acceptam secundum vltimam differentiam esse radicem potentiarum organicarum, & corporalium, nempe potentiarum ad ridendum, & flendum: quod satis euincit ipsam sub prædicta ratione esse veram formam corporis organici. Quod autem sit radix intellectus, & voluntatis, quæ in organo corporeo non recipiuntur; prouenit ex eo, quod anima nostra est forma eminens, & eleuata supra conditiones materiæ: quamobrem debet radicare nonnullas potentias, quæ incorporeæ sint, & spiritualitatem propriæ radicis ostendant. ¶ Vnde patet ad primam confirmationem: nam concedendo præmissas, neganda est consequentia. Quod enim intellectus nequeat recipi in

corpore non prouenit ex exceſſu perfectionis ſupra animam noſtram ſed ex eo, quod eſt accidens ſpirituale permanens, vt ſupra diximus *num.* 25. Et plane huic inſtantiæ ipſi etiam aduerſarij debent occurrere: ſiquidem concedunt animam noſtram eſſe veram formam corporis ſecundum aliquem gradum: cum tamen intellectus ſecundum nullum ſui gradum corpori inhæreat.

Ad ſecundam etiam conſtat ex modo dictis, quod anima rationalis vt talis, & principium operationis corporeæ, videlicet riſus, fletus, & aliarum, quæ licet materiales ſint, ſoli homini conueniunt. Deinde addimus, quod quamvis intellectio huius ſtatus non ſit corporea, id eſt dependens à corpore tanquam à ſubiecto inhæſionis; nihilominus eſt corporea, id eſt, dependens à corpore tanquam à miniſtrante: quod ſatis eſt tum vt habeat rationem motus phyſici, tum vt anima rationalis, quæ vt talis, eſt principium eius, ſit vera forma corporis: operatio enim cuius radix non eſt in corpore, nequit vllo modo à corpore dependere.

DISPVTATIO III.

De ſecunda animæ definitione.

PRÆTER illam animæ definitionem, quam hactenus elucidare ſtuduimus, aliam tradit Ariſtot. *in hoc lib. text.* 12. *&* 24. quæ ſic ſe habet: *Anima eſt id, quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, primo.* Et addit priorem illam definitionem demonſtrari per iſtam. Quod vt explicemus, præſentem inſtituimus diſputationem, quæ non parum conferet ad capeſſendam maiorem quidditatis animæ notitiam.

QVÆ

QVÆSTIO I.

An secunda animæ definitio sit bona?

§. I.

Explicatur, & approbatur prædicta definitio.

1 DIcendum est dictam definitionem esse legitimam. Ita omnes Philosophi, qui tradita ab Aristot. vt par est, reuerentur. Cuius assertionis veritas nequit alia via euidentiùs ostendi, quàm explicando singulas huius definitionis particulas: quod breuiter præstare curabimus. Illa prima particula *quo* designat, quod anima est principium vitæ non per modum suppositi, & vt *quod*, sed tantum per modum principij formalis, & vt *quo*. Vnde licet aliqua anima, nempe rationalis subsistat vt *quod*; attamen indispensabiliter petitur, quod sit pars intrinseca viuentis, & illud constituat vt principium *quo*, & actus primus ipsius. Quod quia repugnat Deo, & Angelis, ideo nequeunt habere rationem animæ.

Additur illa particula *viuimus*. Pro cuius intelligentia nota, quod *viuere* absolute prolatum sumitur dupliciter: primo significat gradum communem viuendi abstractum à particularibus differentijs vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: secundo *viuere* significat specialiter hoc, quod est *viuere vita vegetatiua*. Nam quia anima vegetatiua est separabilis à vita sensitiua, & rationali vt apparet in plantis, & non è conuerso: ideo *viuere* potest absolute prolatum designare solam vitam vegetatiuam, vt obseruat D. Thom. *in præsenti text.* 25. *lect.* 4. Illa ergo particula *viuimus* in hac definitione posita non designat vitam in communi; sed sumitur determinate pro vita vegetatiua, vt docent Ferrar. *hic quæst.* 4. Bañez 1. *p. quæst.* 75. *art.* 1. *dub.* 3. & alij quibus præluxit S. Doct. vbi proxime dicens: *Anima est primum, quo, & viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus. Et referuntur hæc quatuor ad quatuor genera vitæ; de quibus superiùs fecerat mentionem: viuere enim refert ad principium vegetatiuum.* Ratio est: quia Aristot. intendit per hanc definitionem explicare naturam animæ in ordine ad suas operationes: ergo sicut designauit alias operationes vel gradus per ly *sentimus*, *mouemur*, & *intelligimus*, ita significauit operationem, aut gradum vegetandi per ly *viuimus*. Aliàs si hæc particula solùm importaret vitam in communi; deberet addi alia particula, nempe, *vegetamus*, quæ hunc peculiarem viuendi gradum significaret.

2 Sequuntur aliæ particulæ *sentimus*, *mouemur*, & *intelligimus*, quæ peculiaria animæ officia designant. Porro harum particularum, sicut, & præcedentis valet esse duplex acceptio, vt sumitur ex D. Thom. 2. *Cœlo textu* 17. *lection.* 4. Primo enim possunt significare ipsas

operationes viuendi, sentiendi &c. Secundo gradum, seu principium proprium illarum. In præsenti autem hoc posteriori sensu accipiendæ sunt, tùm quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem, tum etiam quia hæc definitio deseruit ad demonstrandam illam priorem : id autem fieri non posset, si dictæ particulæ significarent ipsas operationes ; cùm eæ sint materia contingens, & demonstrationi inepta.

Tandem ponitur illa particula *primo* ad significandum, quod anima est principium radicale eliciendi prædictas operationes : in quo distinguitur à potentijs vitalibus, quæ proxime ad operandum concurrunt. Designat etiam, quod anima ita est principium operationum vitalium, vt hæc ratio non conueniat ratione alicuius prædicati superioris, sed secundum propriam animæ differentiam, ac proinde *per se*, & secundum quod ipsa est. Quæ omnia cum apprimè declarent naturam animæ ; plane suadent, & euincunt prædictam definitionem esse legitimam : vnde alia probatio superuacanea esset.

§. II.

Diluuntur aliquæ obiectiones.

3 SEd quamvis assertio communis sit adeo certa, aliqua aduersus eam opponemus, vt ex eorum enodatione verior appareat. Ergo primo obijcies : anima est communis nobis, & alijs animatis : ergo non debuit definiri per ly *viuimus, sentimus* &c. sed per *viuitur*, & *sentitur* : ly enim *viuimus* restringit animam ad ea, quæ sunt in nobis : ly autem *viuitur* eam indeterminatam relinquit.

Respondetur negando consequentiam, quam inferta probatio minime suadet : quoniam ly *viuimus* &c. non restringit animam ad ea, quæ sunt propria solius hominis ; sed supponit pro ijs, quæ homini, & aliis animatis sunt communia. Nam cùm omnia viuentia conueniamus ad inuicem, & distinguamur ab Angelis in hoc, quod est elicere operationes vitales à materia dependentes ; merito in hoc vt vnum quid computamur : quamobrem optimo jure tam homines, quam omnia viuentia possumus, & debemus per ly *viuimus* &c. significari.

4 Secundo obijcies : nam esse principium motus localis conuenit animæ non ex eo, quod sit anima ; sed quia est forma substantialis : hæc enim quæcumque sit, debet esse principium motus proprij compositi : ergo illa particula *mouemur* minus recte ponitur in hac definitione ; cùm in ea recenseri dumtaxat debeant, quæ sunt propriæ animæ, vt talis. ¶ Respondetur ly *mouemur* non designare quemcumque motum, sed progressiuum, & vitalem. Esse autem principium *quo* huiusmodi motus solum conuenit animæ, in quantum talis est ; atque ideo citra vitium additur ly *mouemur*.

5 Tertio obijcies : quoniam tres tantum sunt species animarum, nimirum vegetatiua, sensitiua, & intellectiua,

tellectiua, & sufficienter innotescunt, per proprios actus videlicet per vegetare, sentire, atque intelligere: ergo illa particula *mouemur* superfluè additur; cum non designet peculiarem actum alicui animæ correspondentem. ¶ Respondetur negando consequentiam: nam Aristot. intendit adducere definitionem animæ valde claram, & per quam definitio prius tradita demonstretur: motus autem progressiuus est valde notus, & aperte manifestat principium vitale: vnde satis conuenienter inter alias animæ operationes recensetur.

6 Quarto, & principalius oppones: quoniam definitum huius definitionis est anima vt sic, vt constat ex Aristot. *cap.* 2. *text.* 2. vbi inquit velle se iterum definire animam, quam prius definierat, quæ in omnium sententia est anima in communi: sed hæc definitio non conuenit animæ vt sic: ergo est vitiosa. Probatur minor: quia si hæc definitio conueniret animæ vt sic, deberet etiam conuenire cuiuis animæ in particulari, quæ sub anima vt sic continetur: at sic est, quod nequit adaptari pluribus animabus; quandoquidem anima plantæ non est principium sentiendi, nec anima bruti est principium intelligendi, vt ex se liquet: ergo hæc definitio non conuenit animæ vt sic.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum est quod quando dicitur *animam esse principium viuendi, sentiendi, & intelligendi*, non fit sensus copulatiuus, nec etiam disiunctiuus; sed magis distributiuus per distributionem accommodam. Neque enim oportet, quod omnes eæ operationes simul sumptæ conueniant cuilibet animæ, vt obiectio recte conuincit: sed satis est, quod vbicumque istæ operationes, vel seorsim, vel simul inueniantur; earum principium sit anima. Vnde sensus definitionis est: Anima est principium vegetandi in his, quæ vegetant, & sentiendi in his, quæ sentiunt, & intelligendi in his, quæ intelligunt; atque ideo est principium viuendi, vbicumque vita inueniatur. Quod quidem conuenit & animæ in communi, & cuiuis animæ in particulari. Videantur quæ diximus *in lib. Phys. disp. 7. q. 1.* exponêtes definitionem naturæ, quæ huic simillima est.

Secundam, nec contemnendam solutionem adhibet huic difficultati Ferrara *in hoc lib. 9. qu. 4.* qui existimat animam in communi acceptam definiri in præsenti, non quidem per differentiam sibi adæquatam, & sui constitutiuam, sed per differentias sibi inferiores, & sui diuisiuas. Vnde non oportet, sed potius repugnat, quod hæc definitio adæquatè accepta conueniat cuilibet animæ in particulari: sed satis est, quod aliquid illius conueniat alicui in particulari, & aliud alij, & omnia soli illi animæ, quæ cæteras continet eminenter, vti se habet anima nostra. Neque hinc fit, quod hæc potius sit diuisio, quam definitio: nam ad putam diuisionem requirebatur, vt diuisum respiceret inferiora tanquam inclusum in illis. Cùm autem aliquid definitur per suas differentias inferiores solum respicit eas, vt quid determinabile per illas. Quod ad notitiam

notitiam rei definitæ non parum cõfert. Præterquam quod nullum est inconueniens, quod hæc definitio sit etiam virtualiter quædam diuisio: quippe conceptus communis multum innotescit per inferiora, quæ respicit.

QVÆSTIO II.

Vtrum hæc animæ definitio sit essentialis?

QVæ in quæstione sequenti dicemus exponentes, qualiter vna animæ definitio demonstretur per aliam, pendent ex resolutione præsentis difficultatis, cui proinde damus priorem locum.

§. I.

Respondetur negatiue.

7 DIcendum est hanc definitionem non esse essentialem, sed descriptiuam. Ita Aristot. *cap. 2. textu 12.* vbi D. Thom. *lection. 3.* Ferrar. *q. 4.* Bañez *1. p. q. 75. a. 1. dub. 3.* & alij plures. Fundamentum est: quoniam definitio, quæ non datur per primam, & essentialem rationem definiti, sed per aliquid posterius, & subsequutum, nequit esse essentialis: huiusmodi autem est præsens animæ definitio: ergo non est essentialis, sed descriptiua. Probatur minor, tum ex D. Th. qui *loc. cit.* inquit: *Manifestum est autem, quod demonstratio est ex posteriori: ex eo enim, quod anima est actus corporis viuentis, est principium operum vitæ, & non è conuerso.* Tum etiam quia sicut prius est esse, quam operari; ita in anima prius est esse principiũ essendi, quam esse principium operandi: ergo cùm anima definitur per esse principiũ viuendi, sentiendi &c. non definitur per primariam, & essentialem rationem, sed per posteriorem, & subsequentem. Tùm præterea, quia corpus animatum non ideo est, quia operatur; sed è conuerso ideo est principium eliciendi tales operationes, quia habet talem essentiam; atque ideo esse principium operandi non est conceptus primarius, & essentialis, sed secundarius, & consequutus: ergo idem de anima dicendum est: quandoquidem ipsa habet vt *quo* id, quod animato competit vt *quod*.

8 Respondebis primo: quod licet in ordine executionis prius sit in anima esse principium essendi, quam principium operandi; nihilominus ordine intensionis prius est esse principium operãdi, quam principium essendi: nam esse est propter operari tanquam propter finem: & ideo idem ordo inter principia vtriusque seruandus est. Hoc autem sufficit, vt anima definiatur per aliquid prius, saltem in genere causæ finalis: & consequenter dicta definitio non erit descriptiua, sed essentialis. ¶ Sed hoc nihil est: quia esse substantiale non ordinatur ad operari, vt ad finem cuius gratia, vt diximus *in libr. Physic. disp. 10. q. 2.* ac proinde nec

oportet

opportet, quod principium essendi ordinetur ad principium operandi. Porrò illud axioma: *Esse & propter operari*, non intelligitur de esse substantiali secundum se accepto, sed vt constituto per potentias immediatè operatiuas, & ly *propter* cadente adæquatè suprà illas.

9 Respondebis secundò non sequi ex eo, quod anima prius sit principium essendi, quam operandi, quod hic posterior conceptus sit extrà eius essentiam adæquatam: fieri enim optimè potest, quod vtraque ratio spectet ordine quodam ad quidditatem animæ, & ad cõstitutionem adæquatam illius. ¶ Sed contrà: quoniam in creatis ordo essendi, & ordo operandi sunt duo ordines adæquatè diuersi, quorum vnus non pertinet intrinsecè ad alterum, licet vnus alterum præsupponat: repugnat autem quod eadem essentia pertineat intrinsecè ad ordines adeò distinctos: ergo si esse principium essendi pertinet ad quidditatem animæ; nequit ad eandem quidditatem spectare, quod sit principium operandi: alias eadem simplex quidditas collocaretur essentialiter in ordinibus diuersis.

Confirmatur, & explicatur: nam quoties duæ rationes inadæquatæ constituunt vnam, & eandem rationem specificam; neutra comparatur ad alteram per modum proprietatis illius, sed ex æquo se habent ad prædictam constitutionem: atqui in anima esse principium essendi, & esse principium operandi ita comparantur, quod hoc se habeat vt proprietas respectu illius; siquidem ideò anima habet talem virtutem radicalem ad operandum, quia habet talem essentiam: ergo nequit vtraque ratio spectare intrinsecè ad quidditatiuam constitutionem animæ; sed esse principium operandi debet esse extra quidditatem illius.

10 Dices ex dictis sequi, quod prior animæ definitio non sit quidditatiua; quandoquidem illa particula *potentia vitam habentis* significat animam esse principium radicale operandi: consequens est contra omnes Philosophos: ergo doctrina hucusque tradita admittẽda non est. ¶ Respondetur negando sequelam, tum quia illa particula posita dumtaxat est ob majorem claritatem, vt diximus *disp. præced. numer.* 18. & absque illa saluatur adæquatè quidditatiua animæ definitio. Tum etiam quia illa particula in rigore non significat animam secundum essentiam consideratam esse principium radicale operandi, sed solùm esse id, ad quod sequitur conceptus prædicti principij. Vnde adhuc saluatur, quod sit definitio essentialis: quia licet ad essentiam nõ pertineat intrinsecè esse principium radicale operandi; pertinet tamen esse id, ex quo conceptus principij, seu ratio naturæ sequatur.

§. II.

Occurritur argumentis.

11 PRo contraria sententia referuntur B. Albert. *lib. 2. de Anima tract. 1. cap. 4.* Caiet. *ibidem. q. 4.* Themistius, Philoponus, & alij

alij. Quæ poteſt ſuaderi primò : nam eſſe principium operandi conuenit eſſentialiter animæ : ergo cùm anima definitur per eſſe principium operandi, definitio eſt eſſentialis. Probatur antecedens : quia ly *primò* in hac definitione poſitum ſignificat, quod prædicta ratio conuenit animæ non ratione alicuius accidentis, vel prædicati ſuperioris, ſed *per ſe*, & ratione ſuæ differentiæ eſſentialis : hoc autem idem eſt, ac conuenire eſſentialiter : ergo.

Reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationem dicendum eſt ly *primò* ſignificare, quod eſſe principium eliciendi operationes vitales non conuenit animæ ratione alicuius prædicati generici, vel ratione alicuius accidentis ſuperadditi : ſed ratione ſuæ vltimæ differentiæ eſſentialis. Ad quod non requiritur, quod prædicta ratio pertineat intrinſecè ad ipſammet differentiam ; ſed ſatis eſt, quod fundetur in ea, & ad illam per ſe conſequatur. Ex quo non infertur, quod conceptus principij radicalis operandi ſit prædicatum eſſentiale animæ ; ſed ſolùm quod ſe habeat ad inſtar proprij quarto modo.

12 Arguitur ſecundò : quia ſicut natura vt ſic eſſentialiter eſt principium motus, in quo eſt, non determinando ſpeciem motus ; & per hoc eſſentialiter definitur, vt diximus *in lib. Phyſic. diſp. 7. q. 1. §. 2.* ita talis natura habet eſſentialiter eſſe principium peculiarium motuum illius entis in quo eſt : ſed anima eſt quædam natura : ergo eſſentialiter definietur per hoc, quod ſit principium motuum vitalium ; hoc autem affert prædicta definitio : ergo eſt eſſentialis.

Reſpondetur rem, quæ eſt natura, poſſe bifariam accipi, nempè ſub conceptu quidditatis, vel ſub conceptu naturæ. Quamuis enim eadem res ſimul ſit realiter, & identice quidditas, & natura ; nihilominus conceptus naturæ diuerſus eſt à conceptu eſſentiæ : quia natura deſignat rem vt eſt principium operandi ; quidditas verò ſignificat rem, vt eſt principium eſſendi : vnde conceptus naturæ non pertinet intrinſece ad quidditatem rei, ſed conſequitur ad eam juxta ea, quæ diximus §. *præced.* Quia ergo in loco citato *ex lib. Phyſic.* definitur proprius conceptus naturæ, vt natura eſt ; merito aſſeritur illam definitionem eſſe eſſentialem : eò quod proprius, & primarius conceptus naturæ, vt natura eſt, conſiſtit in eo, quod ſit principium motus Phyſici. Licet enim conceptus naturæ ſequatur ad conceptum eſſentiæ ; hic tamen non pertinet intrinſece ad ordinem naturæ, ſed præintelligitur adæquatè ante illum. Vnde argumentum proculdubio concluderet, ſi anima definiretur in præſenti ſub conceptu naturæ, ſeu quatenus natura eſt. At non ita res ſe habet : quoniam idem eſt definitum in hac, & præcedenti definitione, vt tradunt communiter Philoſophi : quare cùm certum ſit animam ſumptam ſecundum ſuam eſſentiam fuiſſe prius definitam, idem aſſerendum eſt in hac vltima definitione. Diuerſitas autem inter

vtramque

vtramque definitionem in eo est, quod in priori explicatur essentia animæ per conceptum quidditatiuum eius; in posteriori verò per aliquid se habens ad instar proprietatis: quamobrem illa est essentialis: hæc autem descriptiua.

13 Arguitur tertiò, & replicatur contra præcedentem solutionem: quoniam Aristoteles agit de anima, eamque definit, quatenus pertinet ad considerationem physicam: at anima pertinet ad hunc tractatum sub ratione naturæ; quandoquidem objectum totius Philosophiæ est ens naturale, quatenus tale: ergo hic definitur anima, quatenus habet rationem naturæ, sub quo conceptu conuenit ei essentialiter prædicta definitio, vt modo à nobis concessum est. ¶ Sed hoc parum vrget: quia ad Philosophum pertinet agere de principiis entis naturalis, tùm in esse rei, tùm in esse scibilis, & ideò Aristoteles tractauit de illis sub priori consideratione *in lib.* 1. *Physic.* & sub secunda in secundo. Vnde nequit ex vi huius concludi, quod in præsenti definierit animam consideratam sub ratione naturæ: sed potius concluditur oppositum, vt hactenus vidimus.

QVÆSTIO III.

Qualiter prior animæ definitio per hanc vltimam demonstretur.

SVpponimus in hac quæstione priorem animæ definitionem demonstrari per hanc posteriorem, tùm quia hic est concors Philosophorum sensus cum Aristotele *in hoc lib.* 2. *cap.* 2. tùm quia id apertè ipsamet demonstratio euincit. Etenim id, quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, est actus primus corporis physici organici, seu viuentis; quandoquidem quodlibet ens naturale operatur per formam, per quam tanquam per actum primum constituitur: atqui anima est id, quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus: ergo anima est actus primus corporis physici, organici, seu viuentis. Vbi vt vides, consequentia est legitima, & priorem definitionem infert ex secunda. Difficultas autem est, vtrum hæc demonstratio sit à priori, seu, quod idem est, per aliquid prius non solum in cognosci, & quoad nos, sed etiam secundum naturam & in esse rei. Cuius resolutio, licet *ex dictis quæst. præced.* haud obscurè appareat, euidentior fiet ex dicendis.

§. vnicus.

Defenditur ſententia Diui Thomæ.

14 DIcendum eſt hanc demonſtrationem eſſe à poſteriori. Sic docent Auctores *num.* 7. relati, & eſt expreſſa ſententia D. Th. *in præſenti textu* 12. *lect.* 3. vbi ſimul, & mentem Philoſophi, & noſtram aſſertionem probat his verbis: *In quibuſdam eadem ſunt notiora quoad nos, & ſecundum naturam, ſicut in Mathematicis: & in his demonſtratio procedit ex notioribus ſimpliciter, & notioribus ſecundum naturam, ſcilicet ex cauſis in effectus. Vnde dicitur demonſtratio propter quid. In quibuſdam verò non ſunt eadem magis nota ſimpliciter, & quoad nos, ſcilicet in naturalibus: in quibuſdam plerumque effectus ſenſibiles ſunt magis noti ſuis cauſis: & ideò in naturalibus, in pluribus proceditur ab his, quæ ſunt minus nota ſecundum naturam, & magis nota quoad nos, vt dicitur in* 1. *Phyſic. Et hoc modo demonſtrationis intendit hic vti. Et hoc eſt quod dicit, quod quia illud, quod eſt certum ſecundum naturam, & quod eſt ſecundum rationem notius, fit certius quoad nos ex his, quæ ſunt incerta ſecundum naturam, certiora autem quoad nos; per iſtum modum tentandum eſt iterum aggredi de Anima, demonſtrando definitionem eius ſuprà poſitam.*

Fundamentum eſt: quoniam ſyllogiſmus in quo eſſentia demonſtratur per proprietates, aut aliquam rationem poſteriorem, non eſt demonſtratio à priori, vt ſtatuimus *in Logica diſp.* 18. *q.* 3. ſed prior animæ definitio eſt eſſentialis, poſterior verò ſolùm eſt deſcriptiua, & per rationem ſe habentem ad inſtar proprietatis, vt oſtendimus *quæſt. præced.* ergo demonſtratio, in qua prima animæ definitio probatur per ſecundam, non eſt à priori, ſed à poſteriori.

15 Nec refert ſi objicias *primò*, quod Ariſtot. intendit per ſecundam definitionem oſtendere primam tanquam per cauſam non ſolum in apparere, & quoad nos, ſed etiam in eſſe, & ſecundum rem, vt ipſa Philoſophi verba euincunt: *Tentandum eſt* (inquit) *iterum aggredi de ipſa*, nempè anima: *non enim ſolum, quod ſit, oportet definitiuam rationem oſtendere, ſed cauſam in eſſe, & apparere.* Quod etiam ſuadet exemplum quo vtitur quadrationis quadranguli, cuius adducit duas definitiones, quarum prima explicat, quod ſit, & ſecunda cauſam eius ſecundum eſſe. Secundò: nam licet operatio ſit effectus animæ in genere cauſæ efficientis: attamen eſt cauſa illius in genere cauſæ finalis: ergo ſecunda definitio datur per aliquam rationem à priori, & conſequenter poterit deſeruire, vt prior definitio demonſtretur à priori per illam. Quod amplius declarari valet exemplo potentiæ vitalis proximè operatiuæ: hæc quippè reſpicit operationem vt finem, & definitur per eam, ſicut per aliquid prius in genere cauſæ finalis. ¶ Tertiò: quia licet operatio

ratio non esset finis animæ; nihilominus hoc, quod est esse principium radicale operandi, nequit non habere rationem finis respectu ipsius sumptæ secundum munus essentiæ: quoniam anima non intenditur à natura, vt sit otiosa; alioquin ad nihilum deseruiret; qua ratione Aristot. 2. *de Cœlo cap.* 3. probat, quod si aliqua substantia est immobilis, debet illius operatio esse æterna; ne scilicet sit frustra absque operatione: cum ergo per esse principium operandi demõstretur essentia animæ; sequitur prædictam demonstrationẽ esse à priori.

Hæc inquam non referunt; ad primum enim respondetur, quod vt Aristot. demonstraret à posteriori primam animæ definitionem per secundam præmisit illam generalem regulam. *Non enim solum, quod sit*, &c. quæ non vniuersaliter, sed per distributionem accommodam exponenda est. Oportet enim aliquando ostendere causam rei secundum esse: ad quod explicandum adducit Aristoteles exemplum quadrationis quadranguli. Aliquando verò satis est afferre causam rei in cognosci, seu quoad nos, & secundum apparere: & hoc posteriori modo prima animæ definitio demonstratur per secundam, vt ipsa Philosophi verba conuincunt, sic enim habet: *Quoniam autem ex incertis quidem, sed tamen manifestioribus certum fit id, quod secundum rationem notius est, tentandum est iterum sic aggredi de ipsa, nempè anima.* Vbi apertè asserit se in hac demonstratione procedere ab iis, quæ sunt manifestiora quoad nos ad id, quod est notius secundum se.

Ad secundum constat ex supradictis *num.* 8. *& lib. Physicor. disp.* 10. *quæst.* 2. vbi latè ostendimus non posse substantiam specificari ab operatione, nec illam vt finem respicere. Exemplum autem illud potentiæ proximè operatiuæ nihil suadet: quoniam hæc potentia in creatis semper est accidens, cui proindè minimè repugnat, quod ad alterum accidens nempè ad operari ordinetur ob exigentiam, & perfectionem substantiæ.

Ad tertium dicendum est animam secundum suam essentiam consideratam intendi à natura, vt sit: magna quippè pulchritudo accrescit vniuerso, ex eo, quod in illo sint variæ essentiæ afferentes diuersos gradus perfectionis. Intendit etiam natura eandem animam sub conceptu naturæ acceptam, vt sit principium operandi: quia hoc etiam cedit in maximum bonum vniuersi. Hinc verò minimè infertur, quod anima, vt est principium essendi, sit propter se ipsam, vt est principium operandi. Sicut licet natura intendat tum, quod homo sit, tum quod sit risibilis, minimè sequitur, quod essentia hominis sit propter risibilitatem: sed potius debet inferri oppositum, nempè quod proprietas, vel id, quod habet rationem proprietatis, ordinetur ad essentiam tanquam ad finem. Dictum autem Philosophi *ex* 2. *de Cælo* ideò verificatur, quia natura vt constituta per potentias proximè operatiuas, & ratione

illarum respicit operationem : & ideò frustrà videretur sub prædicto conceptu esse, si ab omni operatione cessaret. Ex quo tamen non sequitur, quod ratione sui ordinetur ad operationem, sicut ad finem, vt constat ex dictis.

DISPVTATIO IV.

De diuisione animæ, & modorum viuendi.

POSTQVAM explicuimus quidditatem animæ per illius definitionem tàm quidditatiuam quàm descriptiuam; rectus ordo postulat, vt tradamus diuisionem illius, & modorum viuendi eidem conuenientium : hoc enim plurimum lucis afferet ad illius naturam altius cognoscendam.

QVÆSTIO I.

Vtrum diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam sit recta?

QVamuis huius diuisionis fundamentum innitatur majori ex parte auctoritati Aristot. & antiquorum Philosophorum (quibus oportet vt juniores stemus tum in definitionibus, tum in diuisionibus rerum : quia hæc se habent vt prima principia, de quibus non debet esse concertatio, vel diffidium) nihilominus præsentem difficultatem agitabimus, vt ex rationibus tàm propriis, quàm aduersis prædicta diuisio dilucidior appareat.

§. I.

Probatur communis, & recepta diuisio.

1 DIcendum est animam rectè diuidi in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Ita D. August. 8. *de Ciuit. Dei cap.* 8. D. Th. 1. *p.*

1. *p. qu.* 78. *art.* 1. Bañez *ibidem*, Ferrara, Flandria, & Zanardus in præsenti, Suarez *tract.* 3. *de Anima lib.* 1. *cap.* 4. & communiter omnes Philosophi, quibus præluxit eorum Princeps Arist. *in hoc lib. c.* 3.

Fundamentum ex Aristot. desumptum potest reduci ad hanc formam: quoniam tot sunt animæ, quot sunt modi, quibus operatio animæ excedit operationem formæ inanimatæ; quandoquidem hæc diuersa eleuatio in operando optimè ostendit diuersitatem essentialem cùm animæ à re inanimata, cùm animarum inter se: sed ij modi eleuationis sunt tres: tot ergo, & non plures sunt animæ. Suadetur, & explicatur minor: nam aliqua operatio animæ excedit omnem naturam corpoream, vtpotè quæ nequit exerceri per organum corporale, aut in eo recipi, qualis est intellectio: & huic correspondet anima intellectiua. Alia autem est operatio, quæ licet exerceatur per organum corporale; nihilominus non fit mediis qualitatibus purè elementalibus, vti est calor, vel quæ ex illarum permixtione resultant, vti est color: sed fit mediis qualitatibus non parum subtilibus, & depuratis, quales sunt potentiæ sensitiuæ, & appetitiuæ: & huic operationi correspondet anima sensitiua. Deinde alia est operatio, quæ licet exerceatur per organum corporale, & mediis primis qualitatibus; attamen supergreditur operationem rei inanimatæ in hoc, quod operatio rei inanimatæ debet esse à principio extrinseco; hæc autem operatio animæ debet esse à principio intrinseco, & se mouente per modum causæ principalis: & huiusmodi sunt nutritio, generatio, & aliæ operationes, quibus anima vegetatiua respondet. Cùm ergo nequeat excogitari alius eleuationis modus, quo operatio animæ excedat operationem rei inanimatæ; sequitur prædictos modos esse tantùm tres, & consequenter totidem esse animas, nempè vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam.

Confirmatur, & explicatur amplius. Quoniam eleuatio animæ suprà rem inanimatam potest considerari vel ex parte modi operandi, vel ex parte rei operatæ. Et quidem si attendamus ad modum operandi, licet anima purè vegetatiua, & forma inanimata conueniant in re operata, eo quod vtraque acquirit esse omninò materiale; attamen in modo acquirendi maximè distinguuntur: nam res inanimata mouetur omninò ab extrinseco; anima verò vegetatiua est principium motus à se: vnde nequit non excedere rem inanimatam, & peculiare genus animæ constituere. Si autem consideremus rem operatam, omnis anima cognoscitiua plurimum supergreditur rem inanimatam, & animam præcisè vegetatiuam: eo quod alia non fiunt vllo modo alia à se; anima verò cognoscitiua, media specie repræsentatiua obiecti, fit intentionaliter ipsum obiectum cognitum, vt infrà declarabimus *disputat.* 17. *quæstione* 4. Porrò si huiusmodi species seu similitudo obiecti fuerit omninò immaterialis,

terialis, & apta ad repræsentandum naturas vniuersales, petit animam immaterialem, videlicet intellectiuam. Si autem solùm fuerit aliquo modo immaterialis, quia tantùm repræsentat rationes particulares; petit animam aliquo modo immaterialem videlicet sensitiuam; hæc quippè etsi corporea sit, multum eleuatur suprà res inanimatas, & accedit ad immaterialitatem animæ intellectiuæ. Quare cùm non possimus aliam eleuationem excogitare; sequitur diuisionem animæ traditam à Philosopho esse adæquatam.

2 Ex quibus etiam infertur prædictam diuisionem esse suo modo vniuocam, & generis in species. Tum quia cuiuis ex prædictis animabus conuenit rigorosè, & cum omni proprietate definitio animæ vt sic. Tum etiam, quia ita se habet anima ad animam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, sicut animatum vt sic ad plantam, animal, & hominem: constat autem animatum esse vniuocum, & genus ad illa inferiora; cùm directè constituatur suprà illa in prædicamento substantiæ: ergo idem de anima vt sic asserendum est. Quod etiam docent Aristot. *in hoc lib.* 2. *cap.* 1. D. Thom. 2. *contra gentes cap.* 60. Ferrara *ibidem*, & communiter Interpretes. Diximus *esse suo modo vniuocam*, &c. quoniam anima est quid incompletum in genere substantiæ: vnde non est capax rigorosæ vniuocationis, aut rationis genericæ, nec denominatur ab illis vt *quod*, sed præcisè vt *quo*.

Vbi etiam obserua, hanc diuisionem, si ad omnia inferiora simul sumpta attẽdamus, neque esse in species infimas, neque in species subalternas; sed partim vnum habere, & partim aliud. Nam ex parte animæ intellectiuæ est diuisio in speciem infimam: eò quod prædicta anima nequit vlterius diuidi in animas specie differentes. Ex parte verò animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ est diuisio in species subalternas: quia vtraque anima continet sub se alias innumeras animas essentialiter diuersas, sicut sub planta innumerabiles arbores, & sub animali infinita bruta continentur. Oportuit autem harum specierum in prædicta animæ diuisione non meminisse, tum quia esset in infinitum procedere: tum, & præcipuè, quia hic diuiditur anima penes diuersum genus eleuationis suprà rem inanimatam: omnes autem animæ vegetatiuæ important idem eleuationis genus, quod conuenit animæ vegetatiuæ vt sic, neque illam trahunt ad nouum genus, vel eleuatiorem ordinem: idemque dicendum est de animabus sensitiuis.

§. II.

Aliquæ objectiones, & earum solutio.

3 Licet prædicta animæ diuisio sit adeò recepta, videtur nihilominus impugnari aliquibus objectionibus, quibus opus est respondere. Primò igitur objicies: quia in diuisione animæ debuit anima locomotiua specialiter recenseri: ergo cùm in hac diuisione non afferatur, sequitur illam esse diminutam,

tam, ac perinde vitiosam. Probatur antecedens, cùm quia anima locomotiua habet veram rationem animæ; cùm sit actus primus corporis physici, organici &c. ergo debuit inter alias animas numerari. Tùm etiam, nam ideo fit mentio aliarum animarum, quia sunt principium peculiaris actionis vitalis, vtputa sentiendi: sed anima locomotiua etiam est principium peculiaris actionis vitalis, nempe motus localis: ergo. Tum præterea, nam ex eo, quod in definitione animæ ponantur illæ tres particulæ, *viuimus*, *sentimus*, & *intelligimus* bene colligitur esse tres animas, videlicet vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam: sed in dicta definitione ponitur etiam ly *mouemur*: ergo præter dictas animas recensenda erat in præsenti anima locomotiua. Tum denique, quoniam ex eo numerantur in præsenti anima sentiua, & intellectiua, quia licet vtraque contineatur sub vegetatiua; hæc tamen est ab illis separabilis, vt apparet in plantis: sed etiam anima sensitiua est separabilis à locomotiua, vt constat in ostris, quæ sentiunt, & non mouentur secundum locum: ergo debuit anima locomotiua in hac diuisione specialiter recenseri.

Huic obiectioni respondetur negando antecedens: quoniam anima in præsenti diuiditur in animas, quibus conueniunt primi, & generales modi eleuationis formæ animatæ supra inanimatam. Hi autem tantum sunt tres, vt constat ex supradictis: ex quibus primus conuenit animæ vegetatiuæ, secundus sensitiuæ, & tertius intellectiuæ. Anima vero locomotiua non affert aliquem specialem eleuationis modum genere diuersum ab eo, quem dicit anima sensitiua; sed sub illa adæquate continetur. Quamvis enim anima locomotiua nonnihil eleuetur supra animam præcisè sensitiuam: hæc tamen eleuatio non constituit nouum genus, aut quod idem est, ordinem secundum modum vitæ eleuatiorem. Vnde sicut in præsenti non fit mentio animæ v. g. platani, quia licet addat differentiam specificam, & nonnihil eleuationis supra animam vegetatiuam vt sic; tamen hæc eleuatio non inducit nouum ordinem, sed intra genus plantæ continetur: ita neque oportet vt fiat mentio animæ locomotiuæ, quia tota istius eleuatio est de genere animæ sensitiuæ, & sub illo continetur. Vnde patet ad omnes illius antecedentis probationes: in omnibus quippe redditur non causa pro causa, vt eas diluendo constabit.

Ad primam negatur consequentia: quia anima non diuiditur in præsenti in omnes animas, quibus conuenit animæ definitio; alias innumeræ deberent recenseri, quod est absurdum: sed diuiditur in animas importantes modum eleuationis vniuersalissimum, & genere ab alijs diuersum. Anima autem locomotiua illum non affert, & ideo conuenienter omittitur. ¶ Ad secundam respondemus non ideo alias animas in præsenti supputari, quia sint principium actionis vitalis vtcumque; sed quia

sunt principium actionis dicentis nouum genus eleuationis. Quod quia non competit animæ loco motiuæ, ideo non recensetur in præsenti. ¶ Ad tertiam dicendum est illas particulas *viuimus*, *sentimus*, & *intelligimus* significare primos, & generaliſſimos modos eleuationis animæ supra rem inanimatam: vnde ex illis colligitur tria esse genera animarum jam recensita. Id vero non significatur per ly *mouemur*: & propterea non infertur, quod anima locomotiua debeat specialiter recenseri. ¶ Ad vltimam respondetur, non ex eo dinumerari in præsenti animam sensitiuam, & intellectiuam, quia anima vegetatiua sit ab illis separabilis, sed quia supra animam vegetatiuam addunt modos eleuationis genere differentes. Quod cum non conueniat animæ locomotiuæ respectu sensitiuæ; idcirco non constituit speciale genus animæ, sed sub sensitiua in eodem genere continetur.

4 Secundo obijcies: quoniam forma pure vegatatiua non est vere anima: ergo non recte anima vt sic diuiditur in illam. Probatur antecedens *primo*: quia anima debet habere actiones immanentes; id quippe est de ratione operationis viralis, & propriæ formæ animatæ: sed forma purè vegetatiua nullam habet actionem immanentem; quandoquidem nutritio recipitur in alimento, & generatio in eo, quod generatur, vel corrumpitur: ergo forma pure vegetatiua non est vere anima. *Secundo*: quia forma pure vegetatiua solùm est principium augmenti, & nutritionis: eæ autem operationes communes sunt rebus inanimatis, vt patet in igne, qui per appositionem combustibilium nutritur, & crescit: ergo. *Tertio*: quia prædictæ operationes exercentur medijs qualitatibus communibus rebus inanimatis, vt puta medio calore, humiditate &c. ergo signum est formam pure vegetatiuam non esse vere animam, sed rebus inanimatis adnumerandam fore. *Quarto*: quia illa ratio, quæ est perfectio simpliciter simplex, nequit participari à creatura, nisi prius inueniatur formaliter in Deo sed conceptus vitæ est perfectio simpliciter simplex, & in Deo solum inuenitur per modum cognitionis, & amoris; non vero per modum nutritionis, & augmenti: ergo cùm in forma purè vegetatiua non inueniatur cognitio, & amor, sed tantum nutritio, & augmentum; sequitur prædictam formam non participare vitam à Deo, & consequenter vere, & propriè non esse animam.

Propter hanc obiectionem sunt, qui arbitrentur formam pure vegetatiuam non esse animam; sed in numero rerum inanimatarum reponunt illam. Horum tamen opinatio omnino amandanda est, tùm propter ea, quæ supra diximus. Tum quia aduersatur communi Theologorum, ac Philosophorum sententiæ. Tum quia non recte cohæret cum verbis D. Pauli 1. ad Corinth. 15. *Tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur.* Vbi vt vides generationem plantæ viuificationem appellat. Tum quia id aperte docet D. Augustin. 1. de

Ciuitate

Ciuitate Dei, *cap.* 20. his verbis: *Hoc genus rerum ideſt plantarum, quamvis non ſentiat, viuit, ac per hoc poteſt mori, & occidi.* Quod etiam confirmat *ex Pſal.* 77. *Et occidit in grandine vineas eorum.* Tum denique, *quia natura* (inquit D. Thom. *in hoc lib. text.* 14. *lect.* 3.) *non mouet ad contraria loca: motus autem augmenti, & decrementi eſt ſecundum contraria loca: augentur enim vegetabilia omnia non ſolum ſurſum, & deorſum, ſed vtroque modo manifeſtum eſt ergo, quod principium horum motuum non eſt natura, ſed anima.* In quo amplius non oportet immorari.

5 Vnde ad argumentum aliter reſpondendum eſt negando antecedens: & ad primam illius probationem dicimus nutritionem, augmentationem, & alias actiones animæ vegetatiuæ habere immanentiam ſufficientem, vt ſint vitales, ſaltem in infimo vitæ gradu. Quamvis enim huiuſmodi actiones recipiantur vel in alimento, vel in alio paſſo; nihilominus viuens in illis mouetur à ſe, ſiue in pincipio actionis, ſiue in vltima mutatione, quæ eſt actionis terminus: vt patet in nutritione, quæ ſub conceptu mutationis recipitur in materia prima pertinente intrinſecè in vltimo inſtanti ad ipſum viuens, quod nutritur. Maxime, quia omnes eæ actiones petunt diuerſas partes, inter quas ſit actio, & reactio: hoc autem ſolum viuentibus proprium eſt. Per quod etiam ſoluitur ſecunda probatio: & ad exemplum ignis conſtat ex dictis *in lib. de Generat. diſp. 6. q. 1.* vbi augmentum rigoroſum ei denegauimus.

Ad tertiam reſpondemus non eſſe contra rationem actionis vitalis in infimo vitalitatis gradu exerceri medijs qualitatibus, quæ in hac probatione recenſentur; dummodo principium prædictæ actionis moueatur à ſe: quo pacto planta mouetur. Adde quod præter prædictas qualitates requiruntur ad nutritionem ſpeciales potentiæ vitales, vt infra conſtabit *diſput. 7. quæſt. 4.* Vnde non eſt ratio, quare nutritio non ſit recenſenda inter actiones vitales.

Ad quartam reſpondetur, quod licet vita vegetatiua non inueniatur formaliter in Deo; conceptus tamen vitæ in eo formaliter reperitur, & à plantis formaliter participatur: quod ſatis ſuperque eſt, vt plantæ dicantur participare vitam à Deo. Quamvis enim Deus non habeat nutritionem, nec planta cognitionem; nihilominus conueniunt in hoc, quod eſt operari à ſe in quo conſiſtit perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ eſt propria vitæ. Et plane ſi probatio vrgeret, conuinceret etiam formam ſenſitiuam non eſſe animam; nec participare vitam à Deo; ſiquidem cognitio ſenſitiua non inuenitur formaliter in Deo.

6 Tertio, & vltimo obijcitur: quia in omni bona diuiſione mẽbra diuidentia debent ſe excludere: ſed anima rationalis includit ſenſitiuam, & hæc vegetatiuam: ergo anima non recte diuiditur in vegetatiuam ſenſitiuam, & intellectiuam.

Respondetur prædictas animas recenseri in præsenti, quatenus intellectiua excludit eam, quæ præcisè est sensitiua, vti est anima equi; & quatenus sensitiua excludit eam, quæ est dumtaxat vegetatiua sistendo ibi, vti se habet anima plantæ. Hoc autem modo vna non imbibit aliam, sed potius se formaliter excludunt; cum habeant vltimas differentias oppositas, vt ex se liquet. ¶ Alia obiectio posset etiam desumi ex numero modorum viuendi: sed ad hanc satis constabit ex dicendis *quæst. sequ.*

QVÆSTIO II.

Vtrum modi viuendi sint quatuor?

QVia Aristot. *in hoc libr. text.* 13. statuit dari quatuor modos viuendi, nimirum vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, & intellectiuum; quod assertum non leuibus difficultatibus obnoxium est: propterea Interpretes communiter in hoc loco prædictam propositionem reuocant ad examen. Quibus morem gerentes præsentem quæstionem excitamus.

§. I.

Asseritur mens Aristotelis.

7 DIcendum est modos viuendi esse quatuor, quos nuper recensuimus. Ita expressè Philosophus loco proxime citato, & D. Th. *ibid. lect.* 3. *&* 1. *p. q.* 78. *art.* 1. vbi hæc habet: *Quatuor vero dicuntur modi viuendi &c. Quædam enim viuentia sunt, in quibus est tantum vegetatiuum, sicut in plantis. Quædam vero, in quibus cum vegetatiuo est etiam sensitiuum; non tamen motiuum secundum locum sicut immobilia animalia, vt conchilia. Quædam vero sunt, quæ supra hoc habent motum secundum locum, vt perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam: & ideo indigent motu, vt vitæ necessaria procul posita quærere possint. Quædam vero viuentia sunt, in quibus cum his est intellectiuum scilicet in hominibus.* Vnde hæc assertio communis est inter Doctores. Videantur Banez *loc. cit. ex* 1. *p.* Caiet. Ferrara, & Zanardus *in præsenti.*

Probatur ratione: quia tot sunt modi viuendi, quot sunt modi mouendi à se: at ij sunt quatuor: ergo quatuor sunt modi viuendi. Major est certa: quia officium vitæ est moueri à se; in hoc quippe viuentia à non viuentibus distinguuntur, quod illa habent principium intrinsecum, & principale sui motus, ista vero solùm mouentur à principio extrinseco: vnde tunc aliquid incipit viuere, quando incipit moueri à se: tunc vero dicitur moueri, cum

cùm cessat à motu proprio, & solum ab extrinseco mouetur. Quare numerus modorum viuendi recte desumitur ex numero modorum habendi motum à se. Minor autem explicatur, & suadetur: quoniam ex viuentibus aliqua sunt, quæ saltem mouentur à se, provt ly *à se* excludit rationem instrumenti, & denotat, quod principium motus influit per virtutem internam principalem: & in his reperitur primus, & infimus modus viuendi, nempe *vegetatiuum*. Alia autem viuentia sunt, quæ non solum influunt principaliter in suos motus; sed etiam mouentur à se in acquirendo formas, quæ sunt principia illorum motuum, vti se habent omnia animalia; comparant enim per se species, quæ sunt formæ intentionales, & influunt in sensationes: & in his viuentibus datur secundus modus viuendi, videlicet *sensitiuum*. Deinde quædam animalia sunt ita perfecta, vt non solum cognoscant obiecta præsentia, sed etiam sentiant bonum distans, & absens; ad quod proinde consequendum mouentur à se per motum localem: & istis conuenit tertius modus viuendi, scilicet *locomotiuum*. Aliud denique viuens, nempe homo, est ita perfectum, vt non solum moueatur à se quantum ad executionem motus, & quantum ad formam, quæ est illius motus principium, & quoad motum localem; verum etiam quoad finem sumptum in esse finis: quod nulli ex aliis viuentibus nisi homini conuenit; cum nequeant conferre finem cum mediis, & cognoscere vtrorumque proportionem: & sic homini competit quartus, ac perfectissimus modus viuendi, nimirum *intellectiuum*, seu rationale. Nequit autem excogitari alius modus, quo viuens moueat se ipsum: ergo modi mouendi à se, & consequenter modi viuendi sunt tantum quatuor.

8 Confirmatur primo, & explicatur amplius: quoniam in motu tria possunt considerari, nempe ipsa executio motus; forma, quæ est principium motus; & finis cuius gratia fit ille motus. Moueri autem à se præcisè quoad executionem, quod est infimum in linea mouendi à se, constituit primum modum viuendi, scilicet *vegetatiuum* & conuenit plantis. Moueri vero à se quoad finem, cognoscendo proportionem, ac ordinem mediorum ad ipsum, quod est supremum in linea mouendi à se, constituit quartum modum viuendi nempe *intellectiuum*, & conuenit soli homini. Moueri denique à se quoad formam, quæ est principium motus, nempe quoad species, quæ influunt in sensationes, conuenit brutis. Cæterum in hoc modo mouendi datur magna latitudo, & ideo bipartiri debet: quædam namque animalia sunt ita imperfecta, vt solum cognoscant obiectum præsens; minime vero bonum absens: quamobrem non mouentur ad illud vt sunt conchilia, & alia animalia fixa: & hic modus mouendi constituit secundum modum viuendi, videlicet *sensitiuum*, & conuenit animalibus admodum imperfectis. Alia vero animalia sunt, quæ cognoscunt bonum absens; quocircà appetunt illud, & mouent se localiter ad ipsum

consequendum: & hic modus mouendi constituit tertium modum viuendi nempe *loco motiuum*, & conuenit animalibus perfectis, vel non admodum imperfectis.

Confirmatur secundo: nam ij quatuor modi mouendi à se, quos hactenus explicuimus, sunt veri modi viuendi: & alias vnus est separabilis ab alio; siquidem vegetatiuum potest dari sine sensitiuo, vt in plantis; & sensitiuum absque loco motiuo, vt in ostris; & loco motiuum sine intellectiuo, vt in brutis: & denique non est designabilis alius viuendi modus: ergo modi viuendi sunt tantum quatuor, videlicet vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum.

§. I.

Dispelluntur aliquæ difficultates.

9 SEd aduersus communem assertionem obijcies primo: nam modus viuendi desumitur ab anima: ergo debet iuxta illius numerum multiplicari: sed animæ sunt tantum tres vt constat ex dictis *quæst. præced.* tot ergo, & non plures sunt modi viuendi. ¶ Respondetur negando primam consequentiam: quia ex diuersis capitibus desumitur numerus animarum, & modorum viuendi. In diuisione siquidem animæ attendimus ad vniuersalissimos modos, quibus operatio viuentis supergreditur actiones rei inanimatæ: & quia ij modi sunt tantum tres; idcirco asseritur, quod tres tantum sunt animæ: nam locomotiuum non euehit animam ad superiorem ordinem rerum. At in diuisione modorum viuendi attendimus ad modos vniuersales, quorum vnus sit separabilis ab alio; licet pertineant ad idem genus: & cum sensitiuum sit separabile à locomotiuo; propterea docet Aristot. esse quatuor modos viuendi. Et merito in hac secunda diuisione attendit ad nouam, ac diuersam distinctionis radicem: nam semel facta diuisione animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, peruium cuiuis erat modos viuendi eodem pacto diuidere. Vnde vt aliquid nouum ingeniosè præstaret; diuersimode, & quidem rationabiliter in diuisione modorum viuendi processit.

10 Obijcies secundo: quoniam, in sensitiuo datur magna latitudo, & diuersitas; quædam enim animalia non habent nisi vnum sensum externum, alia habent duos, alia tres, & alia omnes; & consequenter diuerso modo sentiunt, & se mouent: ergo modi viuendi non sunt tantum quatuor, sed debent amplius multiplicari.

Respondetur negando consequentiam: nam in præsenti solum recensentur modi viuendi vniuersales, & separabiles: illi autem diuersi modi sentiendi qui in obiectione referuntur, adæquatè conuertuntur cum sensitiuo, & locomotiuo, & sunt ab illis inseparabiles. Etenim non est animal adeo imperfectum, quod ex sensibus externis non habeat tactum & gustum; licet careat aliis sensibus: & hic modus sentiendi constituit secundum viuendi modum, nempe sensitiuum. Quod si habeat alios

sensus

sensus, siue ij sint plures, siue pauciores; jam cognoscit bonum absens, & queit se mouere ad illum; & hic modus sentiendi per tres, aut quatuor, vel quinque sensus constituit tertium viuendi modum, videlicet locomotiuum: nam tota illa diuersitas est pure materialis, neque infert nouum, ac diuersum viuendi modum.

11 Objcies tertio: quia nullum est sensitiuum, quod non sit etiam locomotiuum; siquidem omne animal mouetur saltem motu augmentationis occupando maiorem locum, & etiam motu dilationis & constrictionis: ergo sensitiuum non est separabile à locomotiuo, & consequenter istud non debet constituere nouum viuendi modum. ¶ Confirmatur: nam ideo appetitiuum non constituit modum viuendi diuersum à sensitiuo, quia omne sensitiuum est etiam appetitiuum, ita quidem quod si fuerit sensitiuum perfectum, sit etiam appetitiuum perfectum; & si fuerit sensitiuum imperfectum, sit etiam appetitiuum imperfectum: at sic est, quod omne sensitiuum est locomotiuum, perfectè quidem, si sentiat perfectè; & imperfectè, si sentiat imperfectè: ergo sensitiuum, & locomotiuum non debent distinctos viuendi modos constituere.

Respondetur, quod *locomotiuum* positum in hac definitione supponit determinate pro locomotiuo perfectè, seu per motum progressiuum, & de loco in locum: & ab huiusmodi locomotiuo certum est, quod sensitiuum potest separari; licet alias habeat alios motus locales imperfectos. Et desumitur hæc solutio ex D. Thom. *in hoc lib. lect. 6.* vbi inquit: *Motiuum non est sine sensitiuo; sensitiuum autem potest esse sine motiuo: aliqua enim habentium sensum habent etiam motum secundum locum; sed aliqua non habent. Sed intelligendum est de motu progressiuo animalium secundum quod animalia mouentur de loco ad locum. Hic enim motus non ineſt omnibus animalibus: sed quæ carent hoc motu, habent aliquem motum localem, scilicet dilationis, & constrictionis sicut apparet in ostreis.* ¶ Hinc patet ad confirmationem: nam supponit, quod *locomotiuum* sumitur in præsenti, prout abstrahit à locomotiuo, siue perfecto, siue imperfecto; eo plane modo, quo sumeretur appetitiuum, si constitueret peculiarem viuendi modum. Sed aliter res se habet: nam sumitur determinate pro loco motiuo perfecto, à quo separabile est sensitiuum vtcumque, siue imperfectè, vt constat ex dictis.

12 Objcies quarto: quoniam vegetabilia conueniunt cum non viuentibus in modo appetendi; siquidem feruntur in bonum non per cognitionem, aut amorem elicitum, sed per inclinationem innatam, quæ est pondus naturæ; sed appetitus consequitur gradum essendi: ergo conueniunt in eodem gradu; ac proinde nequeunt specialem viuendi modum importare. ¶ Respondetur, quod appetitus innatus non consequitur peculiarem gradum essendi; sed est communis rebus animatis, & inanimatis. Vnde stat bene, quod vegetabilia, & inanimata conueniant in modo appetendi; & nihilominus distinguantur simpliciter in modo essendi: & ita re ipsa contingit,

contingit, nam vegetabilia pertinent ad ordinem viuentium, vt diximus *quæst. præced.*

13 Obijcies vltimo: quia intra latitudinem intellectiui dantur tres gradus valde diuersi, nempe intellectionum diuinum, angelicum, & humanum: ergo diuisio modorum est insufficiens & inadæquata. ¶ Respondetur negando consequentiam: nam ad considerationem physicam non pertinet quæuis vita; sed illa præcisè, quæ prouenit à forma informante materiam, & est propria entis corporei, seu naturalis; & solum intellectiuum humanum est prædictæ conditionis inter alia intellectiua. Ad aliam obiectionem, quæ posset desumi ex numero potentiarum animæ, melius occurremus *disp. 6. quæst. 2.* vbi propriam sedem habet.

QVÆSTIO III.

Quomodo anima vegetatiua contineatur in sensitiua, & vtraq; in rationali.

14 PRo intelligentia tituli, & resolutione quæstionis, quæ non adeo expedita est, aliqua breuiter in illius limine prælibare oportet. Primo supponendum est animam vegetatiuam includi aliquo modo in sensitiua, & vtramque in rationali: quia cum ex vna parte homo viuat non solum vita intellectiua, sed etiam vegatiua, & sensitiua, vt illius operationes satis manifestant; & ex alia nequeat in composito substantiali nisi vnica forma reperiri, vt ostendimus *in lib. de Generat. disp. 2. quæst. 4.* necessario sequitur, quod anima rationalis quæ est propria forma hominis, sit aliquo modo vegetatiua, & sensitiua. Et idem proportionabiliter de anima sensitiua respectu vegetatiuæ dicendum est. Vnde difficultas præsens solum reuocatur ad modum, seu qualitatem continentiæ.

Secundo obserua, quod duplex est continentia, formalis nimirum, & virtualis. Tunc dicitur vnum continere aliud virtualiter, cum ratio, & definitio rei contentæ nequit prædicari formaliter de continente: quo pacto Deus v. g. continet equum, & sol calorem; neque enim Deus est animal hinnibile, neque sol est formaliter calidus: quamvis in hoc modo continentiæ virtualis sit magna latitudo, & diuersitas, vt exempla modo adducta manifestant. Tunc vero vnum continet aliud formaliter, quando esse formale, & definitio rei contentæ prædicatur de continente, qua ratione albedo continet colorem: nam definitio coloris queit optime prædicari de albedine. Porrò hæc continentia formalis alia est formalis tantum, & alia est formalis, ac eminens simul. Ad priorem sufficit, quod continens habeat id, quod est de conceptu formali rei contentæ. Ad posteriorem vero requiritur, quod insuper habeat aliam, vel alias rationes, quæ ab entitate contenta solent distingui in naturis inferioribus: consistit enim eminentia illius continentiæ in carentia limitatio-

limitationis, & distinctionis. Et hoc pacto scientia Dei est formaliter eminenter practica; quia simul est formaliter speculatiua; cum tamen in scientiis inferioribus practicum, & speculatiuum sint rationes distinctæ, limitatæ, & se excludentes.

Tertiò animaduertendum est animam vegetatiuam (& idem proportionabiliter intellige de sensitiua) posse bifariam considerari: primo generice, secundò contractim, & specifice. Priori modo solum dicit radicem vegetandi abstractam à modis diuersis vegetandi; ac proinde nullam differentiam inferiorem includit in actu, sed omnes in potentia: vnde potest indifferenter contrahi vel per differentiam relinquentem illam in eodem præcisè gradu vegetandi, vt est differentia constitutiua platani & aliarum arborum, vel per differentiam euehentem ipsam ad superiorem gradum, vt per sensitiuum bruti, & intellectiuum hominis. Posteriori autem modo considerata dicit se ipsam vt jam determinatam ad speciem vegetatiuam tantum, v.g. ad esse platanum, vel ficum: quo pacto excludit positiuè alias differentias sentiendi, & intelligendi. His suppositis non erit ita arduum extricare præsentem difficultatem, quam claritatis gratia reducemus ad animam intellectiuam: quidquid autem de ea dicemus, poterit proportionabiliter, imo à fortiori animæ sensitiuæ applicari.

§. I.

Legitima resolutio aliquibus assertionibus statuitur.

15 Dicendum est primo animam rationalem genericè sumptam, id est, secundum eas rationes, in quibus vniuocatur cum animabus bruti, & plantæ, esse formaliter sensitiuam, & vegetatiuam; ac proinde continere formaliter vtramque animam generice consideratam. Ita D. Th. *q. de Anima, a.* 11. Bañez 1. *p. q.* 76. *art.* 4. *dub.* 2. & cõmuniter Thomistæ quibus etiam consentiunt Suarez, Conimbric. Rubio, & alij plures.

Fundamentum est satis vrgens, & perspicuum: quoniam compositum nequit esse formaliter tale, nisi à forma, quæ sit formaliter talis, eo quod forma constituit compositum per exhibitionem propriæ entitatis: sed homo est formaliter sensitiuus, ac vegetatiuus, vt ex se constat: ergo forma, per quam constituitur, nempe anima rationalis, est formaliter vegetatiua, & sensitiua: hæc igitur saltem sumpta secundum gradus superiores cõtinet formaliter vegetatiuum, & sensitiuum genericè considerata.

16 Respondebis negando maiorẽ: quia non semper est necessariũ quod forma habeat formaliter eam denominationẽ, quam tribuit cõposito, vt videre licet in ipsa anima rationali, quæ constituit hominem formaliter corporeum, & materiale, quin ipsa sit materialis, & corporea; alias non esset pure spiritualis. Quapropter poterit etiam constituere hominem formaliter vegetatiuum, & sensitiuum,

licet ipsa non sit vegetatiua, ac sensitiua formaliter, sed solum virtualiter.

Sed contra arguitur: quoniam & si forma non habeat vt *quod* denominationem, quam imperitur composito; nihilominus illam debet habere formaliter, vt *quo*: ergo licet anima rationalis non sit vegetatiua, & sensitiua vt *quod*; attamen erit talis vt *quo*. Suadetur antecedens, tum quia implicat, quod effectus, qui est virtualiter talis, proueniat nisi à forma virtualiter tali, vt patet in sole, qui habet esse virtualiter calidum à luce, quæ est virtualiter calor: ergo è conuerso implicat, quod esse formaliter tale vt *quod* proueniat nisi à forma, quæ sit formaliter talis vt *quo*. Tum etiam quia forma causat formaliter communicando id, quod habet in se: ergo si forma solum est virtualiter talis, nequit constituere effectum nisi virtualiter talem. Et hac ratione lux solis, quia solum virtualiter est calida, non constituit solem calidum formaliter, sed præcisè virtualiter.

Confirmatur: quia omne esse virtuale fundatur supra aliquod esse formaliter tale, & in eo præcontinetur: sed si anima rationalis solum esset virtualiter vegetatiua, & sensitiua; non haberet aliquod esse formale, supra quod illud esse virtuale fundaretur: ergo est vegetatiua, & sensitiua non virtualiter, sed formaliter. Minor suadetur: quia in primis ratio communis formæ substantialis nequit esse ratio fundandi, & continendi esse virtualiter vegetatiuum, ac sensitiuum; cum illa ratio sit ignobilior, quam ista. Deinde ratio atoma, & differentialis animæ rationalis nequit prædictum esse vegetatiuum, ac sensitiuum fundare: quia esse vegetatiuum, ac sensitiuum est quid commune animæ nostræ, & aliis animabus: quocirca nequit prouenire ab vltima differentia, per quam ab illis secernitur. Concedendum ergo est reperiri in anima nostra esse vegetatiuum, & sensitiuum formaliter tale generice consideratum, sibi, & aliis animabus commune. ¶ Ad hæc: homo, & equus conueniunt vniuoce, & formaliter in gradu sentiendi: cum ratio animalis sit ipsis vniuoce communis: ergo anima hominis & equi conueniunt formaliter, & vniuoce in eodem gradu: quod proculdubio repugnaret, si anima nostra non esset formaliter sensitiua vt *quo*.

17 Dicendum est secundo animam rationalem secundum suam vltimam differentiam esse formaliter vegetatiuam tali modo, & sensitiuam tali modo, & insuper rationalem; & consequenter continere hæc omnia formaliter eminenter. Ita Bañez loco citato, cui subscribunt Thomistæ. Probatur ratione: quoniam esse vegetatiuum genericum, & esse sensitiuũ genericum debent contrahi per peculiares modos vegetandi, & sentiendi; cum omne genus contrahatur per proprias, & intraneas differentias: atqui in anima nostra secundum rationem genericam sumpta reperitur formaliter esse vegetatiuum genericum, & esse sensitiuum genericum, vt statuimus in prima conclusione: ergo etiam in eadem considerata secundum suam differentiam debet reperiri formaliter peculiaris modus vegetandi, & peculiaris modus sentiendi.

di. Et insuper cum secundum suam vltimam differentiam sit rationalis; plane sequitur, quod sit vegetatiua, & sensitiua formaliter eminenter: quandoquidem continet illas rationes absque limitatione ad proprium earum genus, sed euehendo eas ad ordinem intellectiuum.

Confirmatur, & explicatur amplius: nam anima nostra secundum suam vltimam differentiam habet, & contrahere genus vegetatiui, ac sensitiui, & illud trahere ad altiorē ordinem, nempe ad genus intellectiui: ergo qua parte cōtrahit genus vegetatiui,& sensitiui,debet habere peculiarem,ac formalem differentiam vegetandi,& sentiendi;& qua parte eleuat illa genera ad nobilius genus,debet habere illas rationes non præcise formaliter,sed formaliter eminenter: siquidem identificat rationem vegetatiui,& sensitiui cum ratione intellectiui,quæ rationes solēt realiter separari,vt patet in vegetatiuo plantæ, & sensitiuo bruti. Vnde quemadmodum sacra Theologia dicitur formaliter eminenter practica,& speculatiua eò quod simul est formaliter speculatiua;& formaliter practica:& rationes practici, & speculatiui realiter separantur in habitibus inferioribus: ita anima nostra secundum vltimam differentiam accepta dicitur formaliter eminenter vegetatiua,& sensitiua propter eandem rationem,quam quivis ex dictis facile formabit.

18 Vltimo asserendum est animam rationalem ratione vltimæ differentiæ non continere formaliter animas vegetatiuas plantarum, & sensitiuas brutorū specifice consideratas; sed ad summum virtualiter imperfectè. Hæc conclusio est communis inter Philosophos, & facile suadetur quoad vtramque partem: nam si anima rationalis, vt talis, esset formaliter anima vegetatiua plantæ, & anima sensitiua bruti, posset constituere formaliter plantam, & brutum: consequens est absurdum: ergo anima nostra non continet formaliter vltimas differentias animarum plantarum,& brutorum. Aliàs præcontinet aliquo deficienti modo perfectiones aliarum animarum; cum omnes in perfectione antecellat: ergo secundum suam vltimam differentiam continet virtualiter imperfecte perfectiones aliarum animarum. Videantur quæ diximus *in lib. Physic. disp.* 18. *quæst.* 3. §. 2.

§. II.

Referuntur opiniones aduersæ.

19 PRima sententia primæ conclusioni contraria docet animam vegetatiuam,& sensitiuam nullo modo contineri formaliter in intellectiua; sed tantum virtualiter. Pro hac referuntur Caiet. in præsenti *cap.* 2. Toletus *qu.* 3. Petrus Martinez, & alij. Potestque suaderi primo ex D. Thom. 1. *p. q.* 76 *art.* 4. vbi inquit: *Nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiua & ipsa sicut virtute continet animam sensitiuam, & nutritiuam, ita virtute continet omnes inferiores formas &c.* Ergo ex mente D. Thom. continentia animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ in rationali non est formalis, sed solum virtualis. Quod etiam videtur docere Aristot. *in hoc lib.*

text. 31. vbi D. Thom. *lect.* 5. ¶ Sed ad hæc facile occurritur: nam S. Doct. loquitur de anima ſenſitiua; & vegetatiua, contracta, & ſpecifice ſumpta: quo pacto ſolum virtualiter continetur in intellectiua, vt ſtatuimus in tertia concluſione. Adde etiam, quod ly *in virtute*, aut *virtualiter* non rarò ſignificat continentiam eminentialem, vt obſeruauimus *in lib. Phyſic. diſp.* 26. *q.* 1. §. 1. Vnde hinc ſolum habetur, quod anima noſtra contineat gradus vegetandi, ac ſentiendi non tantum formaliter, ſed eminenter, & cum extenſione ad nouum, & perfectius genus. Et qualibet ex iis ſolutionibus exponendus etiam eſt Philoſophus loco citato.

20 Secundo arguitur ratione: quoniam anima, quæ eſt formaliter ſpiritualis nequit eſſe formaliter corporea, vt ex ipſis terminis liquet: ſed ſi anima noſtra eſſet formaliter vegetatiua, & ſenſitiua, eſſet formaliter corporea; quandoquidem vegetatiuum, & ſenſitiuum formaliter ſumpta ſunt quid materiale, & corporeum: ergo anima noſtra, cum ſit formaliter ſpiritualis, vt infra videbimus *diſp.* 15. *qu.* 1. non poteſt eſſe formaliter vegetatiua, & ſenſitiua.

Reſpondetur animam, quæ eſt formaliter ſpiritualis, non poſſe eſſe formaliter corpoream, id eſt, dependentem in ſuo eſſe à corpore, vel eductam ex materia: ſed poſſe optime eſſe corpoream, hoc eſt conſtitutiuam corporis, ſeu actum primum illius. Vt autem anima noſtra ſit formaliter vegetatiua, & ſenſitiua, ſufficit, quod ſit corporea poſteriori modo: nam vegetatiuum, & ſenſitiuum generice ſumpta non ſunt determinate corporea primo, vel ſecundo modo; ſed ab vtroque abſtrahunt & poſſunt contrahi per alterutrum. Aliæ ergo animæ ſunt corporeæ tam vt *quo*, quam vt *quod*: quia & conſtituunt corpus, & dependent in ſua entitate ab illo: ſed anima ſpiritualis ſolum vt *quo* dicitur formaliter corporea, quia eſt verus actus corporis independens ab illo.

21 Tertio arguitur: quia differentiæ inferiores non continent formaliter gradus ſuperiores, vt oſtendimus *in Log. diſp.* 7. *quæſt.* 3. ergo rationale, vt tale, non continet formaliter ſenſitiuum, aut vegetatiuum: ergo nec anima rationalis formaliter conſiderata continet formaliter vegetatiuum, & ſenſitiuum. ¶ Reſpondetur conceſſis antecedenti, & prima conſequentia, negando ſecundam: quia nos non aſſerimus, quod anima rationalis vt rationalis includat formaliter gradum genericum, aut differentiam ſubalternam, & ſuperiorē; ſed quod generice ſumpta importat formaliter eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, & in his rationibus vniuocatur cum aliis animabus: ad quod minime deſideratur, quod gradus ſuperior includatur formaliter, & logice in vltimis differentiis. Si autem anima noſtra ſumatur ſecundum ſuam vltimam differentiam, erit quidem formaliter eminenter vegetatiua, & ſenſitiua; non quatenus ſenſitiuum, & vegetatiuum ſunt gradus generici, ſed quatenus dicunt peculiares differentias ſentiendi, & vegetandi.

22 Vlti

22 Vltimo arguitur : nam cùm dicitur animam v. g. vegetatiuam contineri formaliter in intellectiua ; vel sensus est, quod ratio vnius sit formalis ratio alterius, vel quod vtraque ratio contineatur in alio tertio, seu ratione superiori. Primum dici non potest : quia diuersa formalis ratio est animæ vegetatiuæ, & intellectiuæ. Secundum autem non sufficit, vt vna anima sit formaliter alia ; sed ad summum, vt sint idem identice in illo tertio. Nequit ergo saluari, quod anima vegetatiua includatur formaliter in intellectiua.

Respondetur, quod si vegetatiuum generice sumptum comparetur ad vltimam differentiam animæ rationalis, nempe ad intellectiuum : tunc vna ratio non est formaliter alia ; sed se virtualiter excludunt : sunt tamen identice vna tertia ratio, videlicet illa species, quæ ex vtraque ratione generica, & differentiali resultat. Si autem esse vegetatiuum genericum comparetur ad animam nostram specifice, & adæquate consideratam ; tunc licet anima nostra distinguatur virtualiter à prædicto gradu distinctione includentis ab incluso ; nihilominus vegetatiuum includitur formaliter in anima, & de ea formaliter prædicatur : ad eum modum, quo animal includitur formaliter in homine tanquam genus in specie. Quod si vegetatiuum sumatur pro speciali aliquo modo vegetandi ; tunc coincidit formaliter cum intellectiuo, seu gradu differentiali animæ nostræ, ita quod inter vtramque rationem non detur distinctio, nisi ex parte nostri modi concipiendi, seu penes implicitum, & explicitum.

23 Aduersus secundam conclusionem sentit Suarius *tract. 3. de Anima, lib. 1. cap. 6.* vbi docet vltimam differentiam animæ nostræ non tribuere vllum speciale esse vegetatiuum, aut sensitiuum ; sed solum esse noui, & altioris generis. Quæ opinio potest suaderi primo : quoniam si vltima differentia animæ nostræ esset specialis ratio vegetandi, aut sentiendi, non posset non constituere animam nostram in specie atoma, & completa animæ vegetatiuæ, vel sensitiuæ : ergo non posset constitui per differentiam intellectiuæ, vel rationalis ; sed hæc ratio esset extra speciem illius. Patet consequentia : nam ideo anima equi nequit contrahi per rationale, quia est constituta in specie atoma & adæquata per talem differentiam sentiendi.

Confirmatur : quia vltima differentia debet esse conceptus omnino simplex : at si vltima differentia animæ nostræ diceret peculiarem modum vegetandi, sentiendi, & intelligendi, non esset conceptus omnino simplex ; sed importaret plures conceptus : ergo anima nostra secundum suam vltimam differẽtiam nullo modo est formaliter vegetatiua, vel sensitiua. ¶ Ad hæc : si vltima differẽtia animæ nostræ tribueret peculiarem modum vegetandi ; esset vltima, vt supponitur : & non esset vltima, quia non eleuaret animam nostram ad superiorem ordinem, in quo facto constituitur ; sed illam relinqueret in genere vegetandi.

24 Ad argumentum respondetur, quod vltima differentia animæ nostræ importat peculiare esse vegetatiuum non formaliter tantum, sed formaliter eminenter simul : quamobrem non terminat, & complet animam in sola linea vegetandi ; sed eam trahit ad lineam sentiendi, & intelligendi. Vnde falsò imaginatur arguens quod differentia *rationalis* adueniat animæ nostræ constitutæ jam per aliam vltimam differentiam : non enim aduenit ; sed vna, & eadem simplicissima differencia perficit animam in genere vegetandi, sentiendi, ac intelligendi : quia est formaliter eminenter vltima differentia in omnibus his generibus. Per quod patet ad exemplum animæ equi : quoniam vltima differentia illius est sensitiua formaliter tantum, & sistit intra illud genus : vltima autem differentia animæ nostræ est sensitiua formaliter eminenter, & trahit sensitiuum ad nouum ordinem.

Ad confirmationem dicendum est vltimam differentiam dici conceptum omninò simplicem ex eo, quod excludit distinctionem, & compositionem virtualem ex diuersis gradibus metaphysicis ; minime vero ex eo, quod amoueat eminentiam, vel continentiam eminentialem diuersarum rationum. Imo vero quantò perfectior, ac simplicior fuerit aliqua ratio, eò poterit fundare majorem eminentiam : vt apparet in Sacra Theologia, cuius vltima differentia, licet simplex omnino sit, constituit tamen ob suam eminentiam habitum formaliter practicum, & formaliter speculatiuum ; ac proinde complectitur vtramque rationem formaliter eminenter. Sic ergo in vltima differentia animæ nostræ esse tale vegetatiuum, & esse tale sensitiuum, & esse tale intellectiuum non sunt plures rationes virtualiter diuersæ, sed vna ratio formalis simplex, & eminens. ¶ Per quod constat ad id, quod additur : nam esse tale vegetatiuum in anima nostra habet esse tale eminenter : quamobrem non relinquit animam in ordine vegetandi ; sed illam euehit ad genus intelligendi.

25 Deinde arguitur : quoniam si in anima nostra inueniretur non solum esse sensitiuum, quod est generice commune ipsi, & animæ v. g. equi ; sed etiam peculiare esse vegetatiuum, quod specie distingueretur ab esse sensitiuo equi ; sequeretur potentias sensitiuas hominis, & equi esse diuersæ speciei : sicut quia duo Angeli conueniunt in genere intellectiuo, & distinguuntur specie intra illud genus, ideo intellectus eorum solùm conueniunt in genere, & distinguuntur specie. Consequens autem est absurdum ; nam potentiæ sensitiuæ hominis, & equi non distinguuntur essentialiter, vt patet in sensibus externis, qui sunt eiusdem prorsus rationis in vtroque : ergo in anima nostra solùm datur esse sensitiuum genericum ; non vero peculiare esse sensitiuum competens ei secundum vltimam differentiam.

Respondetur negando sequelam intellectam de omnibus potentijs ; & concedendo illam, si solùm intelligatur de aliquibus potentijs sensitiuis

tiuis. Etenim aliquæ potentiæ consequuntur gradum genericum sentiendi, vtputa sensus tactus: & hujusmodi potentiæ sunt eiusdem rationis in homine, & in alijs animalibus. Aliæ vero sequuntur gradus differentiales; & istæ licet conueniant in genere potentiæ sensitiuæ; nihilominus distinguũtur specie intra illud genus, non minus quam principia, à quibus fluunt: vt patet in potentia ad ridendum, & flendum, quæ est propria hominis, & non reperitur in equo; & in potentia ad hinniendum, quæ competit soli equo, & non inuenitur in alijs brutis. Illud vero exemplum Angelorum continet dubiam doctrinam, ex qua nequit desumi certum argumentum. Videantur quæ infra dicemus *disp. 16. quæst. 1.* Sufficiat nunc dicere, quod si semel intellectus angelici distinguuntur specie; hoc ideo est, quia Angeli distinguũtur specifice in essentia, & aliàs non habent alias potentias, nisi intellectum, & voluntatem: vnde quia diuersitas specifica essentiæ debet splendere in potentijs: congruum videtur, vt intellectus angelici distinguantur essentialiter. At in homine, & equo dantur plures potentiæ sensitiuæ: quapropter ob conuenientiam in genere queunt habere aliquas potentias eiusdem rationis; & ob diuersitatem specificam postulant alias potentias specie differentes.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnis anima sit diuisibilis.

DIuisibilitas, vel indiuisibilitas animæ se habet adinstar proprietatis, quæ illius quidditatem sequitur: quamobrem præcedentibus quæstionibus, in quibus explicuimus, quæ ad animæ essentiam pertinent, immediate atteximus præsentem difficultatem. Quæ non procedit circa diuisibilitatem actualem, & formalem; hanc enim ex dictis *in libr. de Generatione, disp. 5. quæst. 1.* supponimus, cuiuis substantiæ, tametsi imperfectæ, intra proprium genus repugnare: sed loquimur de diuisibilitate in partes potentiales, qualis materiæ conuenit, & formis valde materialibus, vt *loco citato* diximus. Cæterum vt cum majori distinctione procedamus, animaduertendum prius est, animalia quædam esse perfecta, quædam vero imperfecta: quæ licet aliàs soleant aliter describi, in præsenti tamen sic accipiuntur, & distinguuntur, vt animalia imperfecta dicantur illa, quorum partes separatæ viuunt, vt apparet in lacertis: perfecta vero sint, quorum partes separatæ non viuunt, vt equi, & leones. Quæstio ergo præsens procedit circa omnes animas tàm perfectas, quàm imperfectas.

§. I.

§. I.

Statuitur vera sententia.

16 Dicendum est animam rationalem, & animas animalium perfectorum esse indiuisibiles; animas vero animalium imperfectorum esse diuisibiles. Hæc conclusio quantum ad animam rationalem est omnino certa apud Catholicos, & manifeste constabit ex dicendis *disp.* 15. *quæst.* 1. vbi ostendemus animam nostram esse pure spiritualem; & insuper à fortiori probabitur ex ijs, quæ pro animabus animalium perfectorum statim dicemus: vnde in ea singillatim suadenda non oportet immorari. Similiter vltima assertionis pars admittitur communiter à Philosophis, & illam ad minus euincunt argumenta aduersariorum. Quamobrem tota lis, & difficultas reuocatur ad animas animalium perfectorum, quas asserimus esse indiuisibiles. Hæc autem pars probatur primo ex Aristot. *in libr. de senectute, & iuuentute, cap.* 1. vbi docet animas animalium imperfectorum esse velut plura animalia inter se cohærentia: *at quæ optima fabricatione constant, haudquaquam viuere dissecta queunt; quod eorum natura, quam maxime potest vna habeatur.* Si autem horum animalium animæ haberent partes, ex quibus coalescerent, non haberent maximam vnitatem, vt ex se liquet. Idem tradit Angel. Doctor, *quæst. de Anima, art.* 10. his verbis: *Planum est etiam, quod non diuiditur diuisione continui, præcipue anima animalium perfectorum, quæ decisa non viuunt: secus enim forte esse de animabus annulosorum. Relinquitur igitur, quod in anima hominis, & cuiuslibet animalis perfecti non potest accipi totalitas, nisi secundum perfectionem speciei, & secundum potentiam, seu virtutem.* Vbi, vt vides negat animabus perfectis totalitatem integralem, seu ex partibus. Quod etiam tenent B. Albert. *lib.* 1. *de Anima, cap. vlt. & libr.* 2. *cap.* 7. D. Bonauent. *in* 1. *dist.* 18. Caietanus, Bañez, & Ripa 1. *parte quæstione* 76. *articulo* 8. Ferrar. 2. *contra Gentes, cap.* 72. & communiter omnes Thomistæ.

Probatur ratione: nam si anima v. g. equi esset diuisibilis, posset post diuisionem conseruari in partibus separatis: consequens est absurdum, & contra manifestam experientiam, semel enim diuiso equo, nunquam vidimus vtramque illius partem moueri à se: ergo anima equi non est diuisibilis, & consequenter nec aliæ animæ animalium perfectorum. Minor, & consequentia liquent. Sequela autem suadetur, tùm, nam ideo diuisa lacerta, quælibet illius pars viuit, & mouetur; quia animæ lacertæ est diuisibilis in partes: ergo si anima equi esset diuisibilis: vtraque pars equi diuisa, & separata viueret. Tum etiam, nam ideo natura tribuit alijs formis, & animabus diuisibilitatem, vt possint aliquando diuidi, cum diuisio sit proprius diuisibilitatis actus: ergo si anima equi esset ex se diuisibilis, posset per diuisionem

nem

nem equi diuidi, & in vtraque parte diuisa conseruari.

27 Respondebis animas animalium perfectorum non ideò perire per diuisionem, quia indiuisibiles sint; sed quia petunt plures dispositiones, & organa: & hæc, cum certis sedibus distributa sint, per separationem exturbantur, ac pereunt. Quæ solutio explicari potest exemplo minimi naturalis v.g. aquæ, cuius forma est diuisibilis: & tamen facta diuisione perit ob defectum debitæ quantitatis.

Sed contra: quoniam natura tribuit formæ diuisibili eas dispositiones, vt possit saltem pro breui tempore consistere in partibus separatis: quippè cùm diuisio sit proprius actus rei diuisibilis, quidquid est diuisibile ex natura sua debet sortiri tales dispositiones, vt queat aliquando, & post diuisionem aliquantulum permanere; aliàs illa non esset diuisio, sed corruptio: ergo si natura dedit animabus animalium perfectorum tales dispositiones, vt per diuisionem pereant, signum est prædictas animas esse ex natura sua indiuisibiles. Vnde potius ex hac solutione roboratur nostra conclusio: quoniam eæ animæ, quæ in omnium sententia sunt diuisibiles, solùm exigunt dispositiones, & organizationem adeò imperfectam, vt eadem ferè saluetur in toto, & in partibus: qua ratione valent prædictæ animæ conseruari tàm in illo, quàm in istis, vt docet Diuus Thomas *in hoc libro textu vigesimo, lectione quarta*, his verbis: *Quia anima plantæ imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diuersitatem in partibus. Vnde anima totius potest saluari in aliqua partium. Et sic etiam videmus in aliis differentiis animæ, sicut in entomis decisis, id est, in animalibus, quæ decisa viuunt*, &c. Si ergo è conuerso animæ animalium perfectorum, non respiciunt indifferenter totum, & partes, sed determinatè exigunt dispositiones, & organizationem totius, planè sequitur esse actus indiuisibiles, seu carentes partibus integralibus. Exemplum autem illud minimi naturalis nihil euincit: tum quia minima aqua potest diuidi, & in vtraque parte via corruptionis pro breui tempore conseruari: tum quia, esto non posset diuidi; id esset per accidens, eò quod forma ex se diuisibilis ad minimam quantitatem redacta est. At animabus animalium perfectorum per se repugnat esse in partibus diuisis etiam pro paruo tempore.

§. II.

Conuelluntur argumenta contraria.

28 ADuersus nostram assertionem duplex militat sententia. Quarum prima ita vniuersaliter defendit omnem animam esse diuisibilem, vt id ipsum asserat de anima rationali. Hanc defendunt aliqui Philosophi antiqui, quos

referunt D. Gregor. Niſſen. *lib.* 2. *de Anima capite* 2. & Sixtus Senenſis *lib.* 1. *Bibliotheca ſanctæ annotat.* 8. Probatur primò: quia vtraque pars hominis abſciſa mouetur per aliquod breue tempus: & ita caput D. Pauli amputatum ter ſaltauit, & in ſingulis ſaltibus ſacrum Ieſu nomen inuocauit: ſed motus eſt ſignum vitæ: ergo anima rationalis viuit in vtraque parte diuiſa, atque ideò erit diuiſibilis. ¶ Confirmatur: quia ſi ab homine abſcindatur naſus, & illi poſt breue tempus iterùm conjungatur; viuit, ſicut anteà viuebat: ergo ſignum eſt, quod etiam retinebat vitam cùm erat ſeparatus. Patet conſequentia: quia à priuatione ad habitum non datur naturaliter regreſſus: ergo ſi naſus reunitus viuit, ſignum eſt, quod ſeparatus etiam viuebat.

Reſpondetur ad argumentum negando, quod capita hominum jugulatorum moueantur motu vitali ſeu à principio intrinſeco. Nec oppoſitum ſuadent exempla illa: nam caput D. Pauli motum fuit miraculosè diuina virtute, vt ipſi ſaltus adeò magni, & inuocatio nominis Ieſu ſatis euincunt: neutrum quippè contingere valet naturaliter. Porrò aliorum hominum jugulatorum capita mouentur ab externo agente nempè per impulſum, & agitationem ſpirituum vitalium. Etenim tempore abſciſionis capitis homo maxime angitur; & natura plures ſpiritus capiti immittit, vt ita ſuccurrat parti, cui periculum imminere formidat. Hi autem ſpiritus impellunt, & conquatiunt caput; illudque impulſu ſuo ita determinant ad motum, vt in virtute eorum etiam poſt abſciſionem moueatur. Hinc autem minimè habetur, quod caput abſciſum viuat, vt ex ſe liquet. Videantur, quæ diximus *in libro de Generatione diſput.* 2. *quæſt.* 6. §. 4. *in fine.*

Ad confirmationem reſpondetur primò ex Caiet. *in hoc libro cap.* 1. naſum reunitum non recuperare vitam, licet videatur viuere, quia habet diſpoſitiones ſatis ſimiles viuenti, cui agglutinatus eſt. Nec naſus ille (vt tacitæ objectioni occurramus) verè ſentit, cùm pungitur: ſed pars illi proxima eſt, quæ experitur dolorem propter conjunctionem cum naſo. ¶ Secundo reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: & ad probationem dicendum eſt, quod licet à priuatione non detur regreſſus ad habitum in toto; bene tamen in parte: vnde ſi moriatur homo, nequit naturaliter vitam reſumere; at pars hominis ſemel mortua valet ad priſtinam vitam reuocari. Et ratio differentiæ eſt: quia pereunte toto, non remanet in natura virtus ad illud reproducendum: nam habet ex ſe determinatum modum ſuæ generationis. Reſpectu autem partis abſciſæ manet adhuc in toto animali virtus ad illam reuniendam, & viuificandam: quia ob ſuam imperfectionem non habet vnum præcisè modum generationis. Cuius ſignum eſt, quod ſi quis partem abſciſam comedat, poteſt

potest illius materiam antiqua forma informare. Pars ergo reunita viuit, non quia separata vixerit; sed quia per vnionem ad totum vitam consequuta est.

29 Secundò arguitur: quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, & debet illi proportionari: ergo forma quæ recipitur in materia diuisibili, & habente partes integrales, debet eadem diuisibilitate, & partibus gaudere: atqui anima nostra vnitur materiæ diuisibili, & habenti partes: ergo est diuisibilis. ¶ Confirmatur: nam repugnat quantitatem recipi in aliquo, & non communicare illi proprium effectum formalem, nimirùm diuisibilitatem; at quantitas hominis recipitur non in sola materia, sed etiam in toto, ac proinde in illius forma, quæ est anima rationalis: hæc igitur nequit non esse non diuisibilis, saltem ratione quantitatis.

Respondetur, quod vt anima nostra habeat debitam proportionem, & commensurationem cum materia cui vnitur; sufficit quod sit diuisibilis virtualiter, hoc est radix quantitatis, & principium *quo* ad recipiendum accidentia corporea: minimè verò desideratur, quod habeat partes potẽtiales. Sicut etiam vnitur materiæ, quæ est pura potentia: & tamen ipsa est actus valde perfectus. ¶ Ad confirmationem respondetur, subjectum proprium quantitatis neque esse solam materiam, nec solam formam, sed compositum ex vtraque. Porrò licet quantitas insit subjecto, non impertitur illi, quod intra genus substantiæ habeat partes; sed solùm confert ei diuisibilitatem, quam ipsa habet, nempè accidentariam, denominatiuam, & distinctam realiter ab ipso subjecto. Vnde ex eo, quod anima nostra sit subjectum *quo* quãtitatis, solùm sequitur, quod substet diuisibilitati quantitatis, & denominetur vt *quo* diuisibilis, hoc est constituens compositum, quod sustentat diuisibilitatem quantitatiuam. Cum quo stat optimè, quod anima in se ipsa careat partibus.

30 Tertiò arguitur: quia ex eo, quod anima nostra ponatur indiuisibilis, sequuntur plura inconuenientia: *primò*, quod idem secundum se totum simul moueatur, & quiescat; vt si manus moueatur, & pes quiescat, tota anima ibi mouebitur, & hic quiescet. *Secundò*, quod idem simul moueatur motibus contrariis, vt si dextra moueatur sursum & sinistra deorsum. *Tertiò*, quod abscisa manu, anima in ea præexistens regrediatur ad alias partes, in quibus jam præerat: nam cùm anima manus non desinat absolutè, nec informet materiam separatam; restat vt se retrahat ad alias partes. Hoc autem est omninò absurdum; quandoquidem id, quod habet animam, nequit simul iteratò eam recipere: ergo dicendum est animam nostram esse diuisibilem.

Respondetur negando antecedens quoad omnes partes: nam priora duo inconuenientia minimè

vrgent : quamuis enim repugnet, quod idem ſecundum ſe totum, & ratione ſui vel moueatur contrariis motibus, vel ſimul moueatur, & quieſcat; minimè tamen repugnat, quod id habeat per accidens, & ratione alterius, vt apparet in corpore Chriſti Domini exiſtentis ſub diuerſis quantitatibus : quippe ratione illarum poteſt in vna hoſtia moueri, & in alia quieſcere ; & in vna aſcendere, atque in alia deſcendere. Hoc igitur modo anima noſtra ratione diuerſarum partium quantitatis, quibus ſubſtat, & propter diuerſa loca, quæ per accidens occupat, queit moueri, & quieſcere, & ſubire contrarios motus. Vltimum inconueniens in ſola imaginatione conſiſtit: abſciſſa enim manu non ſequitur, vel quod anima deſinat abſolutè, vel quod confugiat ad alias partes ; ſed ſolùm quod deſinat informare illam partem : ſicut corrupta aliqua hoſtia, in qua erat Chriſtus, non ſequitur vel quod Chriſtus deſinat abſolutè, vel quod confugiat ad alias hoſtias ; ſed ſolum, quod deſinat eſſe ſub illa hoſtia.

31 Secunda ſententia docet omnes alias animas, præter rationalem, eſſe diuiſibiles, & extenſas. Ita Scot. *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 1. Durand. *in* 1. *diſtinct.* 8. *part.* 2. *quæſt.* 3. & alij, quibus ſuffragatur Suarez *diſputatione decima quinta Metaphyſ. ſectione vigeſima* : vbi judicat hanc opinionem probabiliorem eſſe contraria. Probatur primò : quia omnis forma corporea eſt diuiſibilis, & extenſa : ſed omnis anima, excepta rationali, eſt forma corporea : ergo eſt diuiſibilis, & extenſa. Suadetur major : tum quia ideò anima noſtra non eſt diuiſibilis, quia non eſt corporea : ergo è conuerſo omnis forma corporea eſt diuiſibilis. Tum etiam quia omne corporeum, & materiale ſapit conditiones materiæ, quarum vna eſt eſſe diuiſibilem. Tum denique, quia vt aliquid ſit corporeum non ſufficit recipi in materia, & ab illa dependere, vt conſtat in aliquibus accidentibus ſpiritualibus, quæ *in lib. Phyſic. diſp.* 12. *quæſt.* 1. admiſimus poſſe inhærere ſubſtantiæ materiali : ergo vt aliquid ſit corporeum debet eſſe diuiſibile : hoc quippè, & nihil aliud videtur deſiderari, vt prædicta accidentia ſint corporea.

Reſpondetur negando majorem : quia ratio entis corporei non conſiſtit in habere partes, vt conſtat in puncto, & vnitate quantitatiuis, quæ ſunt accidentia corporea, & nihilominus carent partibus. Ad primam autem probationem in contrarium reſpondetur, quod licet ex ſpiritualitate animæ noſtræ colligatur, quod ſit indiuiſibilis ; non tamen ſicut ex ratione adæquata : ad hoc quippè ſufficit eſſe formam ſatis perfectam, & quæ non multum ſapiat conditiones materiæ. Vnde cùm hæc poſterior ratio conueniat animabus animalium perfectorum ; mirum non eſt, quod indiuiſibilitate gaudeant, quamuis ſpirituales non ſint. Si enim dantur formæ extremè diuerſæ, quarum

rum aliquæ, eæ scilicet, quæ imperfectissimæ sunt, & habent dependentiam à materia, & diuisibilitatem in partes potentiales; aliæ verò, nimirùm anima nostra, quæ perfectissima est, nec dependentiam à materia, nec diuisibilitatem habet: oportet etiam dari formas, quæ medio modo se gerant, quæque ob confinium cum prioribus formis dependeant à materia; ob affinitatem verò cum anima nostra gaudeant indiuisibilitate: & huiusmodi sunt animæ animalium perfectorum.

Per quod patet ad secundam probationem: nam sapere conditiones materiæ in hoc, quod est habere diuisibilitatem in partes, non conuenit omni substantiæ corporeæ; sed ei tantum, quæ valde immergitur materiæ, & à perfectione animæ nostræ plurimum distat. ¶ Ad tertiam respondetur, quod vt aliquid sit corporeum, non petit necessariò habere partes; sed sufficit, quod modo permanenti recipiatur in materia, & ab ea dependeat: quod cùm conueniat animabus animalium perfectorum, planè sufficit, vt inter formas corporeas annumerentur. Accidentia autem illa spiritualia non recipiuntur in corpore modo permanenti; sed vialiter, & per modum tendentiæ: vnde non participant corporeitatem à corpore cui insunt; sed spiritualitatem à termino, quem respiciunt.

32 Arguitur secundò: nam forma indiuisibilis debet esse principium operationis indiuisibilis; cùm modus operandi sequatur modum essendi: sed animæ animalium perfectorum non eliciunt vllam operationem indiuisibilem: ergo non sunt formæ indiuisibiles. ¶ Et confirmatur: nam hinc colligimus animam nostram esse indiuisibilem, quia est principium operationis indiuisibilis, qualis est intellectio: ergo è contra rectè colligemus esse diuisibilem illam animam, cuius omnes operationes sunt diuisibiles.

Respondetur ad argumentum, quod vt modus operandi in his formis proportionetur cum modo essendi, sufficit prædictas animas dependere in suo esse à materia: nam hoc ipso debent habere operationem receptam in toto quantitatiuo, & ab eo dependentem. Accidens autem completum receptum in quantitate hoc ipso participat diuisibilitatem ab illa. Et ideò licet eæ formæ non sint diuisibiles formaliter; sed tantum virtualiter: nihilominus ob dependentiam à corpore fundant operationes diuisibiles, & extensas. ¶ Ad confirmationem, concesso antecedenti, negamus consequentiam: & ratio disparitatis est, quod operatio nequit esse perfectior suo principio; vnde si operatio animæ nostræ est indiuisibilis, legitimè infertur animam esse indiuisibilem. At principium potest esse perfectius operatione: quocircà ex eo, quod anima sit indiuisibilis, non sequitur illius operationem indiuisibilem fore.

33 Arguitur tertiò: quoniam forma facta per actionem diuisibilem debet esse diuisibilis, vt seruetur debita proportio inter actionem, & terminum; quatenus totalis

terminus fiat per totam actionem, & pars per partem: atqui animæ animalium perfectorum producuntur per actionem diuisibilem, videlicet per verum motum alterationis: ergo sunt diuisibiles. ¶ Sed ad hoc facile est occurrere ex dictis *in lib. de Generat. disp. 2. q. 2.* vbi ostendimus formas substãtiales non fieri immediatè, & per se primò per actionem alteratiuam: sed produci instantaneè in vltimo momento prædicti motus. Vnde ex hoc præcisè capite nulla forma perit diuisibilitatem: sed sufficit, quod diuisibilitas inueniatur in termino primario, & immediato alterationis, vt puta in calore, vel simili dispositione.

34 Arguitur quarto: quia ex nostra sententia sequitur animam v. g. equi esse principium principale *quo* suæ eductionis, & productionis: consequens est absurdum: ergo. Sequela ostenditur: nam prædicta forma educitur ex illa parte materiæ, quam informat: sed cùm equus nutritur, forma eius informat nouam partem materiæ: ergo educitur ex illa: cúmque anima sit principium principale *quo* nutritionis, planè sequitur fore causam principalem productionis, & eductionis. Quod inconueniens vitatur, si dicamus eam habere diuersas partes, & secundum quasdam esse principium *quo* eductionis cæterarum. ¶ Confirmatur quia repugnat animam equi secundum se totam dependere à qualibet parte figillatim accepta; aliàs abscisa tali parte periret totus equus, quod contradicit experientiæ: sed si esset indiuisibilis dependeret tota à qualibet parte figillatim sumpta: ergo non est indiuisibilis. Probatur minor: quia anima equi vtpotè materialis, dependet à subjecto in quo est: sed si esset indiuisibilis, tota esset in qualibet parte determinata, v. g. in aure, aut in vngue: ergo tota dependeret ab illa parte.

Respondetur ad argumentum negando majorem: cuius probatio non vrget, quia anima animalis perfecti queit optimè ob suam perfectionem informare aliquam partem ex qua non educatur. Quamuis enim dependeat absolutè à materia, quia materialis est: attamen quia est forma perfecta, & accedit ad perfectionem animæ rationalis, valet se se extendere ad nouas partes materiæ informandas; quin educatur ex illis. Et ita contingit in nutritione equi: vnde non sequitur, quod sit principium *quo* suæ eductionis, & productionis: quippe cùm indiuisibilis sit, supponitur adæquatè educta, atque producta ante nutritionem. ¶ Et hinc soluitur confirmatio: nam licet anima equi dependeat in suo fieri ab illis partibus materiæ, quas primò informauit: at in facto esse non dependet ab vlla determinata parte materiæ; sed solum ab illis partibus principalibus sine quibus nequit vita animalis consistere, qualia sunt cor, & caput. Quamobrem, valet esse in aliqua parte, quin in suo esse dependeat ab ea: potestque proindè in aliis bene conseruari, licet illa separetur. Id quippe postulat perfectio istarum animarum ob confinium cum anima intellectiua.

ctiua. Ad explicandum autem quo modo possit forma informare totam materiam, & quamuis eius partem, quin extendatur aut diuidatur; potest deseruire exemplum, tùm Dei O. M. qui indiuisibiliter est præsens toti vniuerso, & singulis eius partibus; tùm Angeli operantis in aliquo spatio, qui totus est in toto, & totus in qualibet parte. Videatur D. Thom. *quæst. de anima art.* 10. *ad* 18.

DISPVTATIO V.

De Anima quoad suam informationem.

NOTITIÆ quidditatis animæ in communi nihil immediatius succedit, quam consideratio informationis illius, quæ est eius effectus formalis, ac primarius. Plures autem difficultates circa informationem sunt animæ, & aliis formis communes: sed eæ discussæ manent *in lib. Physic. disp.* 4. *q.* 5. *& disp.* 9. *q.* 1. *&* 2. *& in lib. de Generat. disp.* 2. per plures quæstiones. Quocircà illis relictis examinandum superest, quænam viuentis partes anima informentur: quod per sequentes quæstiones determinabimus.

QVÆSTIO I.

Vtrum sanguis informetur anima totius compositi.

PRo tituli intelligentia, & difficultatis decisione obseruandum est primò, quod in homine v. g. reperiuntur quatuor humores, nempè sanguis, phlegma, colera, & melancholia: quibus in aliis viuentibus sanguine carentibus, vt in plantis, & aliquibus piscibus, correspondent alij humores, vt medula vel alia substantia liquida. Difficultatem autem præsentem (licet in aliis etiam humoribus militet) ad sanguinem reuocamus, & quia notior est, & vt confusionem vitemus:

temus: reſolutio tamen aliis humoribus debet proportionaliter applicari. Secundò ſupponendum eſt in homine duplicem ſanguinem inueniri, videlicet nutrimentalem, & naturalem. Appellamus ſanguinem nutrimentalem humorem quẽdam parum decoctum, ac depuratum, ac proindè non habentem veram rationem ſanguinis; licet in colore, & aliis accidentibus illi aſſimiletur: diciturque nutrimentalis, quia ſolùm deſeruit, vt aliæ animalis partes eo nutriantur. Sanguis autem naturalis dicitur humor longè purior, quam præcedens, quique ex illo per plures decoctiones, & elaborationem virtutis formatiuæ fit verus ſanguis. Quæ diſtinctio, ac diuerſitas inter vnum, & alterum ſanguinem magis conſtabit ex his, quæ ſtatim dicemus.

§. I.

Propugnatur Thomiſtica, & vera ſententia.

1 Dicendum eſt primò ſanguinem nutrimentalem non informari forma animalis, ſed alia forma ſubſtantiali: & conſequenter non eſſe veram partem animalis. Hæc aſſertio traditur communiter ab omnibus Philoſophis, & facilè ſuadetur ex his, quæ prænotauimus: quia nullus humor denuò ab animali acquiſitus, queit animalis forma informari, niſi media nutritione: at nutritio petit perfectam decoctionem alimenti: ergo cùm ſanguis nutrimentalis non ſit perfectè decoctus; ſequitur, quod non informetur per formam animalis in quo eſt. Et hanc aſſertionem ſuadent omnia, quæ pro contraria ſententia adducemus: vnde in ea probanda non oportet immorari.

2 Dicendum eſt ſecundò ſanguinem naturalem informari anima totius viuentis, in quo eſt. Hanc concluſionem docent communiter Thomiſtæ, Caiet. 3. *p. q.* 54. *art.* 2. Syluester *in roſa aurea q.* 33. Bañez 1. *de Generat. cap.* 4. *q.* 8. *art.* 5. Aluarez *diſp.* 28. *de Incarnat.* Nazarius 3. *p. q.* 5. *art.* 2. *controuerſia vnica*, & alij plures.

Probatur primò auctoritate ſimul, & ratione: quoniam aliquis ſanguis viuit vita animalis, eſtque vera pars eius, ac proinde debet informari anima ipſius: ſed hic non eſt ſanguis nutrimentalis, vt nuper ſtatuimus: ergo eſt ſanguis naturalis. Probatur major: tùm quia in ſacra ſcriptura, vt *Matth.* 16. *ad Galat.* 1. *ad Epheſ.* 6. *ad Hebr.* 2. homo appellatur caro, & ſanguis, acceptis partibus pro toto, vt communiter interpretantur Doctores: ergo ſicut caro eſt vera pars hominis, & informatur per animam totius, ita de ſanguine aſſerendum eſt. Tùm etiam, quia hac ratione *Leuit.* 17. dicitur: *Anima carnis in ſanguine eſt:* tùm præterea quia *in Concil. Trident. ſeſſ.* 3. *cap.* 3. ſtatuitur ſanguinem Chriſti Domini eſſe ſub ſpeciebus panis ex vi illius connexionis, qua partes corporis inter ſe copulantur: vbi,

vbi, vt vides, aperte supponitur sanguinem esse veram partem corporis humani. Quod satis expressit Cajus Papa in decretali ad Felicem, vbi damnans eos, qui negabant Christum assumpsisse veras partes humanæ naturæ inquit: *Si Christus veras partes humanæ naturæ non assumpsit, quo sanguine redempti essemus.* Tùm denique, quia id docet Innocentius III. in extrauaganti de celebratione missarum, vbi inquit de latere Christi Domini exisse sanguinem, & aquam, vt ostenderetur, quod constabat ex quatuor elementis, & habebat quatuor humores: quod est de ratione, & compositione corporis humani, quod verbum assumpsit.

Cofirmatur primo ex SS. Patribus: quia nostram sententiam docent August. *lib. de spiritu, & anima c.* 25. *&* 33. *epist.* 146. Damasc. *lib.* 2. *de Fide, c.* 12 D. Th. 3. *p. q.* 54. *a.* 2. his verbis: *Manifestum est autem, quod ad naturam corporis humani pertinent carnes, & ossa & sanguis, & alia huiusmodi.* Idemque tradunt frequenter Sacri alij Doctores. ¶ Confirmatur secundo: nam id, cum quo resurget homo, non habet rationem alimenti: sed est vera illius pars pertinens ad integritatem humanæ naturæ: sed homo resurget cum sanguine, vt docet D. Th. *in* 4. *dist.* 44. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad* 2. *dicens: Sicut membra seruientia generationi erunt post resurrectionem ad integritatem humanæ naturæ, non ad operationem: ita humores erunt in corpore non ad restaurationem deperditi, sed ad integritatem humanæ naturæ*; ergo sanguis aliquis est vera pars corporis humani. ¶ Confirmatur denique ex Aristot. 3. *de historia animalium, capit.* 19. vbi disertis verbis docet nostram assertionem dicens: *Semper quandiu vita seruatur sanguis vnus animatur, & feruet.* Et *lib.* 1. *cap.* 1. inquit: *Partes autem animalium similares, aut molles sunt, & humidæ, aut siccæ, & solidæ: molles vt sanguis.* Quæ omnia simul sumpta magnam certitudinem afferunt sententiæ nostræ: quamvis enim vnum, aut alterum testimonium ex adductis valeat vtcumque in diuerso sensu exponi; at omnibus non nisi violentia queit contrariam expositionem accommodare.

3 Secundo probatur conclusio ratione Theologica: quoniam id, quod immediate assumpsit Verbum diuinum, est de integritate humanæ naturæ, & vera hominis pars: sed Verbum diuinum assumpsit immediate sanguinem, vt cum communi sententia Theologorum docet Suarez *tom.* 1. *in* 3 *p. disp.* 5. *sect.* 6. ergo aliquis sanguis nempe naturalis est de integritate hominis, & vera pars illius; ac proinde debet anima eius informari. Major probatur: quia Verbum Diuinum non assumpsit immediate, nisi vnicam naturam, & partes eius; alioqui non semel, sed bis incarnatum fuisset: ergo quidquid immediate est assumptum à Verbo, pertinet ad integritatem hominis, & est vera pars illius.

4 Respondebis primo naturam totalem humanam coalescere ex duabus naturis partialibus, nempe ex illa quæ cõponitur ex materia &

anima rationali, & ex illa quæ constituitur ex materia, & forma sanguinis. Vnde non sequitur, quod Verbum bis assumpserit carnem: quia ad vnicam incarnationem totalem requiritur assumptio naturæ totalis, seu compositæ ex illis duabus naturis partialibus. ¶ Sed contra: quia anima rationalis est forma perfectissima: ergo per se, & ratione sui constituit vnam naturã totalem: ergo si semel verbũ, præter naturã constitutam ex materia, & anima rationali, assumpsisset aliam naturam totalem, non posset non bis incarnatum fuisse. ¶ Confirmatur: quia duo composita substantialia specie distincta nequeunt constituere compositum, quod sit vnum ens per se, vt ex ipsis terminis liquet: sed si sanguis haberet formam distinctam ab anima rationali, non posset non distingui specie à composito, quod constitueretur ex materia, & anima: siquidem hoc compositum esset animatum; illud vero exanime: ergo implicat, quod ex prædictis compositis resultet vna natura totalis, quæ sit vnum ens per se, atque assumatur immediate à verbo.

5 Respondebis secundo, quod licet sanguis, & natura humana non sint physice vnum ens: at moraliter sunt vnum, & pro eodem composito reputantur: quod sufficit ne Verbum dicatur bis incarnasse. ¶ Sed hæc solutio (quam Suarius adhibet,) vana prorsus existit: quoniam in physica, ac reali assumptione non ad ea, quæ moraliter, aut vulgariter homines considerant, attendendum est; sed magis ad ea, quæ Verbum diuinum physice, vere, & proprie terminauit: ergo si sanguis est natura totalis distincta ab homine, & extra speciem, ac integritatem illius; & aliàs est immediate assumptus à Verbo, vt Suarius negare non audet: plane sequitur Verbum diuinum assumpsisse duas naturas totales, & consequenter semel, & iterum incarnatum fuisse: quod nemo Catholicorum concedet.

6 Dices: Verbum diuinum immediate assumpsit sanguinem nutrimentalem: sed hic non informatur anima, vt statuimus *num.* 1. ergo ex eo, quod sanguis naturalis fuerit immediate assumptus à Verbo, non recte coligitur, quod informetur anima. Probatur major: tùm quia Concilia, & patres docent indefinitè sanguinem fuisse assumptum à Verbo: loquutio autem indefinita æquiualet vniuersali; ac proinde de omni sanguine intelligendi sunt. Tùm etiam, quia Clemens VI. diffiniuit quamlibet guttam sanguinis fuisse infiniti valoris propter vnionem ad Verbum: ergo quælibet gutta, & cuiusuis sanguinis existentis in Christo terminabatur à Verbo. Tum denique, quoniam quidquid Verbum in resurrectione reassumpsit, prius assumpserat: at reassumpsit sanguinem nutrimentalem, siquidem teste D. Thom. 3. *parte quæst.* 54. *art.* 2. reassumpsit omnem sanguinem, quem in passione effuderat, & certum est effudisse sanguinem nutrimentalem: hic ergo immediate assumptus fuerat à Verbo.

Respondetur negando majorem:

&

& omnes probationes ad eam suadendam inductæ vnico verbo eneruantur. Nam sanguis simpliciter dictus stat pro sanguine naturali; secus vero pro sanguine nutrimentali hic enim specie tenus, est sanguis ob similitudinem ad verum sanguinem naturalem cùm in calore, cùm in alijs accidentibus: sed propriè loquendo, non sanguis, sed humor sanguini affinis, & similis censendus est. Concilia ergo, & Patres licet vniuersaliter, & indefinite loquantur de assumptione sanguinis; nihilominus solum de omni vero sanguine intelligendi sunt. Et eodem modo loquitur Clemens de qualibet gutta sanguinis propriè dicti: hæc quippe erat infiniti valoris non solùm ex parte oblationis; sed etiam ex parte rei oblatæ, eò quod immediate terminabatur à Verbo: at gutta sanguinis nutrimentalis solùm erat infiniti valoris ex parte offerentis. Et similiter Verbum in resurrectione reassumpsit omnem verum, ac rigorosum sanguinem, quem in passione effuderat: hic autem non est sanguis nutrimentalis, sed naturalis. Præterquam quod Christus, inquit Caietanus, in passione solùm effudit sanguinem naturalem: totum enim nutrimentalem prius effuderat in horto per sudorem illum sanguineum copiosissimum.

Tertium fundamentum veræ sententiæ desumitur ex D. Thom. *loco supra citato* ex 4. *sent.* & potest ad hanc formam reduci: quoniam ita se habent quatuor humores in homine, sicut quatuor elementa in vniuerso: sed quatuor elementa sunt veræ partes vniuersi; & participant formam illius: nempe ordinem ad alias partes, in quo ordine vnitas totius vniuersi consistit: ergo quatuor humores sunt veræ partes hominis, & informantur forma totius. Minor, & consequentia constant. Major autem sola expositione indiget: etenim homo, vt communiter tradunt Philosophi, est mundus quidam minor: sanguis autem est calidus, & humidus sicut aer; pituita humida, & frigida sicut aqua; melancholia frigida, & sicca sicut terra; & denique colera est sicca, & calida sicut ignis: ergo quatuor humores ita se habent ad hominem velut quatuor elementa ad vniuersum. Quod disertis verbis expressit Innocentius III. *loco supra citato.*

Hic autem obserua quatuor elementa in vniuerso duplicem habitudinem habere: alteram partis actualis; sunt quippe partes actu pertinentes ad integritatem illius: alteram autem materiæ potentis transire ad nobiliores formas, nempe mixtorum. Et eodem modo in humoribus (vt in adducta similitudine persistamus) duplex respectus ad corpus humanum distinguendus est: alter quidem partis actualis, seu actu pertinentis ad integritatem totius: alteram vero partis potentialis, seu tendentis ad nobiliorem formæ participationem. Quoniam humores ita perfectè participant actu formam totius animalis, vt simul sint in potentia ad hoc, vt

transeant ad participandam eandem formam nobiliori modo; quatenus fiunt partes principaliores, vt puta caro, os, neruus, & alia huiusmodi. Hoc tamen discrimen reperitur inter elementa, & humores, quod illa, cùm transeunt ad formas mixtorum, corrumpuntur substantialiter, & recipiunt formam substantialem numero, & specie diuersam. At humores perfecti, cùm fiunt nobiliores animalis partes, non transmutantur substantialiter, nec amittunt formam substantialem antiquam; sed solum incipiunt participare illam nobiliori modo, & cum perfectioribus dispositionibus accidentalibus: sanguis quippe perfectus, & caro non differunt specie substantiali; sed solum penes diuersa accidentia, quemadmodum os, & caro.

8 Ex dictis sequitur spiritus vitales, & animales informari anima totius viuentis: nam isti spiritus sunt sanguis purissimus, & valde elaboratus in corde, & cerebro: vnde si alteri sanguini conuenit esse animatum, id à fortiori prædictis spiritibus concedendum est.

§. II.

Satisfit argumentis partis aduersæ.

9 COntrariam sententiam defendunt Galen. *lib.4. de vsu partium*, D.Bonau. *in 4.dist.44.q.1.a.1.* Abulensis *paradox.2.q.40.* Quibus subscribunt plures juniores, Suares *in.3.p.disp.16.sect.6.* Vasq. *ib.disp.36. c.4.* & alij. Probatur primo: quia sanguis nutrimentalis, & naturalis non distinguuntur essentialiter; sed sunt eiusdem speciei substantialis: at nutrimentalis non informatur anima: ergo nec naturalis. Suadetur major: tum quia hi sanguines solùm distinguuntur penes majorem puritatem, & perfectiorem decoctionem; hæc autem solum arguit distinctionem accidentalem. Tum etiam, quia vterque sanguis est continuus, vt euidenter constat, cùm è vena erumpit: si autem distinguerentur substantialiter non possent continuari.

Respondetur negando majorem: & ad primam probationem dicendum est sanguinem nutrimentalem, & naturalem non distingui præcisè penes majorem puritatem accidentalem; sed potius in puritate, vt sic loquamur, substantiali, quæ causatur ex fortissima decoctione requisita, vt sanguis nutrimentalis transeat in naturalem. Major autem puritas accidentalis in sanguine naturali reperta se habet ad instar proprietatis respectu puritatis

tis substantialis. Ad secundam probationem negandum est, quod prædicti sanguines continuentur: nam præcisè confunduntur, & permiscentur. Nec oppositum suadet experientia, vt videre est in aliis liquoribus distinctis in substantia, & similibus quoad accidentia: inter quos vel nullo modo, vel ægrè discernimus per sensus.

10 Secundo arguitur: nam alimentum non informatur per formam aliti: tum quia ita expressè docet Aristot. 3. *de Anima text.* 45. tum quia ad nutritionem requiritur conuersio substantialis alimenti in alitum; quæ minimè posset exerceri, si vtrumque haberet eandem formam: atqui sanguis est alimentum animalis secundum Philosophum *lib.* 8. *de partibus animalium cap.* 5. ergo non informatur anima animalis, sed alia distincta.

Respondetur concedendo maiorem intellectam de alimento crudo, & non bene decocto, quod proprie appellatur alimentum: hoc enim non informatur anima aliti; sed per rigorosam nutritionem transmutatur substantialiter in illud. Et huiusmodi est sanguis nutrimentalis, de quo loquitur Aristot. *in lib.* de partibus animalium. Vnde solum concluditur sanguinem nutrimentalem non informari anima totius viuentis; id quod minime affirmamus. Si autem maior intelligatur de alimento perfectissime decocto; neganda est: hoc quippe jam est pars actualis animalis, & præcisè tendit vt transeat in partem accidentaliter nobiliorem, & habentem perfectiores dispositiones, vt explicuimus *numero* 7. Et nec de hoc alimento loquitur Aristot. loco citato ex 3. de Anima, neque in illo exercetur rigorosa transmutatio substantialis: sed solum secundum quid, & cum addito: quatenus sanguis, qui habet animam, vt præcisè radicat potentias vegetatiuas, transit in carnem verbi gratia vbi anima est radix potentiarum sensitiuarum, & actu sentit. Quod amplius exponemus *quæstione* 3.

11 Tertio arguitur: quoniam sanguis non continuatur cum aliis partibus animalis: ergo nec est idem substantialiter cum illis, nec eadem forma informatur. Consequentia liquet: & antecedens suadetur: tum ex Aristot. *lib.* 2. de partibus animalium *cap.* 3. vbi ait: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est: sed in corde, ac venis, quasi in vase continetur.* Tum etiam quia sanguis est mobilis, & fluxibilis; reliquæ vero partes sunt duræ, & solidæ: ergo nequeunt continuari.

Respondetur negando antecedens: & ad probationem desumptam ex auctoritate Philosophi dicendum est vel loqui de sanguine nutrimentali, quem certum est esse discontinuum ab animali: vel si loquatur de sanguine naturali, exponendum esse de continuatione immediata, & respectu partium omnino solidarum. Nam etsi sanguis naturalis non continuetur immediate cum carne verbi gratia & ossibus; continuatur tamen cum quibusdam partibus crassioribus, & aliqualiter fluxibilibus, quales sunt

fibræ inuentæ in sanguine taurorum, & asinorum; & rursus eæ partes continuantur cum carne. Cùm autem dicit sanguinem contineri in venis, & corde sicut in vase, loquitur minus rigorosè, & quoad aliquam similitudinem: neque per hoc intendit, quod sanguis nullo modo continuetur cum venis; sed tantum excludit continuationem immediatam: quo pacto posset etiam asserere medullã contineri in ossibus sicut in vase, etsi medulla sit vera pars animalis. Per quod patet ad secundam confirmationem: nam etsi durum, & molle nequeant continuari immediate; bene tamen mediante aliqua parte, quæ nec omnino mollis, nec omnino dura sit, sed medio modo se habeat.

12 Quartò arguitur: quia totus sanguis è vena profluens in vas, cum sit continuus, habet eandem formam substantialem: sed anima non informat sanguinem profluentem, & existentem extra venam; alias simul informaret corpus, & aliquid existens extra corpus, quod est impossibile: ergo nec informat sanguinem, qui intra venas existit. ¶ Respondetur nullum esse inconueniens, quod anima, saltem pro paruo tempore informet sanguinem naturalem è vena profluentem: quia licet secundum aliquas partes sit extra animal; attamen est intra illud secundum alias, ratione quarum continuatur cum aliis partibus animalis. Diximus *pro paruo tempore*, eò quod dispositiones sanguinis profluentis facillimè alterantur: & eadem facilitate sanguis corrumpitur, & discontinuatur ab alio sanguine viuo: etsi cum eo ad sensum continuari videatur.

13 Vltimo suadetur hæc sententia argumento Theologico: quoniam in Eucharistia sub speciebus panis ponitur directe, & ex vi Verborum corpus Christi Domini cum suis partibus integralibus, vt docent communiter Theologi: at sanguis non ponitur sub speciebus panis directe, & ex vi verborum; sed solum per concomitantiam, vt determinat Concil. Trident. ergo sanguis non est vera pars integralis corporis humani. ¶ Confirmatur ex D. Thom. 3. *p. q.* 31. *art.* 5. *ad* 1. vbi docet Verbum diuinum non assumpsisse humanitatem de carne, aut osse B. Virginis, ne minueret illius naturam auferendo aliquid, quod esset in actu pars ipsius, sed assumpsisse ex sanguine, quia hic solum in potentia est pars corporis humani: ergo sentit sanguinem non informari anima totius; alias esset vera, & actualis pars humanitatis. Quod satis expressit 1. *p. q. vlt. art.* 1. *ad* 3. vbi docet humidum radicale pertinere ad speciem: nutrimentale vero esse in via, & potentia ad participandam speciem: & huiusmodi *esse sanguinem.*

Respondetur argumento concedendo maiorem intellectam de partibus corporis solidis, & habentibus modum cibi, quales sunt caro, & os, & negando illam, si intelligatur de partibus fluidis, & habentibus rationem potus, qualis est sanguis: nam sub specie panis ponitur corpus Christi non vtcumque; sed vt habet rationem cibi. Vndè licet sanguis sit vera pars corporis humani, non ponitur ex vi verborum sub

specie

ſpecie panis: quia non eſt pars ſolida, & habens rationem cibi. Teſtimonium autem illud deſumptum ex Trident. in aduerſarios retorquendum eſt, & quidem vrgentiſſime: nam docet ſanguinem eſſe ſub ſpeciebus panis ex vi illius connexionis, qua partes corporis inter ſe copulantur. Vbi ex vna parte ſupponit ſanguinem eſſe veram partem corporis; & ex alia non omnes partes corporis Chriſti eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus corporis. Vnde ex eo, quod ſanguis ſit ibi, non directe, ſed per concomitantiam minime infertur, quod non ſit pars corporis dominici; ſed potius infertur contrarium.

Ad confirmationem reſpondemus D. Thom. appellare ſanguinem partem in potentia, quia eſt in via, vt participet animam nobiliori modo, & fiat pars ſolida, vt puta caro, & os: cum quo tamen optime ſtat, quod participet actu, licet imperfecte animam totius & ſit vera pars illius. Quod ſatis eſt ad intentum D. Thom. nam cum ſanguis ſit pars ita imperfecta, non eſt imminuta integritas corporis virginei per hoc, quod tantillus ſanguis fuerit aſſumptus ex illa: ſicut nec dicitur animal ſimpliciter minui per hoc, quod aliquid ſanguinis emittat. Vnde etiam conſtat ad id, quod additur ex 1. parte: nam ſanguis dicitur eſſe in potentia ad participandam ſpeciem, quia illam participat imperfecto modo, & eſt in via, vt nobiliori modo per animam informetur; licet actu re ipſa illam habeat ſaltem imperfectè, & quoad gradum vegetandi.

QVÆSTIO II.

An dentes, vngues, capilli, ſemen, & lac informentur anima totius animalis?

EÆ partes ſunt, de quibus poteſt eſſe nonnulla difficultas: nam carnem, oſſa, & neruos debere viuere per animam totius, concors placitum eſt apud Philoſophos: quare non oportet, vt quæſtionem circa illas excitemus.

§. I.

Eligitur communior ſententia.

14 DIcendum eſt primo dentes vngues, & capillos informari anima totius viuentis, in quo ſunt. Ita Ariſtot. *lib. 2. de Generat. animalium cap. 4. & lib. de hiſtoria animalium cap. 12. & lib. 3. de Anima cap. 13.* D. Thom. *in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 2.* Bañez *1. de Generat. cap. 4. q. 8. art. 4.* Nazar. *3. p. q. 5. art. 2.* controuerſia vnica, & communiter Philoſophi. Et probatur primo quoad dentes: nam dentes viuunt; ſiquidem nutriuntur, & augentur per intusſumptionem, quæ ſunt propria munia vitæ: ergo informantur per animam: ſed alias pertinent ad integritatem animalis, & ſunt veræ partes illius: ergo informan

formatur anima totius animalis. Patet hæc vltima consequentia: quia in vno, & eodem composito nequit nisi vnica forma requiri.

Deinde eandem assertionem quoad vngues, & capillos illustrat, & probat Ang. Doct. loco supra citato his verbis: *Dicendum, quod anima se habet ad corpus animatum, sicut ars ad artificiatum; & ad partes eius, sicut ars ad sua instrumenta: vnde & corpus animatum organicum dicitur. Ars autem vtitur instrumentis quibusdam ad operis intenti executionem: & hæc instrumenta sunt de prima intensione artis. Vtitur etiam aliis instrumentis ad conseruationem principalium instrumentorum: & hæc sunt de secunda intentione artis. Sicut ars militaris vtitur gladio ad bellum, & vagina ad gladij conseruationem. Ita etiam in partibus corporis animati quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, sicut cor, hepar, manus, & pes. Quædam autem ad conseruationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum; ita capilli, & vngues sunt in homine ad custodiam aliarum partium. Vnde sunt de secunda intensione corporis humani, quamvis non de prima.* Et in solutione ad 3. *Capilli, & vngues nutriuntur, & augentur, & sic patet, quod aliquam operationem participant: quod non posset esse, nisi essent partes aliquomodo ab anima perfectæ. Et quia in homine non est, nisi vna anima scilicet anima rationalis; constat, quod ab anima rationali perfectæ sunt, quamvis non vsque ad hoc quod operationem sensus participent.* Quæ omnia sunt ita perspicua, vt aliam expositionem non admittant.

Confirmatur conclusio quoad omnes prædictas partes: quia tam in dentibus, quam in vnguibus, & capillis videmus aliquas venulas, vel saltem fibras versus inferiorem partem, per quas cum carne continuantur, & alimentum sugunt, vt bene obseruauit Valles. *lib. 2. Controu. medic. cap. 5.* ergo signum est, quod augentur per intussumptionem: hoc autem est proprium viuentium: ergo viuunt: & consequenter debent informari anima totius, cuius sunt partes.

15 Dicendum est secundo semen & lac non informari forma viuentis, in quo sunt, sed alia forma inanimata. Hanc docet Philosoph. *lib. 2. de Generat. anim. cap. 3.* D. Thom. loco supra citato ex 4. *sent. in solut. ad 2.* & de potentia *quæst. 3. art. 9. ad 9.* B. Albert. *lib. 7.* suæ Philologiæ, & alij plures. Fundamentum est; quoniam ea solum informantur forma totius, quæ pertinent ad eius integritatem: at semen, & lac non pertinent ad integritatem individui, in quo sunt; sed solum ad conseruationem speciei in alio individuo; siquidem ex semine producitur fætus, & ex lacte nutritur jam productus: ergo semen, & lac non informantur eadem numero forma viuentis, in quo sunt.

Dices: spadones censentur homines manci, & imperfecti, quia carent semine: ergo semen est de integritate individui. ¶ Respondetur non ideo spadones esse imperfectos, quia eis desit semen; sed quia carent membris requisitis ad formationem seminis: quæ pertinent ad individui integritatem, & perfectionem. Vnde

pueri

pueri è conuerso non censentur manci; quamvis careant semine: quia habent membra seminis factiua.

§. II.

Respondetur aliquibus argumentis.

16 TOletus *lib. 2. de Anima cap. 2. qu. 4.* & alij sentiunt vngues, & capillos non viuere, nec informari forma totius. Quod potest suaderi primo: quia ea, quæ natura negligit, & expellit, non informantur anima totius viuentis; hac quippe de causa saliua, & sudor non informantur anima: sed vngues, & capilli fiunt ex cibi excrementis, & reiiciuntur in extremitates corporis per virtutem expulsiuam: ergo non informantur anima totius viuentis.

Respondetur, quod sicut partes animalis quædam sunt aliis perfectiores, aliæ autem imperfectiores: ita illæ seligunt sibi nobiliores portiones alimenti; iis vero viliores sufficiunt. Et propterea dicuntur fieri ex superfluo, aut excrementis; quamvis re vera prædictum alimentum non sit pure excrementitium. In quo plurimum differunt eæ partes à sudore, & saliua, vt optime docuit D. Thom. *loco cit. ex 4. sent. ad 1.* vbi inquit: *Dicendum, quod illæ superfluitates, scilicet ex quibus generantur sudor, & vrina, expelluntur à natura, quasi ad nihilum vtiles: secus autem de aliis superfluitatibus, quas sibi natura retinet ad generationem capillorum, & vnguium, quibus indiget ad membrorum conser-*

nationem. Vnde licet saliua, & sudor non informentur anima; contrarium ob oppositam rationem dicendum est de vnguibus, & capillis.

17 Secundo arguitur: quia capilli, & vngues non augentur sicut cæteræ partes, sed alio modo longè diuerso; siquidem quo magis secantur, magis crescunt, & non augentur versus omnem partem, sed solum versus longitudinem: ergo signum est, quod non informantur eadem forma. ¶ Confirmatur primo: quia capilli in senibus magis crescunt: & & tamen vis nutritiua est in eis debilior: ergo non augentur per vim internam, ac proinde eorum augmentum non erit vitale, nec viuent. ¶ Et confirmatur secundo vrgentius: quoniam capilli eodem modo crescunt in homine mortuo, ac in viuo, vt apparet in eis, qui suspenduntur: quod satis indicat capillorum augmentum non esse vitale.

Respondetur argumento non omnes partes animalis vendicare eundem modum augmenti; sed eas, quæ ex vili alimento aluntur, quales sunt capilli, & vngues, posse eo redundante magis ac magis augeri: petunt quippe ob suam imperfectionem pauciores, & faciliores dispositiones. Et quamvis magis augeantur versus longitudinẽ, quia id exposcit finis propter quem fiunt à natura: nihilominus etiam augentur versus alias partes; licet prædictum augmentum sit minus perceptibile. ¶ Ad primam confirmationem respondemus capillos ali præcipuè ex humore terreo, qui aliis partibus est minus vtilis: prædictus

autem humor valde redundat in ſenibus: vnde mirum non eſt, quod abundantius generent capillos. ¶ Ad ſecundam dicendum eſt quod ſicut capilli cadaueris dicuntur æquiuocè capilli; ita creſcunt æquiuocè, hoc eſt non per intus-ſumptionem, vt in viuentibus; ſed per iuxta-poſitionem: quo pacto lapides & alia inanimata ſolent non ſemel augeri. Vnde non eodem modo augentur capilli in homine viuo, & mortuo; licet ſenſus nequeat percipere differentiam.

18 Tertio arguitur: nam ſi capilli informarentur anima totius viuentis, fuiſſent immediatè aſſumpti à Verbo diuino, vt ſupra aſſerebamus de ſanguine naturali: conſequens eſt falſum: ergo. Probatur minor: quia ſi capilli aſſumpti fuiſſent à Verbo, quilibet capillus à Chriſto ſeparatus deberet Verbo reuniri, iuxta illud Theologorum. *Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit:* hoc autem eſt contra communem omnium ſententiam: ergo capilli non fuerunt immediate aſſumpti à Verbo diuino. ¶ Reſpondetur concedendo ſequelam primi ſyllogiſmi, & negando ſequelam ſecundi, quam non euincit illud axioma: quia intelligitur de partibus principalioribus humanitatis; non vero de aliis minus principalibus, & minutiſſimis, vt ſunt capilli, & aliquid vnguium, & imperceptibiles illæ particulæ ſubſtantiæ, quas Chriſtus vi caloris naturalis amittebat: eæ quippe dimittebantur abſolutè à Verbo, vbi primum ſeparabantur ab humanitate.

19 Aduerſus ſecundam concluſionem ſentiunt nonnulli, in quorum ſententiæ fauorem ſolum occurrit, quod luxurioſi fiunt ex emiſſione ſeminis macri, ac debiles: & ſimiliter nutrices ex emiſſione lactis: at id non contingeret, ſi ſemen, & lac informarentur forma diuerſa ab anima indiuidui, in quo ſunt: ergo informantur eadem anima. ¶ Ad hoc tamen facile occurritur: nam licet ſemen, & lac non informentur anima indiuidui, in quo ſunt; nihilominus quo plus ſeminis, & lactis emittitur, eò conſumitur plus ſubſtantiæ illius, quæ in viuens conuertenda erat: quocirca iſtud flacceſcit. Quamvis enim per ſe loquendo, ſemen fiat ex reſiduo alimenti, & facta nutritione; attamen per accidens ob nimiam, & frequentem emiſſionem præuenit, & impedit nutritionem, fitque ex eo, quod debebat in animal conuerti.

QVÆSTIO III.

Vtrum anima ſit ſecundum diuerſam ſubſtantialiter rationem in diuerſis partibus corporis.

VIdimus in duabus *quæſt. præced.* ad quæ ſe extendat virtus informatiua animæ: vnde ſolum ſupereſt examinandum an ſecundum eandem ſubſtantialiter rationem, ſe extendat ad omnes corporis partes; ſeu quod idem eſt, an omnes,

&

& eosdem gradus substantiales habeat in oculis, in carne, in sanguine, & in ossibus. Supponimus autem ex dictis *in lib. de Generat. disput. 5. qu. 1.* omnem totalitatem partium integralium, actualium, & formalium esse de genere quantitatis: substantiæ vero intra proprium genus solum competere partes virtuales, vel ad summum potentiales. Et ita intelligenda sunt verba tituli quæstionis.

§. I.

Decisio difficultatis ex D. Thoma.

20 Dicendum est animam non esse in diuersis partibus corporis secundum diuersam substantialiter rationem; sed omnem diuersitatem actualem in eis repertam prouenire ex accidentibus, & esse formaliter accidentariam. Sic docet Angelic. Præcept. *1. p. q. 76. art. 5. ad 3.* his verbis: *Partes animalis vt oculus, manus, caro & os, & huiusmodi non sunt in specie, sed totum: & ideo non potest dici, proprie loquendo, quod sunt diuersarum specierum, sed quod sunt diuersarum dispositionum.* Vbi totam heterogeneitatem partium animalium reuocat ad diuersas dispositiones, quæ sunt extra substantiam, seu speciem rei. Idem docet *art. 8. seq. ad 5. & in 4. dist. 44. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3.* Sancto Doctori subscribunt communiter Thomistæ, Capreolus *in 2. d. 15. qu. 1. ad 6.* Caiet. *2. de Anima q. 1.* Sotus *5. Phys. qu. 3. ad 8.* Bañez *1. de Generat. qu. 8. cap. 4.* & alij. Quibus ex extraneis consentiunt Fons. *7. Metaph. cap. 17. qu. 1.* Conimbr. *1. de Generat. cap. 22.* & plures Iuniores.

Probatur primo: quia si anima secundum diuersam substantialiter rationem esset in osse, & carne; non possent non os, & caro distingui realiter actualiter intra genus substantiæ; siquidem participarent ab anima diuersum effectum formalem substantialem: at non distinguerentur vt duo tota substantialia, vt ex se liquet: ergo solum distinguerentur vt partes, & consequenter jam substantia haberet intra proprium genus partes actu distinctas: hoc autem est falsum, vt late ostendimus *in lib. de Generat.* loco citato: ergo &c. ¶ Confirmatur: quia vel prædictæ partes distinguerentur materialiter, & indiuidualiter, vel formaliter, & specifice? Primum dici non potest: quia materia est eiusdem rationis in omnibus partibus, atque indiuisibilis intra genus substantiæ. Secundum etiam est falsum: quia vbi est eadem forma, & in eodem subiecto, debet illi communicare eundem effectum formalem; siquidem forma confert subiecto quidquid in se habet: at eadem forma est in omnibus partibus corporis: ergo omnibus impertitur eundem effectum formalem: & consequenter prædictæ partes nequeunt distingui formaliter; & specifice intra genus substantiæ.

21 Secundo probatur conclusio alia ratione fundamentali: quoniam si anima esset secundum diuersam substantialiter rationem in diuersis

partibus corporis ; maxime quia vni verbi gratia ſanguini conferret gradum vegetandi, non vero ſentiendi; & alteri, vt puta carni communicaret gradum ſentiendi, non vero intelligendi : atqui anima confert cuiuis parti omnes gradus, quos in ſe habet, vſque ad vltimam differentiam : ergo repugnat, quod ſit ſecundum diuerſam ſubſtantialiter rationem in diuerſis partibus corporis. Probatur minor; quia repugnat aliquid eſſe ſub determinato genere, & non ſub determinata ſpecie, quam à forma participat, vt oſtendimus *in lib. Phyſic. diſp. 3. quæſt. 5.* ſed omnes partes hominis ſunt ſub determinato genere, ſcilicet ſub viuente : ergo debent eſſe ſub determinata, & atoma ſpecie, quam à forma participant : forma autem humana ſecundum ſuam atomam, & ſpecificam differentiam eſt ſimul eminenter formaliter vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, vt ſupra oſtendimus *diſp. 4. quæſt. 3.* ergo quælibet pars humana participat ab anima omnes prædictos gradus, & conſequenter anima non erit ſecundum vnam rationem in vna parte, & ſecundum aliam in alia. ¶ Confirmatur : quia anima noſtra eſt indiuiſibilis in partes, aut gradus realiter differentes : ergo inintelligibile eſt, quod ſit in aliqua parte corporis ſecundum aliquam rationem, & non ſecundum omnes, quas in ſe habet.

22 Reſpondebis primo id, quod participat imperfecte aliquam rationem, non participare illam ſecundum omne, quod in ſe habet; partes autem participant imperfectè ſpeciem ab anima : vnde non oportet quod participent ab illa omnes gradus, quos in ſe habet, etſi prædicti gradus non diſtinguantur in anima.

Sed contra eſt *primo* : quia non repugnat parti verbi gratia quantitatis participare totam ſpeciem, & eſſentiam quantitatis, eò quod prædicta eſſentia petit ſaluari in tota quantitate, & in qualibet illius parte : atqui anima noſtra, cum indiuiſibilis ſit, debet ſaluari tota : & ſecundum omne, quod in ſe habet, in qualibet parte : ergo non repugnat partibus humanis participare animam ſecundum omnem rationem ſubſtantialem quam in ſe habet. Secundo : nam hic non loquimur de oſſe v. g. & carne, quatenus formaliter diſtinguuntur, & important in recto quantitatem, ſed quatenus pertinent ad genus ſubſtantiæ, & ſolum diſtinguuntur realiter potentialiter : at ſecundum hanc poſteriorem rationem non participant imperfecte ſpeciem humanam; ſed ſunt realiter actualiter totus homo : ergo non eſt, cur participent animam imperfecte; ſed debent eam habere ſecundum omnes gradus, quos in ſe habet.

23 Reſpondebis ſecundo formam non communicare ea, quæ in ſe indiuiſibiliter habet, niſi ſubiecto diſpoſito : vnde cum in omnibus partibus corporis non inueniantur eædem diſpoſitiones; nequit eis impertiri omnes, & eoſdem gradus : ſed ſecundum vnum eſt

in

in vna, & secundum alium in alia. Sicut etiam potentiæ vitales proueniunt ab eadem, & indiuisibili anima nostra; & tamen non sunt eædem potentiæ in omnibus organis ob defectum dispositionum.

Sed contra: quia vbi datur sufficiens dispositio ad recipiendam aliquam formam secundum suam entitatem, datur etiam ad recipiendum vltimum, & specificum gradum prædictæ formæ, qui ab entitate formæ nec virtualiter distinguitur: & oppositum est inintelligibile: sed omnes partes hominis habent sufficientem dispositionem ad recipiendam entitatem animæ; alias anima non esset in illis: ergo etiam sunt sufficienter dispositæ, vt recipiant vltimum gradum specificum eiusdem animæ: atqui hæc secundum illum gradum est eminenter formaliter, & absque distinctione virtuali, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: ergo anima secundum omnes istas rationes est in omnibus & singulis partibus corporis, ac proinde non secundum vnam in vna, & secundum aliam in alia. Quæ impugnatio adhuc vrgeret, licet admitteremus partes entitatiuas tàm in anima, quàm in materia: quia in prædicto casu omnes partes animæ essent eiusdem rationis, & gauderent eadem vltima differentia: ergo quævis pars animæ communicaret cuiuis parti materiæ eosdem gradus vsque ad vltimum inclusiuè. Illud autem exemplum potentiarum vitalium nullius roboris est: quoniam prædictæ potentiæ non sunt realiter idem inter se, nec recipiuntur in toto animali, nec in qualibet parte illius; sed determinant peculiaria organa: vnde non sequitur, quod dispositiones ad vnam potentiam sint etiam dispositiones ad aliam. Anima autem ex vna parte est indiuisibilis, & ex alia debet esse in toto, & singulis illius partibus: quocirca dispositiones sufficientes ad recipiendam animam secundum vnum gradum sufficiunt ad eam recipiendam secundum omnes.

24 Denique respondebis hinc solùm haberi, quod anima sit in omnibus partibus secundum omnes gradus, non tamen secundum eundem modum essendi; sed secundum vniones indiuidualiter differentes. Quod sufficit vt dicatur esse secundum diuersam substantialiter rationem in diuersis partibus corporis. ¶ Sed hoc nihil est: quia quæstio præsens procedit de anima secundum gradus, & rationes, quæ ex parte illius se tenent in actu primo: quamobrem si secundum eosdem gradus est in omnibus partibus, saluatur indemnis nostra assertio, quidquid sit de modo vnionis. Præterquam quod si eadem anima secundum omnem suam entitatem, & gradus est in omnibus partibus; etiam modus vnionis ei correspondens erit totus in quauis parte: nam ea, quæ sunt de genere substantiæ, habent esse indiuisibiliter intra illud.

§. II.

Demoliuntur fundamenta contraria.

25 ADuersam nobis sententiam defendunt Suarez *tract. 3. de Anima, libr. 1. cap. 2.* Rubio *in hoc lib. 2. cap. 3. quæst. 7.* & alij. Quæ potest probari primo ex D. Thom. *quæst. de Anima, art. 9. ad 14.* vbi inquit: *Licet anima sit forma simplex secundum essentiam est multiplex virtute secundum quod est principium diuersarum operationum: & quia forma perficit materiam non solùm quantum ad esse, sed etiam ad operandum; ideo oportet, quod licet anima sit vna forma, quod partes corporis diuersimodè perficiantur ab ipsa, & vnaquæque secundum quod competit eius operationi.* Partes autem corporis nequeunt diuersimodè perfici ab Anima, nisi hæc sit in illis secundum diuersam substantialiter rationem. ¶ Confirmatur ex eodem S. Doctore *quæst. de spiritualibus creaturis, art. 4. ad 14.* vbi ait: *Caro mea cum carne tua magis conuenit secundum rationem speciei, quam caro mea cum osse meo.* Quod verificari non valet, nisi anima sit secundum diuersam substantialiter rationem in osse, & carne.

Respondetur ad primam auctoritatem, quod cum D. Thom. asserit animam diuersimode perficere partes corporis, loquitur non de diuersitate substantiali, sed solum accidentali, & dispositiua: quatenus hæc sufficit, & requiritur, vt oriantur diuersæ potentiæ vitales in ordine ad diuersa obiecta. Quod satis expressit S. Doct. illis verbis: *Vnamquamque perficit, secundum quod competit eius operationi:* ad quod plane sufficit diuersum esse accidentale. Ad confirmationem dicendum est D. Thom. loqui de majori conuenientia specifica accidentali, & dispositiua; non vero substantiali, & essentiali.

26 Arguitur secundo: quia anima definitur per corpus organicum sicut per subiectum à se formatum, & pertinens formaliter ad genus substantiæ, vt supra explicuimus *disp. 2. quæst. 1.* sed anima nequit esse causa diuersitatis organorum in corpore, nisi vniatur partibus eius secundum diuersam substantialiter rationem: ego sic vnitur. ¶ Respondetur animam definiri per corpus organicum organizatione radicali, non vero formali, & actuali. Vt autem corpus intra genus substantiæ sit organicum prædicto modo; non desideratur, quod anima vniatur diuersis partibus secundum diuersam substantialiter rationem, sicut nec quod habeat diuersas partes entitatiuas, vt constat in anima nostra. Sed sufficit quod radicet diuersam organizationem accidentalem, vt magis apparebit ex dicendis.

27 Arguitur tertio: quoniam diuersus modus operandi petit diuersum modum essendi; cùm operari consequatur ad esse: sed anima in diuersis partibus corporis habet diuersum modum operandi; siquidè ab anima provt in capite, oriuntur operationes, quas non elicit in corde:

corde: ergo in diuersis partibus corporis habet diuersum modum essendi, & consequenter est in illis secundum diuersam substantialiter rationem. Nec vim huius argumenti effugies, si respondeas diuersitatem illam operandi prouenire ex diuersis potentijs, & dispositionibus, quas anima in diuersis partibus sortitur: nam ipsismet dispositionibus potest idem argumẽtum applicari. Etenim eæ dispositiones oriuntur ab anima: ergo si anima haberet eundem modum sustantialem essendi in capite, & corde; vtrobique radicaret easdem dispositiones: si ergo radicat diuersas signum est, quod habet diuersum modum essendi in vna, ac in altera parte.

Confirmatur: quia diuersæ proprietates petunt oriri à formis saltem partialiter, ac virtualiter diuersis: sed in diuersis organis sunt diuersæ proprietates, vt in oculis potentia visiua, & in auribus auditiua: ergo ibi sunt virtualiter plures formæ, vel quod in idem redit, est forma secundum diuersas partialiter rationes.

Respondetur argumento, quod ad vnum, & eundem modum substantialem essendi, quem forma habet & in toto, & in partibus possunt sequi plures, & diuersæ operationes, ac dispositiones ad operandum. Cuius ratio in naturam ipsius animæ, & viuentis per ipsam constituti reuocanda est: nam cum anima sit forma eminens, petit esse radix plurium, ac diuersarum operationum, necnon potentiarum, quæ pro illis requiruntur. Natura etiam viuentis petit diuersa organa, quorum aliqua sint in loco superiori, vt caput; alia in inferiori vt pedes; quædam sint dura, & solida, vt ossa; quædam mollia, & fluida, vt humores. Quamobrem, quod in hac parte, potius, quam in illa inueniantur eæ, & non aliæ operationes, non in diuersas rationes, vel partes substantiales debet refundi; sed in naturam cùm viuentis, cùm animæ, quæ illam varietatem exposcunt. Ad quam doctrinam tenentur proculdubiò confugere ipsi Aduersarij: nam in homine vnicam formam constituunt, eamque asserunt esse tàm in oculis, quam in auribus secundum vnam, & eandem rationem, seu gradum; cum vtrique parti conferat esse vegetatiuum, & esse sensitiuum: ac proinde provt est in vna parte, non distinguitur substantialiter à se ipsa, quatenus existit in alia. Et nihilominus anima nostra diuersas operationes, & dispositiones radicat in oculis, ac in auribus, vt ex se liquet. Quod satis suadet pro hac varietate operationum non requiri diuersas partes, rationes, aut gradus substantiales: sed sufficere eminentiam formæ, & propriam conditionem naturæ viuentis.

Ad confirmationem dicendum est diuersas proprietates adæquantes formam bene arguere distinctionem formarum; secus vero proprietates inadæquatas, seu quæ eidem formæ debentur: nam pro his sufficit vna, & eadem forma, quæ si fuerit eminens, & vitalis, petit quod eæ proprietates dispergantur per diuersa corporis organa. Et licet

præ

prædictæ proprietates insint diuersis partibus ; nihilominus non sunt proprietates ipsarum partium, sed vnius, & eiusdem viuentis, quod illas postulat habere in diuersis partibus : sic enim congruit illius naturæ.

28 Arguitur quarto : quoniam capillus habet ab anima esse vegetatiuum, non vero sensitiuum ; crescit enim, sed non sentit : & caro habet ab anima esse sensitiuum, non vero intellectiuum ; siquidem sentit, & non intelligit : ergo anima est in capillo præcise secundum esse vegetatiuum ; in carne vero secundum esse sensitiuum : ergo est in diuersis partibus secundum rationem substantialiter diuersam.

Respondetur, quod licet capillus non sentiat, eò quod non habet dispositiones, & potentiam proximam ad sentiendum ; nihilominus gaudet esse sensitiuo radicali : quia esse hoc modo sensitiuum non distinguitur ab esse vegetatiuo radicali : quamobrem vtrumque indiuisibiliter ab eadem anima participat.

Sed replicabis : quoniam esse est propter operari : ergo anima superflue tribuit capillis esse sensitiuum, si semel ad prædictum esse non potest sequi sensatio. ¶ Respondetur illud proloquium in antecedenti relatum solùm verificari de rebus vt constitutis per suas potentias proxime operatiuas, non vero de substantia, quæ est radix operandi. Vnde licet in eo organo, in quo nequit esse aliqua operatio, non sit potentia immediata ad eam eliciendam, quia frustra esset : queat tamen esse substantia secundum illum gradum, qui prædictam potentiam, & operationem in alijs organis, radicat. Nec hinc sequitur, quod talis gradus ibidem sit frustra : tùm quia substantia non est propter operationem, sed propter se : tùm quia est ibi, vt prædictam partem in vltima, & adæquata specie constituat, vt supra diximus. Quæ omnia possunt illustrari exemplo naturæ diuinæ : hæc quippe est principium *quo* generandi, & spirandi ad intra ; & est tota, & cum omni virtute in singulis personis : & nihilominus in Filio non generat, nec in Spiritu Sancto spirat. Cuius rei non alia ratio reddi potest, nisi quod natura est principium communicationis iuxta exigentiam personarum ; in quibus est. Prima autem persona petit generare ; non vero secunda : & prima, ac secunda petunt spirare ; non vero tertia : quocirca nec Verbum generat, nec Spiritus Sanctus spirat ; licet in vtroque sit natura, quæ est principium generandi, & spirandi. Sic similiter, quamvis anima secundum id substantiale, quod habet in capillis, sit principium radicale sufficiens ad sentiendum ; nihilominus non sentit in capillis, sed in carne : quia natura viuentis petit, quod non capillus, sed caro sentiat.

29 Arguitur vltimo : quoniam si pars aliqua principalis v. g. manus abscindatur, nequit recuperari per naturam, quantumuis plus materiæ media nutritione acquiratur : sed hoc non oritur ex defectu materiæ, siquidem vt supponitur suppetit in abundantia ; neque ex defe-

ctu

ctu animæ; cùm tota perseueret in corpore: ergo prædicta irrecuperabilitas prouenit ex eo, quod anima in manu habet modum substantialiter diuersum ab ijs, quos habet in alijs partibus: qui, cùm ablatus fuerit præcisa manu, irrecuperabilis fit. ¶ Respondetur negando consequentiam: quæ si conuinceret, probaret vtique dentes, vngues, capillos, & arborum ramos esse irrecuperabilia, vt consideranti constabit: quod tamen contradicit experientiæ, & satis suadet animam non habere in diuersis partibns diuersos substantialiter modos. Quod ergo manus præcisa nequeat recuperari aliunde prouenit, videlicet ex nobilitate, & magna organizatione prædictæ partis: hinc enim oritur, quod solùm virtute generantis, & in determinato loco valeat efformari.

DISPVTATIO VI.

De potentijs animæ in generali.

POSTQVAM egimus de quidditate animæ, & eius informatione, rectus ordo petit, vt differamus de potentijs, quæ illius essentiam comitantur. Plura autem, quæ circa potentias difficultatem incutiunt, discussa manent *in libr. Physicor.* & alibi. Quamobrem in præsenti ea seligere curabimus, quæ noui aliquid possint afferre.

QVÆSTIO I.

An potentiæ animæ ſpecificentur ab actibus, & obiectis?

NOn inueſtigamus, vtrum potentia conſtituatur in ſpecie per actum, & obiectum tanquam per formam intrinſecam: quippe euidens eſt actum, & obiectum non ſic impertiri ſpeciem potentiæ; cùm potentia ſit quid diſtinctum ab illis, & non ſemel pertineat ad diuerſum genus, poſſitque inſuper abſque eis exiſtentibus reperiri; cùm tamen nequeat à propria ſpecie denudari. Sed ſenſus eſt, an ſpecificatio potentiæ deſumatur ab obiecto, & actu adæquato ſicut à termino, menſura, & ſpecificatiuo extrinſeco, & per ſe inſpecto: ita quidem, vt licet actus, & obiectum ſint quid extrinſecum; habitudo tamen potentiæ ad illa ſit intrinſeca, & eſſentialis ipſi potentiæ & per eam vnitatem in ſe, ac diſtinctionem ab alijs potentijs accipiat.

Sed priuſquam vlterius progrediamur, breuiter prælibandum eſt potentias animæ eſſe in duplici differentia, paſſiuas videlicet, & actiuas. Ex quibus paſſiuæ non dicuntur tales, quia nullam habeant actiuitatem; ſed quia priuſquam agant, debent pati, ſeu aliquid ab obiecto recipere. Et huiuſmodi ſunt omnes potentiæ cognoſcitiuæ: recipiunt enim ab obiecto ſpeciem, ſeu eius ſimilitudinem per quam tanquam per virtutem obiecti, fiunt proxime potentes ad illud attingendum. Actiuæ autem appellantur, quæ poſſunt operari, quin aliquid recipiant ab obiecto, eò quod reſpiciunt illud vt finem, de cuius ratione non eſt, quod aliquid in potentia producat; ſed quod illam trahat, & conuertat ad ſe ipſum. Quæ breuiter, & optime complexus eſt D. Thom. 1. *p. qu.* 77. *art.* 3. dicens: *Obiectum comparatur ad actum potentiæ paſſiuæ, ſicut principium, & cauſa mouens: calor enim in quantum mouet viſum, eſt principium viſionis. Ad actum autem potentiæ actiuæ comparatur obiectum vt terminus, & finis, ſicut augmentatiuæ virtutis obiectum eſt quantum perfectum, quod eſt finis augmenti.* Quæſtio ergo præſens procedit de omnibus animæ potentijs tàm actiuis, quàm paſſiuis: & licet ſpecialiter moueatur circa potentias animæ, illius tamen reſolutio quibuſvis alijs potentijs proportionabiliter applicanda eſt.

§. I.

Statuitur vera ſententia Ariſtotel. & D. Thomæ.

1 DIcendum eſt primo ſpecificationem potentiarum deſumi ab earum actibus, & obiectis formalibus, & per ſe inſpectis. In hoc aſſerendo perpetuus eſt

Angelic.

Angelic. Doct. quocirca innumera, quæ possemus, non recensemus illius testimonia. Videatur *1. p. quæst. 77. art. 3.* vbi nostram assertionem statuit, & probat his verbis: *Potentia secundum id, quod potentia est, ordinatur ad actum: vnde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur; & per consequens oportet, quod ratio potentiæ diuersificetur, vt diuersificetur ratio actus: ratio autem actus diuersificatur secundum diuersam rationem obiecti. &c. Vnde necesse est, quod potentiæ diuersificentur secundum actus, & obiecta.* Quam doctrinam desumpsit ex Aristotel. *in præsenti, text. 33.* vbi inquit: *Priores potentijs actus, & operationes secundum rationes sunt; & adhuc his priora sunt opposita, sine obiecta.* Vnde sic arguit D. Thom. *loc. citat.* in argumento sed contra: *Posteriora distinguuntur secundum priora: sed Philosophus dicit 2. de Anima quod priores potentijs actus, & operationes secundum rationem sunt, & adhuc his priora sunt opposita, sine obiecta: ergo potentiæ distinguuntur secundum actus, & obiecta.* Eandem sententiam sequuntur communiter Philosophi, nonnullis exceptis, quos infra referemus.

Probatur primo ratione fundamentali desumpta ex adductis testimonijs: quoniam vnumquodque specificatur ab eo, quod respicit per se primo: sed potentia respicit per se primo actum, & actus respicit per se primo obiectum: ergo potentia specificatur immediate ab actu, & actus immediate ab obiecto; & consequenter etiam potentia specificabitur mediate, seu medijs actibus, ab obiecto. Consequentia est legitima. Major etiam constat, tùm inductiue in omnibus respectiuis, qualia sunt motus, relationes, & habitus; quæ specificantur ab eo, quod per se primo respiciunt. Tùm ratione: quia specificari ab aliquo extrinseco nihil aliud est, quam habere essentiam per habitudinem ad illud; ita vt licet terminus sit extrinsecus, habitudo tamen ad ipsum sit primaria, intrinseca, & essentialis: sed vnumquodque habet essentiam, per habitudinem ad id, quod respicit per se primo; alias non esset, cur illud per se primo respiceret: ergo vnumquodque specificatur ab eo, quod respicit per se primo. Tùm denique: nam id, quod per se primo respicitur, est forma, seu regula, & mensura extrinseca essentiæ respicientis: quia essentia respectiui debet esse talis, qualem petit terminus inspectus: sed specificari ab aliquo extrinseco est habere speciem per ordinem ad ipsum, seu iuxta exigentiam ipsius: ergo id, quod per se primo respicit aliud, specificatur ab eo. Minor autem probatur: quia potentia immediate operatiua ordinatur per se primo ad operari, propter quod instituitur à natura: ergo respicit per se primo operationem. Deinde actus essentialiter est via ad obiectum, vel attingentia illius, vel vnio cum eo: sed via, attingentia, & vnio respiciunt per se primo id, ad quod per se primo tendunt, vel attingunt, vel vniunt: ergo actus respicit per se primo obiectum.

Confirmatur: quia vnumquodque specificatur, saltem tanquam

à termino extrinseco, ab eo, per quod essentialiter definitur: cùm definitio essentialis explicet essentiam rei per ea, quæ sunt illi essentialia: sed potentia vitalis definitur essentialiter per actus, & obiectum, ad quæ per se primo ordinatur; cùm nihil aliud sit prædicta potentia, quam principium proximum, quo viuens se mouet ad attingendum obiectum: ergo potentia specificatur ab actu, & obiecto; ab illo quidem immediate, ab isto vero mediate, seu medio actu.

Dices: essentia potentiæ est vnita: ergo habet vnicum specificatiuum: ergo specificatur ab actu, vel ab obiecto; non vero ab vtroque simul. ¶ Respondetur negando vltimam consequentiam: quia actus, & obiectum se habent vt vnicum specificatiuum respectu potentiæ, eò quod actus specificatur ab obiecto, & non transfundit speciem potentiæ, nisi quatenus in specificando illam obiecto subordinatur.

2 Dicendum est secundo potentias sumere vnitatem, & distinctionem realem ab actibus adæquatis realiter distinctis, & ab obiectis adæquatis formaliter diuersis. Hæc conclusio etiam est D. Thom. 1. *p. q.* 77. *art.* 3. vbi ex eo probat substantiam, & potentiam immediate operatiuam distingui realiter in creaturis, quia *esse*, quod est actus correspondens substantiæ, & *operari*, quod est actus correspondens potentiæ proximæ realiter distinguuntur. *Et qu.* 59. *art.* 2. *ad* 2. docuerat potentias realiter distingui hoc ipso, quod habeant obiecta adæquata distincta formaliter, siue in esse obiecti, & concludit: *Et ideo diuersitas secundum rationem boni, & veri*, quæ est formalis in esse obiecti, *sufficit ad distinctionem intellectus, & voluntatis*, quæ realis est. Idem docent communiter Philosophi quos proinde superuacaneum foret referre.

Hæc secunda conclusio potest à priori suaderi ex prima: nam distinctio essentialis, & specifica rerum secum affert distinctionem realem earum; cùm duæ essentiæ totales, & adæquate diuersæ eo ipso realiter distinguantur, vt docuimus in Logica *disp.* 14. *quæst.* 5. sed potentiæ sumunt suam speciem ab actibus, & obiectis per se primo inspectis, & formaliter distinctis, vt statuimus *numer. præced.* ergo potentiæ sumunt vnitatem, & distinctionem realem ab eisdem actibus, & obiectis. Sed insuper suadetur alio fundamento: quoniam si diuersitas formalis obiectorum, & distinctio realis actuum adæquatorum non sufficeret ad communicandum distinctionem realem potentijs, à quibus respiciuntur; non esset ratio, cur intellectus, & voluntas distinguerentur realiter, & consequens est absurdum: ergo. Probatur sequela: quia prædictæ duæ potentiæ non possent sumere distinctionem realem à subiecto; cùm habeant idem subiectum indiuisibile vtrique commune, nempe animam: neque illam desumunt ab obiectis realiter diuersis; siquidem earum obiecta videlicet verum, & bonũ sunt realiter idem: ergo si ad distinctionem

nem

nem realem potentiarum non sufficeret distinctio realis actuum, & formalis objectorum; non esset, cur intellectus, & voluntas realiter distinguerentur.

Confirmatur primò: nam hoc ipso, quod objecta distinguantur formaliter in esse objecti, habent diuersum modum immutandi realiter potentiam; cùm ratio formalis objecti consistat in vi immutandi potentiam, & terminandi habitudinem illius: atqui ad diuersos modos immutationis requiruntur potentiæ realiter diuersæ, vt apparet in visu; & auditu, quæ hoc ipso, quod debeant diuersimodè immutari ab objecto, petunt diuersas dispositiones, & organa, & consequenter realiter distinguuntur: ergo ad distinctionem realem potentiarum sufficit formalis diuersitas objectorum. ¶ Confirmatur secundò: quia hoc ipso, quod duo objecta distinguantur formaliter in esse objecti; ita vnum respicitur ab vna potentia, ac si non esset realiter identificatum cum alio, quod ab alia potentia respicitur: qua de causa licet verum, & bonum sint realiter idem; nihilominus intellectus tendit in verum, ac si non esset bonum, & voluntas respicit bonum, ac si non esset verum: ergo identificatio realis objectorum purè de materiali se habet respectu potentiarum: ergo vt potentiæ realiter distinguantur, sufficit diuersitas formalis objectorum.

§. II.

Referuntur, & refelluntur rationes aduersæ.

3 SEntentiam negantem, & nobis contrariam amplectuntur Scotus *in 2. distinct. 16. quæst. vn.* Philoponus Appollinaris, Paulus Venetus *in præsenti, text. 33.* & alij. Quæ probatur ratione primo: quia prius nequit specificari à posteriori; cùm hoc supponat illud in sua specie constitutum: sed potentiæ sunt priores actibus, vt ex se liquet: ergo nequeunt specificari ab illis; & consequenter neque ab obiectis, siquidem hæc non aliter tendunt, nisi per actus.

Respondetur specificatiuum solùm postulare præcedentiam respectu specificati in eo genere, in quo illi transfundit speciem. Specificare autem pertinet ad genus causæ formalis, intrinsecæ quidem, quando datur species per informationem; extrinsecæ vero, cùm communicatur per solam terminationem habitudinis. Vnde vt actus, & obiecta possint hoc posteriori modo specificare potentias, sufficit quod illas præcedant in genere causæ formalis extrinsecæ: quamvis in alio genere, nempe causæ efficientis habeant dependentiam à potentijs, & ad illas subsequantur. In quo nulla datur contradictio; cùm causæ ad inuicem sint causæ & se mutuo præcedant in diuersis generibus, vt ostendimus *in libr. Physicor. disput. 15. quæst. 2. & libr. de Generat. disput. 2. qu. 7.* Quod satis

est ad diluendam vim argumenti; quidquid sit, an actus excedat, vel non perfectionem potentiæ, & queat esse finis illius: quippe specificare non est proprium finis, vt finis; sed formæ. In genere autem causæ formalis actus, & obiecta præcedunt potentias, & sunt mensura illarum, vt supra diximus.

4 Secundo arguitur: quoniam si potentiæ desumerent speciem, vnitatem, & distinctionem ab obiectis; distinguerentur eo modo, quo obiecta distinguuntur: consequens est falsum; siquidem intellectus, & voluntas distinguuntur realiter, licet eorum obiecta, nempe verum, & bonum sola ratione differant; visus autem est vnica potentia, quamvis attingat obiecta realiter, & specifice distincta, videlicet album, & nigrum: ergo potentiæ non specificantur, & distinguuntur per obiecta. ¶ Confirmatur: quia vna, & eadem potentia potest habere plures actus distinctos realiter, & specifice, nedum materialiter, & in esse entis; sed etiam formaliter, & in esse actus: vt patet in actibus fidei, scientiæ, & opinionis, qui distinguuntur specie in ratione actus, cum procedant per diuersa media; & nihilominus eliciuntur ab eodem intellectu: ergo signum est potentiam non specificari, & distingui per actus; alias diuersitas actuum refunderetur in potentiam.

Respondetur argumento negando sequelam: quoniam non requiritur tanta distinctio realis in obiectis, quanta reperitur in potentiis: eò quod obiectum non dat vnitatem, & distinctionem potentiis per modum intrinseci constitutiui; sed solum per modum primæ radicis extrinsecæ. Vnde cum in radice inueniatur maior vnitas, quam in ramis, fieri potest, quod res, quæ realiter in esse entis est vna, sit obiectum formale distinctarum potentiarum, eisque distinctionem realem per modum termini transfundat. Quod fiet magis intelligibile, si animaduertamus distinctionem realem potentiarum non causari per se à distinctione rationis inter obiecta; sed alio modo longè diuerso. Etenim distinctio rerum intenditur non directe, & per se; sed consequitur earum speciem, atque vnitatem. Species autem, & vnitas potentiarum bene potest desumi ab vnitatibus formalibus obiectiuis; tametsi eæ non distinguantur realiter inter se: istæ quippe non influunt per distinctionem, sed per vnitatem, & rationem formalem in esse obiecti: neque specificant ratione entitatis, vel identitatis materialis, sed ratione proportionis, & coaptationis formalis cum potentiis. Vnde debent impertiri diuersam specificationem, quoties habent diuersam rationem aut modum coaptationis; quidquid sit de identitate materiali. Semel autem communicatis potentiis vnitatibus, & specificationibus adæquatis, consequens est, vt ipsæ potentiæ differant realiter inter se. Vnde hæc distinctio realis potentiarum non à distinctione rationis obiectorum; sed magis ab earum rationibus formalibus, & positiuis desumenda est.

Id vero, quod de visu tangitur in argumento, facile diluitur: nam minime

minime asserimus, quod distinctio realis potentiarum sumatur ab obiectis inadæquatis; sed ab adæquatis, & totalibus: album autem, & nigrum sunt obiecta inadæquata visus: vnde attingi valent ab eadem potentia. ¶ Per quod etiam soluitur confirmatio: quoniam illi actus sunt inadæquati, & partiales respectu intellectus: iste quippe vt potentia valde vniuersalis respicit illos sub quadam communi ratione, in qua omnes adunantur; quantumuis secundum suas particulares rationes differant formaliter inter se.

5 Tertio arguitur: quia habitus specificatur ab obiecto: ergo si potentia specificatur ab illo; sequitur, quod habitus, & potentia sint eiusdem speciei: quod est absurdum. ¶ Respondetur negando consequentiam: quia specificatio potentiæ, & habitus non sumitur ab obiecto materialiter sumpto, sed ab illo formaliter accepto, & quatenus substat rationi *sub qua*. Ratio autem sub qua obiectum attingitur à potentia est vniuersalior, quam illa, sub qua attingitur ab habitu: & ideo communicat eis essentias valde diuersas.

Replicabis: quoniam hinc saltem sequitur habitum esse partem subiectiuam potentiæ, & consequenter veram speciem illius. Tum quia ita se habet limitatio in obiecto habitus ad obiectum potentiæ, sicut limitatio in habitu ad potentiam: obiectum autem habitus ob suam limitationem est pars subiectiua obiecti potentiæ: ergo habitus est species, & pars subiectiua potentiæ. Tum etiam quia eandem proportionem debent seruare inter se habitus, & potentia; ac illorum obiecta: si ergo obiectum habitus est pars subiectiua obiecti potentiæ; id ipsum habitui respectu potentiæ tribuendum est. Consequens autem est absurdum, & vt ex se liquet. ¶ Respondetur negando sequelam: quia licet collatis obiectis potentiæ, & habitus in esse rei, obiectum habitus sit pars subiectiua obiecti potentiæ, & illi per directam prædicationem subijciatur: at in esse obiecti quodlibet habet ratione̅ atomam *sub qua*, per quam in specie infima vltimo constituitur. Quamobrem nequeunt comparari per modum superioris, & inferioris; licet ratio specifica obiecti potentiæ sit eleuatior, quam ratio specifica obiecti habitus. Comparatio autem habitus, & potentiæ debet fieri attendendo ad eorum obiecta, non in esse rei; sed in ratione obiecti considerata. Per quod patet ad vtramque probationem sequelæ

6 Vltimo arguitur: nam actio specificatur à suo principio; cum ad ipsum dicat essentialem habitudinem, vt docuimus *in Log. disp. 16. qu. 1. §. 1.* ergo non specificatur à termino, seu obiecto: ergo nec potentia mediis actibus, speciem accipiet ab illo. ¶ Respondetur negando consequentiam: quia actio non specificatur à principio actiuo, nisi quatenus istud præhabet virtualiter, vel secundum aliquam proportionem ipsum terminum: inde in idem re ipsa redit, quod actio specificetur à principio, vel à termino. Quod satis expresse significauit D. Thom. *1. p. q. 77. art. 3.* dum indifferenter

ferenter dixit: *Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine, seu termino.* De quo videndus est Bañez ibidem. Cum enim actio essentialiter sit ordo agentis ad obiectum, seu terminum; debet, speciem capere ab vtroque, quatenus sunt virtualiter, vel alio modo idem; maxime quia obiectum formale est etiam motiuum, & habet, aliqualiter rationem principij. Cæterum licet actus (tacitam obiectionem præoccupamus) in esse rei, & adæquate conceptus specificetur à potentia: at in esse actus, & specificatiui potentiæ non specificatur ab illa; sed solum exprimit habitudinem ad obiectum. Nam sicut potentia respicit obiectum vt terminum suæ habitudinis, & sub hac ratione specificatur ab illo: ita etiam specificatur ab actu, quatenus hic est tendentia ad obiectum, & attingentia ipsius: sub qua ratione non explicat, quod specificetur alias, & dependeat à principio.

QVÆSTIO II.

Quot sint genera potentiarum animæ.

HAbita notitia specificationis potentiarum vitalium, æquum est, vt earum genera inuestigemus: quod in præsenti præstare curabimus.

§. I.

Illustratur communis sententia.

7 DIcendum est genera potentiarum vitalium esse quinque, videlicet vegetatiuum, sensitiuum, locomotiuum, intellectiuum, & appetitiuum. Hæc assertio est communis inter Philosophos illamque expresse docuit Aristot. *in præf. cap. 3. text. 27.* Videatur Angelic. Doct. *1. p. qu. 78. art. 1.* vbi Caiet. & Bañez.

Probatur ratione D. Thom. quoniam potentiæ sumunt suam vnitatem, & distinctionem essentialem ab obiectis, vt supra statuimus *num. 1.* sed quinque sunt genera obiectorũ circa quæ versantur potentiæ animæ: ergo tot sunt genera prædictarum potentiarum. Probatur minor: nam vel hoc obiectum est corpus vnitum, circa quod anima semper operatur: & huic correspondet *potentia vegetatiua.* Vel est aliquid magis commune, nempe corpus sensibile vnitum per suam speciem, seu imaginem: & huic correspondet *potentia sensitiua.* Vel est aliquid vniuersale, vtputa ens in sua latitudine: & huic correspondet *potentia intellectiua.* Porrò sensus, & intellectus queunt attingere obiecta remota, & absentia: vnde eorum obiectum subit aliam nouam rationem, nempe boni nondum possessi. Et hoc bonum potest duplicem actum terminare, intentionis videlicet, & acquisitionis. Illi ergo, vt terminat intentionem correspondet *potentia appetitiua,*

appetitiua, cuius præcipuus actus est intendere bonum sibi conueniens. Ei autem, vt terminat acquisitionem, vel quatenus est terminus in executione acquisitus, correspondet *potentia loco motiua*; hæc quippe tribuitur animalibus, vt per eam comparent bonum prius appetitum. Cùm ergo non possimus alia genera obiectorum potentiarum vitalium excogitare; sequitur quinque esse genera prædictorum obiectorum, & subinde potentiarum animæ.

Confirmatur: nam quinque sunt genera operationum vitalium: ergo etiam sunt quinque genera potentiarum vitalium; cum potentiæ specificentur, & multiplicentur per actus adæquatos sibi correspondentes. Antecedens suadetur: quia aliqua viuentia sunt ita materialia, & per materiam contracta, vt solum possint esse id, quod sunt, quamvis habeant aliquam eleuationem supra res inanimatas, & possint se ipsa immutare: & hæc vendicant sibi peculiare genus operationis videlicet *vegetare*. Alia autem habent esse ita eleuatum, vt possint fieri alia quodammodo, videlicet in esse intentionali, seu per species obiectorum. Et hoc fieri valet dupliciter, nempe aut recipiendo species spirituales; aut recipiendo species quæ licet corporeæ sint, multum tamen eleuentur supra materiam. Vnde viuentibus, quæ vtuntur prioribus speciebus correspondet aliud genus operationis, nempe *intelligere*, illis vero, quæ vtuntur posterioribus, correspondet aliud, nimirum *sentire*. Ad vnamquamque autem formam sequitur aliqua inclinatio, seu propensio in bonum, & ex inclinatione sequitur operatio, seu motus: sicut ad formam ignis sequitur inclinatio ad locum sursum, & ad talem inclinationem ascensus. Vnde ad formam sensibilem vel intelligibilem duplex etiam alia operatio consequitur, videlicet *appetere* bonum absens; & deinde *moueri* ad illud Sicut ergo in viuentibus dantur quinque genera operationum, scilicet vegetare, sentire, intelligere, appetere, & se mouere: ita distinguenda sunt quinque genera potentiarum; & hæc sunt vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum, appetitiuum & loco motiuum.

§. II.

Solutio aliquarum obiectionum.

8 ADuersus communem assertionem sunt aliquæ obiectiones, quibus respondere oportet. Primo igitur oppones: nam potentiæ debent multiplicari iuxta numerum vel animarum; cum sint earum proprietates, vel modorum viuendi; cum debeant illis coaptari: sed animæ sunt tres, & modi viuendi quatuor: ergo genera potentiarum animæ erunt tria, vel quatuor, non vero quinque. ¶ Respondetur obiectionem profectò concludere; si ex eadem radice desumeretur numerus animarum, modorum viuendi, & potentiarum vitalium. Sed longe aliter res se habet: nam animæ multiplicantur penes excessum supra

formas inanimatas; modi vero viuendi penes ſeparabilitatem vnius ab alio, potentiæ autem penes diuerſitatem operationum, & obiectorum. Vnde cum modi excedendi res inanimatas ſint tres, vt ſupra diximus *diſp.* 4. *qu.* 1. & modi ſeparabiles quatuor, vt ſtatuimus ibidem *qu.* 2. & modi generales diuerſarum operationum quinque vt nuper oſtendimus: merito aſſeritur animas eſſe tres, modos viuendi quatuor, & genera potentiarum quinque.

9 Obijcies ſecundo, quoniam intellectiuum non continet ſub ſe plures potentias intellectiuas ſpecie diſtinctas, ſed ſolo numero; cum omnes intellectus humani ſint eiuſdem ſpeciei, vt ex ſe liquet: ergo intellectiuum non eſt peculiare genus: hoc enim debet ſub ſe continere aliquas ſpecies. ¶ Reſpondetur negando antecedens: quia vt infra *lib.* 3. oſtendemus, intellectus humanus diuiditur in intellectum agentem, & poſſibilem, qui ſpecie differunt.

10 Obijcies tertio: nam id, quod eſt commune omnibus potentiis, & rebus non conſtituit ſpeciale genus: ſed appetere proprium bonum, ſeu perfectionem eſt comune omnibus rebus, & potentiis; & hac ratione viſus dicitur concupiſcere viſibile, iuxta illud *Eccleſ.* 4. *Gratiam, & ſpeciem deſideranit oculus tuus, & ſuper hæ virides rationes:* ergo appetitiuum non eſt peculiare genus potentiæ vitalis. ¶ Reſpondetur, quod licet apperere appetitu innato, qui non diſtinguitur ab entitate rei propendentis in prioprium bonum, ſit commune omnibus rebus, & potentiis: at appetere appetitu elicito, hoc eſt per actum ſecundum vitalem elicitum à potentia conuenit ſpecialiter quibuſdam potentiis, & non aliis. Et de hoc poſteriori appetitu, loquimur in præſenti. Vnde inquit D. Thom. 1. *p. qu.* 78. *art.* 1. *ad* 3. *Appetitus naturalis eſt inclinatio cuiuſlibet rei in aliquid ex natura ſua. Vnde naturali appetitu qualibet potentia deſiderat ſibi conueniens. Sed appetitus animalis conſequitur formam apprehenſam: & ad huiuſmodi appetitum requiritur ſpecialis animæ potentia.*

11 Obijcies quarto: nam ſic ſe habent appetitus ſenſitiuus, & rationalis, ſicut ſenſus, & intellectus: eò quod ſicut ſenſus, & intellectus continetur ſub cognoſcitiuo, vt ſic, & intellectus eſt perfectior ſenſu; ita appetitus ſenſitiuus, & rationalis continetur ſub appetitu vt ſic, & rationalis eſt perfectior, quam ſenſitiuus: ergo vel ſenſus, & intellectus non conſtituunt diuerſa genera; vel appetitus ſenſitiuus, & rationalis debent illa conſtituere. Quodcumque autem eligatur, redditur defectuoſa adducta diuiſio vel per exceſſum, vel per defectum. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia licet inter ſenſum, & intellectum ex vna parte, & appetitum ſenſitiuũ ac rationalem ex alia detur ſimilitudo illa proportionalis, quæ expenditur in antecedenti: attamen inter vtrumque appetitum inuenitur peculiaris conuenientia, quæ non competit ſenſui, & intellectui: omnis quippe appetitus tendit in rem ſingularem: quod ſufficit, vt

vnicum

vnicum genus potentiæ constituat. Cæterum intellectus tendit in vniuersale; sensus vero in singulare: quod in causa est, vt duplex genus potentiæ possint constituere. Præterquam quod appetitus rationalis seorsim acceptus est vnus in specie infima; atque ideo ineptus ad constituendum aliquod genus.

12 Denique obijcies: nam principium mouens in animalibus est sensus, aut intellectus, & appetitus, vt docet Aristot. 3. *de Anima text.* 48. ergo loco-motiuum non constituit genus distinctum ab intellectiuo, vel sensitiuo, & appetitiuo. ¶ Respondetur primo negando antecedens: quia in sententia probabili adhuc in via D. Thom. potentia executiua, seu loco-motiua distinguitur à potentia appetitiua, & cognoscitiua; licet imperetur, & applicetur ab illis. Quod videtur docere S. Doct. *quæst. vnic. de Anima art.* 13. *ad* 13. his verbis: *Dicendum, quod intellectus, & appetitus mouent sicut imperantes motum: sed oportet esse potentiam motiuam, quæ motum exequatur, secundum quam scilicet membra sequuntur imperium appetitus, & intellectus vel sensus.* Vnde mirum non est, quod prædicta potentia executiua, seu loco-motiua constituat peculiare genus.

Secundo, & melius respondetur concedendo antecedens cum D. Thom. loco citat. ex 3. *de Anima text.* 15. Nam potentia cognoscitiua, & appetitiua sunt causa effectiua motus in membris externis, quin ad hoc indigeant alia potentia, quæ immediatè eliciat prædictum motum. Imperium quippe intellectus, & appetitus efficax sunt actiones virtualiter transeuntes inferuntque motum externum: atque ideo iste non petit nouam potentiam, nec habet rationem actionis respectu potentiæ cognoscitiuæ, & appetitiuæ; sed solum rationem effectus. De quo videndi sunt Ferrar. 2. *contra Gentes cap.* 82. & Bañez 1. *p. q.* 78. *art.* 1. *dub.* 2. & N. Salmant. *tract.* 3. *disp.* 5. *dub.* 3.

Ad obiectionem autem neganda est consequentia: nam vt bene obseruauit Caiet. 3. *de Anima cap.* 6. non est necessarium, quod distinctio inter has potentias sit realis; sed sufficit quod sit formalis, vel virtualis: qualem reperiri inter potentiam loco motiuam, & alias potentias ex eo constat, quod actus v. g. appetitus, vt est immanens, & appetitio obiecti, correspondet potentiæ, quatenus appetitiua est: at idemmet actus vt est virtualiter transiens, & habet efficacitatem ad inferendum motum in membris externis, correspondet eidem potentiæ, quatenus executiua, vel locomotiua est.

Ad auctoritatem autem D. Th. in prima solutione relatam, quæ secundæ videtur contradicere, respondetur ex eodem S. Doct. 2 *contra Gentes cap.* 82. vbi hæc habet: *Non mouet anima brutalis, nisi per sensum, & appetitum, nam virtus, quæ dicitur exequens motum, facit membra esse obedientia imperio appetitus. Vnde magis sunt virtutes perficientes corpus ad moueri, quam virtutes mouentes.* Et 1. *p. q.* 75. *art.* 3. *ad* 3. inquit: *Vis motiua exequens motum est,*

per quam membra corporis reddantur habilia ad obediendum appetitui, cuius actus non est mouere & moueri. Itaque licet in membris detur aliqua virtus desiderata ad motum localem; hæc tamen non est vis actiuè exequens motum sed dispositio habilitans membra, vt sint facile mobilia. Vnde nomen imperij, quo D. Thom. vtitur, non distinguitur, vt solet, contra *elicere*, seu immediate efficere motum: sed sumitur pro motione efficaci, per quam sensus, vel intellectus, & appetitus mouent efficaciter corpus; ita quod hoc illis obediat, media virtute passiua, & dispositiua; quæ in ipso residet.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit subiectum potentiarum animæ?

EX dictis *in lib. Physic. disp.* 10. constat, quæ sit causa efficiens, & finalis potentiarum, animæ: & ex his, quæ *in hac disp.* statuimus, liquet, quam causam formalem, seu specificatiuam habeant. Vnde solum superest ad eorum notitiam in communi, vt ipsarum subiectum, seu causam materialem inuestigemus: quod jam præstamus.

§. I.

Statuitur communior opinio.

13 DIcendum est potentias organicas subiectari in corpore, seu coniuncto ex materia, & anima: potentias vero non organicas subiectari in sola anima. Assertionem hanc statuit, explicat, & illustrat D. Thom. *1. p. q. 77. art. 5.* his verbis: *Manifestum est autem ex supra dictis, quod quædam operationes sunt animæ, quæ exercentur sine organo corporali, vt intelligere, & velle. Vnde potentiæ, quæ sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut in subiecto. Quædam vero operationes sunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum auditus per aurem: & simile est de omnibus aliis operationibus nutritiuæ, & sensitiuæ partis: & ideo potentiæ, quæ sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, & non in anima sola.* Desumpsitque S. Doct. hanc doctrinam ex Aristot. *lib. 2.* de somno, & vigilia, vt videre est in argumento *sed contra.* Vnde illam amplectuntur omnes Thomistæ, & alij plures.

Probatur assertio quoad primam partem: nam illud habet esse subiectum *quod* potentiarum organicarum, quod per illas operatur vt *quod*; siquidem operari sequitur ad esse, & illi debet proportionari: sed compositum, seu coniunctum

ex

ex corpore, & anima operatur vt *quod* per potentias organicas: ergo est earum subiectum *quod*. Suadetur minor: tùm quia compositum est quod nutritur, augetur, & tangit, vt *quod*. Tùm etiam quia operari vt *quod* per has potentias non conuenit materiæ; cùm hæc sit expers totius actiuitatis; neque formæ corporeæ; cùm hæc non subsistat vt *quod*: nec denique animæ nostræ; hæc quippe, vtpote pure spiritualis, nequit elicere, & recipere vt *quod* accidentia corporea quales sunt prædictæ operationes. ¶ Confirmatur vrgentius: nam huiusmodi operationes, cùm sint accidentia corporea supponunt in subiecto *quod* quantitatem, media qua recipiantur in eo: at quantitas non inhæret soli materiæ, aut soli formæ; sed toti composito; vt ostendimus *in lib. de Generatione, disputatione 2. quæst. 6.* ergo subiectum *quod* harum operationum non est materia, aut forma, sed compositum.

14 Secunda etiam conclusionis pars facilè suadetur: quoniam anima rationalis operatur vt *quod* per potentias non organicas; ipsa quippe est, cui intelligere, & velle vt *quod* competit per se primo: ergo ipsa est subiectum *quod* prædictarum potentiarum. ¶ Confirmatur primo: quia intelligere, & velle conuenit animæ nostræ ratione sui, & independenter à corpore, vt patet in anima separata, quæ adhuc intelligit, & vult: ergo independenter à corpore saluatur subiectum *quod* prædictarum operationum, & per consequens potentiarum eas elicientium. ¶ Confirmatur secundo: nam potentiæ non organicæ sunt accidentia purè spiritualia, & completa: sed huiusmodi accidens nequit recipi in corpore: ergo corpus nequit esse subiectum *quod* prædictarum potentiarum.

15 Obijcies: illud est subiectum *quod* potentiæ, quod per illam propriè operatur: sed homo est, qui propriè operatur per potentias non organicas, secus vero anima, vt aperte docet Aristot. 1. *de Anima, cap. 4. text. 64.* his verbis: *Melius fortasis non dicere animam misereri, aut addiscere, aut intelligere; sed hominem per animam.* Et D. Thom. 1. *parte quæstione 75. articulo secundo ad secundum*, inquit: *Potest dici, quod anima intelligit sicut oculus videt: sed magis propriè dicitur, quod homo intelligit per animam.* Homo ergo, & non anima est subiectum *quod* prædictarum potentiarum.

Pro solutione huius obiectionis obseruandum est cum Caiet. *loco proxime citato* principium *quod* esse duplex. Primum est, quod ratione sui habet esse tale, & non per communicationem ab alio, cui ratio subiecti *quod* prius conueniat. Secundum est, quod participat esse subiectum *quod* ratione formæ in eo inclusæ, cui perprius conuenit ratio prædicti principij. Priori modo se habet anima nostra; cum sit per se subsistens: posteriori vero modo se habet homo, seu compositum humanum. Primum ergo princi-

pium, vtpote quod habet esse tale immediate ratione sui, atque independenter ab alio; debet prædicto modo, atque ideo immediate reçipere operationem, & consequenter est subiectum immediatum *quod* potentiæ operatiuæ. Et huiusmodi principij ratio conuenit animæ nostræ. Posterius autem principium habet naturam integram, & completam, estque subinde suppositum, vel persona: & ratio talis principij animæ nostræ deneganda est: quoniam vt aliquid sit persona, non sufficit existere, & subsistere, vt *quod*; sed insuper desideratur existere, & subsistere incommunicabiliter, & per modum entis omnino completi: quod non conuenit animæ nostræ, vt ex se liquet.

Ad obiectionem ergo respondetur, quod licet intelligere, & velle conueniant animæ nostræ primario, & immediate vt primo subiecto *quod*; composito autem solum conueniant secundario, & mediante anima: nihilominus homo est subiectum *quod* earum per modum suppositi, & personæ; quod animæ rationali repugnat. Et de hoc posteriori subiecto, nempe per modum personæ, loquuntur Aristot. & D. Thom. cum docent operari non conuenire animæ, sed homini per animam. Cum quo tamen optime stat veritas nostræ assertionis, vt constat ex dictis.

§. II.

Refertur duplex opinio contraria.

16 SCotus *in 2. distinct. 12. qu. 3.* Gregorius ibidem; & alij docent omnes potentias vitales animæ subiectari in sola anima. Quod potest probari primo ex D. August. *lib. 12. super Genes. ad litteram, cap. 46.* asserente: *Non corpus, sed anima sentit per corpus, quo tanquam nuntio anima ipsa vtitur*: sed operatio vitalis recipitur in subiecto à quo fit: ergo sensatio recipitur in sola anima; & per consequens hæc etiam erit subiectum quod potentiæ sensitiuæ. ¶ Respondetur ex D. Thom. *1. p. qu. 77. art. 5. ad 3.* D. August. loqui non ex propria sententia, sed iuxta opinionem Platonis, cui solet S. Doct. se accommodare in rebus philosophicis.

Secundo arguitur: quia de ratione potentiæ vitalis est conjunctio cum principio radicali vitæ, à qua dimanat: sed omnis potentia vitalis dimanat ab anima, tanquam à primo principio intrinseco vitæ: ergo omnis potentia vitalis conjungitur animæ, & ei inest tanquam subiecto. ¶ Respondetur potentias organicas solùm dimanare ab anima tanquam à principio *quo*, non vero *quod*: huius quippe ratio soli composito attribuenda est; cùm ipsum dumtaxat viuat vt *quod* per prædictas potentias. Vnde potentiæ non organicæ debent conjungi cum anima tanquam cum subiecto

quo

quo: composito vero debent inesse vt subiecto *quod*.

17 Suarez *tract. 3. de Anima, libr. 2. cap. 3.* & alij eius sequaces defendunt potentias vitales corporeas in sola materia recipi. Quod probant primo: quia accidens corporeum, qualis est v. g. potentia nutritiua, nequit recipi in subiecto spirituali: sed anima hominis est purè spiritualis: ergo potentia nutritiua non recipitur in anima nostra, sed in sola materia. Si autem materia in homine habet sufficientem vim ad recipiendas, & substentandas potentias vitales; non est, cur id non præstet etiam in alijs compositis: ergo potentiæ vitales corporeæ in sola materia recipiuntur.

Hoc argumentum jam eneruauimus *in lib. de Generat. disput. 2. q. 7.* vbi etiam eius oppositum communiuimus. Quamvis enim substantia spiritualis completa nequeat esse subiectum *quod*, vel *quo* accidentis corporei: minime tamen repugnat, quod substantia spiritualis incompleta, quæ est vera forma corporis, & corporea vt *quo*, sit etiam subiectum *quo* potentiæ vitalis corporeæ, quæ ab ea dimanat. Quod quia loco citato ostendimus, sufficiat nunc ad argumentum respondere negando majorem intellectam de subiecto *quo*.

18 Arguitur secundo: quia repugnat vnicum accidens recipi in duplici subiecto: at si potentiæ vitales inhærerent toti composito; reciperentur in duplici subiecto, videlicet in anima, & in materia prima: ergo non insunt toti composito, sed soli materiæ. ¶ Respondetur concedendo majorem intellectam de duplici subiecto *quod*, & primario atque immediato, & eam negando si intelligatur de duplici subiecto *quo*, seu partiali: quippe minime repugnat, quod subiectum totale *quod* constet ex duplici parte. Materia autem, & forma sunt partes compositi in quo, vt in subiecto *quod* recipiuntur potentiæ vitales: & ideo quælibet habet solam rationem subiecti *quo* respectu earũ.

DISPV

DISPVTATIO VII.

De Anima vegetatiua, & eius potentijs.

METHODVS compositionis, quam *in his libris* obseruat Aristotel. popoſcit, vt prius differeret de anima in communi, quam de generibus, aut ſpeciebus eius in particulari. Qua etiam de cauſa, abſolutis ijs, quæ ad animam in communi conſideratam ſpectant; incipit agere de anima vegetatiua, priuſquam de ſenſitiua, & intellectiua ſermonem inſtituat: eò quod vegetatiua alijs communior eſt; quippe quæ in omnibus reperitur, & non è contra. Plura autem quæ ad notitiam animæ vegetatiuæ lucem conferunt, vt ſunt nutritio, augmentatio, & generatio, diſcuſſa manent *in libr. de Generatione*, quamobrem non ſunt in præſenti inculcanda, ſed recolenda.

QVÆSTIO I.

Quid ſit anima vegetatiua, & quot habeat operationes?

DEciſio poſterioris partis quæſtionis viam expeditam externet ad reſolutionem prioris: vnde ab illa exordiri oportet.

§. I.

Reſolutio vtriuſque difficultatis.

1 DIcendum eſt primo operationes proprias animæ vegetiuæ eſſe tantum tres nimirum nutritionem, augmentationem, & generationem. Ita Ariſtot. in præſenti, cuius auctoritate vtitur D. Th. 1. *p. qu.* 78. *art.* 2. dicens: *Sed contra eſt, quod Philoſophus dicit in* 2. *de Anima, quod*

quod opera huius animæ (hoc est vegetatiuæ *sunt generare, & alimento vti, & iterum augmentum facere.* Quod etiam docet S. Doct. *ibid. & quæst. de Anima, a.* 3. Idemque tradunt communiter interpretes.

Fundamentum est: quoniam sicut obiectum potentiæ intellectiuæ est vniuersalissimum, nempe omne ens; & obiectum potentiæ sensitiuæ est aliquid minus amplum, videlicet corpus sensibile, siue conjunctum, siue separatum: ita obiectum potentiæ vegetatiuæ ob huius imperfectionem debet esse aliquid satis restrictum, nimirum corpus vnitum viuenti, vel secundum numerum, vel secundum speciem: atqui respectu prædicti corporis sufficiunt, & requiruntur tres operationes supra recensitæ: ergo &c. Probatur minor: nam in primis requiritur generatio, per quam primum esse viuentis acquiratur & species vegetatiui conseruetur. Deinde est necessaria nutritio ad conseruandum esse indiuiduale per generationem receptum: vt sic instauretur substantia, quæ per actionem caloris naturalis deperditur: Et denique desideratur augmentatio, vt viuens acquirat proportionatam quantitatem, per quam debitè suas operationes exerceat. Nulla autem alia operatio apparet, quam anima vegetatiua exerceat circa corpus sibi vnitum secundum numerum, vel speciem. Tres igitur operationes, quas supra enumerauimus, requiruntur, & sufficiunt pro anima vegetatiua.

2. Dicendum est secundo animam vegetatiuam recte definiri per hoc, quod sit: *Primum principium generandi aliud viuens simile secundum speciem.* Hanc conclusionem docet Aristotel. *in hoc lib. 2. textu* 49. his verbis: *Erit vtique prima anima generatiuum talis, quale ipsum.* Et rationem reddit: *Quoniam à fine appellari omnia justum est: finis autem est generasse, quale ipsum, erit anima vtique* &c. Quæ sic elucidat Angelic. Doct. *lect.* 9. *Ad cuius definitionis intellectum sciendum est, quod inter tres operationes animæ vegetabilis est quidam ordo: nam prima eius operatio est nutritio per quam saluatur aliquid, vt est. Secunda autem operatio, & perfectior est augmentum, quo aliquid proficit in majorem perfectionem, & secundum quantitatem, & secundum virtutem. Tertia autem perfectissima, & finalis est generatio, per quam aliquid jam quasi in se ipso perfectum existens, alteri esse, & perfectionem tradit. Tunc enim vnumquodque maxime perfectum est, vt in* 4. *Meteororum dicitur, cùm potest facere alterum tale, quale ipsum est. Quia igitur justum est, quod omnia diffiniantur, & denominentur à fine: finis autem operum animæ vegetabilis est generare alterum tale, quale ipsum est, sequitur, quod ipsa sit conueniens definitio primæ animæ, scilicet vegetabilis, vt sit generatiua alterius similis secundum speciem.* Quæ omnia ita sunt perspicua, & rationi consona vt superuacaneum foret aliquid roboris, vel lucis adijcere. Videatur etiam idem S. Doct. 1. *p. q.* 78. *art.* 2. vbi post alia concludit: *Inter istas tres potentias finalior, & principalior, & perfectior est generatiua, vt*

dicitur 2. de Anima. Est enim rei jam perfectæ facere alteram, qualis ipsa est. Generatiua autem deseruiunt, & augmentatiua, & nutritiua, &c. Vnde optimo jure anima vegetatiua definitur per esse principium generandi, potius quam nutriendi, & augendi.

§. II.

Proponuntur, & solluntur aliquæ objectiones.

3 SEd aduersus hactenus dicta obijcies primo: nam aliqua sunt viuentia, quæ non generant sibi simile secundum speciem: & tamen habent animam vegetatiuam, vt ex se liquet: ergo nec generare est operatio propria animæ vegetatiuæ, nec debet ista per illam definiri; alias definitio non posset cuiuis animæ vegetatiuæ adaptari.

Respondetur concedendo majorem: nam vt sumitur ex Aristotel. *Problem.* 13. *sect.* 10. *& libr. de historia animalium, cap.* 15. *&* 16. animalia ad tres ordines reuocantur: quædam enim sunt valde perfecta, vt homo, & leo; & hæc non possunt produci nisi per generationem. Quædam vero sunt minus perfecta, vt mures: & hæc possunt fieri cùm per generationem, cum per putrefactionem. Alia autem sunt imperfectissima, vt anguillæ: & hæc solùm ex putri materia, & virtute cœlesti producuntur. Neganda tamen est objectionis consequentia: quia licet anima vegetatiua sit ex se radix potentiæ generatiuæ, illamque quantum est de se radicet in omnibus compositis, quæ constituit: nihilominus aliqua sunt, quæ ob suam imperfectionem nequeunt actu generare; vt pueri ob imperfectionem status, spadones ob defectum membrorum, & anguillæ ob latentem aliquam indispositionem. Id autem statutæ assertioni minime præjudicat: quia anima vegetatiua semper de se est principium generandi, respicitque generationem: & verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem. Quod declarari potest exemplo animæ sensitiuæ, quæ est radix sensuum, & motus progressiui: & nihilominus non in omnibus animalibus habet omnes sensus, & motus: nam talpa caret visu, & ostrea motu locali.

4 Secundo obijcies: quia generatio conuenit rebus inanimatis; quandoquidem ignis generat alium ignem eiusdem speciei, & sic de alijs: ergo generatio non est operatio propria animæ vegetatiuæ. ¶ Hanc obiectionem diluit D. Th. 1. *p. quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 2. ijs verbis: *Dicendum, quod generatio in rebus inanimatis est totaliter ab extrinseco: sed generatio viuentium est quodam altiori modo per aliquid ipsius viuentis, quod est semen, in quo est aliquod principium corporis formatiuum.* Quod etiam docet 2. *de Anima lection.* 7. Itaque generatio non viuentium est totaliter ab extrinseco: quia generans non manet in genito per aliquid sui, quod prius habuerit eandem numero formam generantis. Cæterum generatio viuentium

uentium fit modo longè diuerso, nempe ab intrinseco : eò quod semen viuentium formatur ex superfluo sanguinis naturalis, qui pertinet ad integritatem generantis, & eadem numero forma informatur.

Replicabis : quia semen non potest fieri ex sanguine : tùm quia fit ex superfluo alimenti, vt communiter docent Philosophi: sanguis autem naturalis, cùm pertineat ad integritatem compositi, nequit dici superfluum alimenti. Tum etiam quia natura non procedit à perfectioribus ad imperfectiora ; sed è conuerso : procederet autem, si ex sanguine naturali formaret semen ; cùm ille informetur anima, secus vero istud. Ergo tradita solutio corruit, & minimè saluat, quod generatio viuentium sit ab intrinseco.

Respondetur negando antecedens : & ad primam probationem dicendum est duplex esse alimentū ; aliud impurum, & crudum quod non informatur anima : aliud verò defæcatum, & perfectè decoctum, quod animatur, & pertinet ad integritatem animalis. Et huius posterioris generis est sanguis naturalis, qui ad informationem seminis deseruit : vnde saluatur, quod generatio viuentium sit ab intrinseco, & ex aliquo generantis. Dicitur autem semen fieri ex superfluo alimenti : quia tanta copia sanguinis datur per se loquendo, cùm formatur semen, vt & deseruiat pro alendis alijs partibus animalis, media transmutatione solùm accidentali ; & vt redundet pro formatione seminis, media transmutatione substantiali. Quod in causa est, vt semen dicatur fieri ex superfluo alimenti, non quidem crudi, & impuri ; sed perfectè decocti, quod ad integritatem ipsius generantis spectat. Recolantur quæ diximus *disp. 4. q. 1.* ¶ Ad secundam probationem respondemus quod licet natura procedat ex sanguine ad semen, non dicitur ad imperfectiora procedere : quia non sistit in semine ; sed progreditur ad formationem fœtus, & speciei conseruationem : ad quod requiritur illa transmutatio intermedia sanguinis in semen.

5 Tertiò obijcies : quia Aristotel. *in hoc libro textu* 34. solùm enumerauit duas animæ vegetatiuæ operationes, videlicet generare, & alimento vti : ergo operationes animæ vegetatiuæ non sunt tres. ¶ Respondetur negando consequentiam : quia Philosophus sub operatione sumendi alimenti comprehendit duas, nimirum nutritionem, & augmentationem : & id postea expressit *text.* 36.

6 Quarto obijcies : quia præter operationes à nobis enumeratas plures aliæ competunt animæ vegetatiuæ, vt sunt attractio cibi, concoctio, digestio &c. quarum aliquæ non terminantur ad corpus viuum, vt ex se constat : ergo insufficienter processimus in enumerando animæ vegetatiuæ operationes, & potentias. ¶ Respondetur negando consequentiam : quia licet sint tres operationes principales animæ vegetatiuæ, quibus correspondent tria genera potentiarum,

& ad quas attendit Philoſophus: cùm recenſuit in genere animæ vegetatiuæ operationes: plures tamen aliæ ſuppetunt operationes particulares, quæ illis prioribus deſeruiunt, & ad earum genera reducuntur, quarum proinde noluimus in præſenti habere rationem. Vnde non renuimus admittere, quod potentiæ generatiuæ deſeruiant aliæ vires, vtputa ſeminatiua, immutatiua, & formatiua: & ſimiliter nutritiuæ aliæ potentiæ ſubſidio ſint, nempe attractiua, retentiua, digeſtiua, & expulſiua: ſiue diſtinctio inter has potentias ſit realis, ſiue rationis. Videatur D. Thom. *opuſc.* 43. vbi aliqua refert ex Galeno, quæ poſſunt huic materiæ aliquid lucis afferre.

QVÆSTIO II.

Quænam ex dictis operationibus ſit connaturalior viuenti, & qua ratione?

OCcaſionem dedit quæſtioni Ariſtot. *in præſenti text.* 34. vbi loquens de generatione, inquit: *Hæc operatio maxime omnium operationum viuentibus eſt naturalis.* Quod dictum, etſi communiter vt æquum eſt, admittatur à Philoſophis; non eadem via exponitur ab omnibus. Quocirca oportet ſelectiorem oſtendere.

§. I.

Declaratur aſſertum Ariſtotelis.

7 DIcendum eſt primo inter operationes partis vegetatiuæ generationem eſſe connaturaliſſimam viuentibus. Ita Philoſophus *loco nuper citato*, quem in eodem ſenſu exponit D. Thom. *lect.* 7. his verbis: *Dicit ergo, quod ideo generare eſt opus partis vegetatiuæ, quia inter alia opera eſt magis naturale viuentibus.* Et idem docet S. Doct. 1. *prima quæſt.* 78. *art.* 2. Fundamentum apparebit ex ijs, quæ ſtatim dicemus, & poteſt nunc breuiter ſic formari: quoniam naturalius eſt perfecto id, quod illi conuenit, quatenus perfectum eſt; quam id, quod ipſi conuenit, quatenus à perfectione deficit: ſed generare conuenit viuenti, quatenus eſt perfectum, oriturque ex abundantia perfectionis; nutriri vero, & augeri conuenit illi quatenus vel deficit à perfectione, vel tendit in illam: ergo naturalius eſt viuenti generare, quam nutriri, vel augeri.

8 Dicendum ſecundo eſt hanc majorem connaturalitatem generationis recte colligi ex eo, quod generare conuenit communiter viuentibus, & non viuentibus. Ita D. Thom. *lection. citata*, vbi inquit: *Dicitur naturaliſſimum* (nempe generare) *quia in hoc conuenit etiam cum alijs rebus inanimatis, quæ generationem habent, licet alio modo.* Vnde ita docent communiter Thomiſtæ.

Et

Et ratio est: quoniam id, quod maxime prouenit à natura, est illi valde connaturale: sed hoc ipso, quod generatio conueniat viuentibus, & non viuentibus, recte deducitur, quod maxime prouenirat à natura: ergo & quod sit illi connaturalior. Minor liquet: nam illa operatio, quæ conuenit communiter omnibus rebus tam viuentibus, quam non viuentibus, est operatio, per quam maxime se explicat natura, & ostendit propriam vim: ergo est operatio, quæ maxime prouenit à natura.

9 Dices hinc potius inferri oppositum: quia operationes conuenientes per principia magis proxima, & magis propria sunt magis connaturales: sed aliæ operationes conueniunt homini v.g. per principia magis propria, & proxima, vt sentire, in quantum animal; & intelligere, in quantum homo: ergo eæ operationes erunt magis connaturales, quam generatio, quæ est quid commune illi cum aliis rebus inanimatis. ¶ Respondetur majorem solùm verificari, cùm id, quod conuenit per principia communia, non conuenit etiam per principia proxima, & propria; secus verò cùm conuenit etiam ratione principiorum proximorum: istud quippe connaturalius debet esse, quam id, quod competit præcisè per principia proxima; cùm oriatur ex pluribus principiis, vt ex se liquet. Generare autem conuenit homini non solùm per principia communia; sed etiam per propria, & proxima: siquidem habet generare sibi simile in specie humana. Quamobrem nequit non generatio esse magis naturalis; quam nutritio, & augmentatio; cùm nutriri, & augeri non conueniat ex principiis communibus rebus inanimatis, sed ex propriis naturæ viuentis.

Replicabis: quoniam in præsenti loquimur de generatione propria viuentium: hæc autem non conuenit rebus inanimatis; sed solis viuentibus: ergo generare, de quo in præsenti, non oritur ex principiis magis communibus; atque ideo non erit ex hoc capite connaturalior. ¶ Respondetur nos in præsenti loqui de generatione viuentium sumpta non solum secundum suam vltimam differentiam, sed etiam secundum conceptus communes sibi, & aliis generationibus rerum inanimatarum, & de ea sic adæquatè accepta asserimus conuenire per plura principia, & consequenter esse magis connaturalem. Nutritio autem, & augmentatio tam secundum conceptum nutritionis vt sic, quam secundum peculiares differentias acceptæ conueniunt solis viuentibus vt talibus; atque ideo per pauciora principia.

10 Dicendum est tertio optime etiam colligi, quod generatio est magis connaturalis ex eo, quod viuentia magis propendunt in illam, quam in alias operationes. Ita Caiet. *in præs.* Bañez. 1. *p. q.* 78. *art.* 2. *dub.* 4. & alij plures. Probatur ratione: quoniam naturale opponitur violento: sed violentum est contra inclinationē rei: ergo naturale debet esse iuxta inclinationem illius: ergo optime infertur generationem esse operationem magis connaturalem viuentibus ex eo, quod viuentia maxime

propendant, & inclinent ad illam. Hanc autem maximam inclinationem, & testatur vehemens pronitas animalium ad generandum, & euincit etiam ratio Philosophi: quoniam vnumquodque maxime appetit assimilari esse diuino quantum ad perpetuitatem suæ naturæ & perfectionis: at viuentia id consequuntur repetitis, & continuis generationibus nouorum indiuiduorum; secus verò per nutritionem, & augmentationem proprij indiuidui, quod breui tempore moritur: ergo maxime propendunt in generationem.

11 Non desunt, qui deducant hanc maiorem connaturalitatem generationis ex majori perfectione eius supra nutritionem, & augmentationem: autumant enim id esse connaturalius, quod est perfectius. Cæterum hoc motiuum infirmum est: quoniam, vt optime obseruat Caietanus, intelligere est operatio longe perfectior, quam generatio: & nihilominus hæc est homini connaturalior, quam illa; magisque propendit homo naturali pondere ad generandum, quam ad intelligendum. Cùm enim generatio tendat ad bonum commune speciei; intellectio verò ad bonum particulare suppositi; & illud debeat huic præferri: hinc est, quod generatio sit magis connaturalis homini, & ardentius appetatur; quamvis intellectio sit generatione perfectior. Vnde ex solo capite perfectionis insufficienter colligitur generationem esse magis connaturalem: sed ad capita, quæ assignauimus, excessus connaturalitatis reuocandus est.

§. II.

Suarij obiectionibus satisfit.

12 ADuersus tertiam conclusionem sentit Suarez *tract. de Anima lib. 7. cap. 7.* vbi docet non recte colligi, quod generatio sit magis connaturalis viuenti ex eo, quod viuens magis inclinetur in illam. Quod potest suaderi: quia natura non magis inclinatur in generationem, quam in nutritionem: ergo generatio nequit ex hoc capite esse connaturalior viuenti, quam nutritio. Antecedens probatur multipliciter: *primo* quia vtraque actio ordinatur ad conseruationem speciei; generatio quidem producendo indiuiduum, nutritio vero illud conseruando: ergo non est, cur natura magis propendat in illam, quam in hanc. *Secundo*, quia natura per solam collectionem infinitarum generationum sibi inuicem succedentium potest consequi perpetuitatem speciei: sed etiam per collectionem infinitarum nutritionum valeret eam consequi, vt ex se liquet: ergo. *Tertio*, quia in nutritione magis assimilatur viuens Deo, quam in generatione; siquidem in illa communicat eandem numero naturam, in ista vero naturam numero diuersam, & Deus producit ad intra communicando eandē num. naturam. *Quarto*, quia tam nutritio, quam generatio ordinatur ad bonum speciei, vt dictum est; & insuper nutritio confert ad conseruationem proprij indiuidui: ergo magis appetitur, quam generatio: quandoquidem amabile bonum,

bonum, vnicuique autem proprium ex Aristot. 8. *Ethicor. cap.* 7. *Quinto* quia licet bonum commune sit præferendum bono particulari, quando vtrumque nequit simul haberi; at cum bonum simul commune, & particulare in aliquo coniunguntur, præferri debet bono præcisè communi: atqui in nutritione inueniuntur simul conseruatio speciei, & indiuidui; in generatione verò inuenitur sola conseruatio speciei: ergo &c. *Sexto*, quia non datur per se loquendo appetitus generationis nisi expleto appetitu nutritionis cum semen deseruiens generationi fiat ex superfluo alimenti, quod nutritioni deseruit: ergo sig[illegible] est, quod viuens magis appetit nutritionem, quam generationem. *Septimo*, quia animalia multoties desistunt ab actu generationis ob sanitatem tuendam: ergo magis appetunt bonum proprium ad quod ordinatur nutritio, quam bonum speciei, cui generatio deseruit. *Octauo*, quia appetitus naturalis non est ad aliquid nociuum animali: at generare frequenter est nociuum animali, vt docet Aristot. *lib. de longitudine vitæ cap.* 3. nutritio autem semper est conueniens: ergo non est ratio, cur viuens magis propendat in generationem, quam in nutritionem; sed magis oppositum asserendum est.

Respondetur huic argumento negando antecedens, quod nulla ex tot probationibus euincit. Ad primam enim dicendum est generationem ordinari per se primo ad bonum speciei: nutritionem vero ordinari per se primo ad bonum proprij suppositi; ex consequenti vero, & secundario ad bonum speciei, quod in illo supposito conseruatur. Bonum autem commune, cum sit quid diuinum, particulari præponendum est; atque ideo debet ardentius appeti.

Ad secundam respondetur nullam esse repugnantiam in eo, quod reperantur infinitæ generationes, & sibi inuicem succedant, vt ostendimus. *in lib. Physic. disp.* 27. *q.* 2. atque ideo, quod species beneficio generationum conseruetur in æternum. At nutritiones in infinitum repeti in eodem supposito non est naturaliter possibile, eo quod nutritio fit medio calore naturali, qui indies langueſcit, & tandem perit, vt diximus *in lib. de Generat. disp.* 6. *q.* 3.

Ad tertiam dicendum, quod licet homo in nutritione magis secundum quid assimiletur Deo, quam in generatione ob ea, quæ probatio expendit: at absolute loquendo magis verificatur oppositum. Inuenitur quippe in Deo proprius, & formalis conceptus generationis: quod tamen nutritioni repugnat. Deinde generatio ordinatur ad bonum commune, & sempiternum speciei: quod est quid diuinum, & præferendum bono particulari.

Ad quartam constat ex dictis ad primam: nam bonum commune excellentiori modo inuenitur in generatione, quam in nutritione; cum hæc solum per breue tempus conseruet speciem, quam tamen generatio repetita queit conseruare in æternum. Per quod etiam liquet ad quintam probationem.

Ad sextam respondetur, quod licet actus generationis supponat actum

actum nutritionis, quia generatio est actio viuentis perfecti, habentisque debitam quantitatem: hinc tamen minime sequitur, quod nutritio magis intendatur à natura quam generatio; sed potius infertur oppositum. Quoniam nutritio generationi deseruit, eamque proinde præcedit in executione, licet sit posterior in intentione, atque appetitu naturæ.

Ad septimam concesso antecedenti, neganda est consequentia: nam quod animalia ab opere generationis aliquando desistant; non oritur ex eo, quod magis ament bonum suppositi; quam speciei: sed ex eo quod possunt commodius alio tempore generare.

Ad vltimam respondemus nos minime asserere, quod natura inclinet ad generationem nimiam, & inordinatam; sed ad moderatam, & debito tempore exercendam: licet autem illa prior sit animali nociua; secus vero ista posterior, vt communiter docent Medici. Addimus etiam, quod sicut manus cum proprio detrimento appetit bonum commune totius suppositi, ictuique ob eius defensionem se exponit: ita potest animal appetere generationem ob conseruationem speciei; quantumuis subeat in se ipso aliquod detrimentum particulare. Quod satis confirmat naturam magis appetere generationem, quam nutritionem, & alias operationes; esseque proinde illi magis connaturalem.

QVÆSTIO III.

An potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua, realiter distinguantur?

EX dictis constat ab anima vegetatiua dimanare potentiam nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam; alias non posset viuens nutriri, augeri & generare. Dubium autem est, vtrum prædictæ potentiæ distinguantur realiter inter se; an vero sint realiter vna, & eadem potentia, quæ per ordinem ad diuersos actus, diuersas nomenclaturas sortiatur. Quod in præsenti examinandum est.

§. I.

Propugnatur vera Thomistarum sententia.

13 DIcendum est prædictas potentias realiter, & essentialiter inter se distingui. Ita Angelic. Doct. 1. *p. q.* 78. *art.* 2. Quem sequuntur Caiet. & Bañez ibidem, idem Caiet. Ferrar. & Aquarius *in hoc lib. cap.* 2. & communiter Thomistæ. Quibus etiam consentiunt B. Albert. 2. *de Anima cap.* 6. Ægidius *quodlib.* 3. *quæst.* 4. Fernelius *lib.* 5. *Philosophiæ capite* 3. & alij plures.

Probatur primo ratione fundamentali

mentali desumpta ex D. Thom. *loco cit.* quoniam distinctio essentialis, & realis potentiarum sumitur ab obiectis formaliter diuersis, & ab actibus realiter distinctis: sed potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua habent obiecta formaliter diuersa, & actus realiter distinctos: ergo distinguntur essentialiter, & realiter. Suadetur minor: quoniam nutritiua habet pro obiecto substantiam vt capacem nouæ partis quantitatis; augmentatiua vero majorem quantitatem; generatiua autem substantiam totalem alterius suppositi: inter quæ omnia certum est inueniri diuersitatem formalem. Deinde nutritio est operatio realiter distincta ab augmentatione; cum possit viuens nutriri, quin augeatur: & vtraque differt realiter à generatione, siquidem frequenter viuens nutritur, & augetur, & tamen non generat. Prædictæ ergo potentiæ habent obiecta formaliter diuersa, & actus realiter distinctos.

14 Respondebis primo cum Rubio prædictos actus esse inadæquatos, eò quod omnes eodem modo operantur circa alimentum, & tendunt ad illud conuertendum in substantiam eiusdem speciei cum viuenti. Vnde omnes possunt oriri ab eadem potentia: hæc quippe non multiplicatur penes actus inadæquatos. ¶ Sed contra: quia cum actus solum sunt inadæquati, nequit potentia tendere per eos in fines specie distinctos, vt inductiue potest ostendi: at sic est, quod prædictæ potentiæ, mediis illis actibus, tendunt in fines specie diuersos; siquidem finis nutritiuæ est conseruare individuum, & augmentatiuæ illud producere ad debitam quantitatem, & generatiuæ speciem incolumem conseruare: ergo prædicti actus non sunt inadæquati, sed adæquati, & petentes subinde potentias essentialiter, ac realiter diuersas.

Confirmatur euertendo fundamentum huius responsionis: quoniam, cum dicitur quamlibet ex iis potentiis tendere ad idem, videlicet ad substantiam eiusdem speciei cum viuenti; vel sensus est quod tendat ad substantiam provt eiusdem speciei sistendo ibi: & hoc non potest dici; siquidem nutritiua per se primo intendit non solam identitatem specificam, sed etiam numericam, cum ordinetur ad conseruationem proprij individui. Vel significatur, quod tendat ad substantiam eiusdem speciei, intendendo etiam vnitatem numericam: & nec hoc valet asseri; siquidem potentia generatiua solum intendit conseruationem speciei sistendo ibi. Vel denique designatur, quod eæ potentiæ tendant in substantiam eiusdem speciei abstrahendo ab hoc, quod sistatur ibi, vel vlterius progrediatur ad identitatem numericam: & hoc etiam nequit sustineri; siquidem generatiua positiue sistit in conseruatione speciei; nutritiua autem minime abstrahit ab identitate numerica, sed ad illam tuendam per se primo progreditur, atque ordinatur. Ergo fundamentum illud nullius roboris ac veritatis est.

Ad hæc: si potentia vegetatiua respiceret suum obiectum cum illa abstractione, & carentia determinationis: potiori iure deberet

potentia ſenſitiua reſpicere cum eadem amplitudine ſuum obiectum: ſenſitiua quippe perfectior eſt, quam vegetatiua, & potentia quò perfectior, eò habet obiectum vniuerſalius: ergo ſicut potentia vegetatiua iuxta hanc ſolutionem, quam impugnamus, reſpicit ſubſtantiam viuam abſtrahendo ab hoc, quod ſit eadem numero, vel non; ita potentia ſenſitiua reſpiceret ſenſibile vt ſic abſtrahendo ab eo, quod ſit hoc, vel illud ſenſibile: ergo ſicut ad nutritionem, augmentationem, & generationem ſufficit vna potentia vegetatiua, quæ illas operationes reſpicit vt actus inadæquatos; ita ad videndum, audiendum guſtandum &c. ſatis foret vna potentia ſenſitiua, quæ illas operationes tanquam actus inadæquatos reſpiceret. Conſequens autem eſt omnino abſurdum, & contra communem ſententiam Philoſophorum: ergo & antecedens, ex quo deducitur.

15 Reſpondebis ſecundo cum Conimbricenſibus omnes illos actus conſtituere vnum, & adæquatum actum per ſubordinationem: eò quod nutritio ordinatur ad augmentationem, & hæc ad generationem. ¶ Sed hæc ſolutio haud melior eſt, quam præcedens: quoniam vnum actum ſubordinari alteri, minime arguit, quod non ſint actus adæquatè diuerſi, & petentes potentias eſſentialiter, diuerſas & realiter diſtinctas. Videmus enim actus ſenſuum externorum ſubordinari actibus ſenſuum internorum; & omnium ſenſuum actus ſubordinari actui intellectus: quo non obſtante, certum eſt ſenſus internos, & externos realiter diſtingui inter ſe, & etiam ab intellectu. Similiter actus, & finis proprius humilitatis ſubordinatur actui, & fini proprio charitatis: & nihilominus humilitas, & charitas ſunt habitus realiter, & eſſentialiter diſtincti. Vnde ex ſubordinatione actuum potentiæ nutritiuæ, augmentatiuæ, & generatiuæ, minime ſequitur, quod poſſint ad eandem potentiam pertinere,

Imo vero ex hac reſponſione accedit noua efficacia argumento à nobis facto: quoniam prædicta ſubordinatio non ſolum datur inter actus nutritionis, & generationis, ſed etiam inter ipſas potentias, vt docet D. Thom. *loco ſupra cit.* his verbis: *Inter iſtas tres potentias finalior, & principalior: & perfectior eſt generatiua, vt dicitur 2. de Anima: eſt enim rei jam perfectæ facere alteram, qualis ipſa eſt. Generatiuæ autem deſeruiunt & augmentatiua, & nutritiua: augmentatiuæ vero nutritiua.* Sed impoſſibile eſt, quod ſeruetur tanta ſubordinatio niſi inter ea, quæ eſſentialiter, & realiter differunt: ergo prædictæ potentiæ diſtinguuntur realiter, & eſſentialiter inter ſe.

§. II.

Communitur amplius nostra conclusio.

16 SEcundum, & satis vrgens argumentum pro vera sententia est huiusmodi: quoniam magis conueniunt potentia nutritiua, & generatiua inter se, quam cum augmentatiua; siquidem tam nutritiua, quam generatiua attingunt substantiam viuam; augmentatiua vero non attingit substantiam, sed solam quantitatem: at nutritiua, & generatiua distinguuntur realiter inter se: ergo & ab augmentatiua; & consequenter sunt tres potentiæ realiter inter se distinctæ. Probatur minor: nam potentiæ existentes in organis seu partibus realiter distinctis, nequeunt non realiter distingui, vt ex se constat: sed nutritiua, & generatiua recipiuntur in diuersis partibus, seu organis; quandoquidem nutritiua est in omnibus partibus corporis, quarum conseruationi, & reparationi deseruit; generatiua autem solum residet in parte determinata, in ea videlicet, in qua formatur semen: ergo &c.

17 Huic argumento variè occurrunt Aduersarij: primo enim respondent aliqui potentiam generatiuam per totum corpus diffundi, & in omnibus formari semen, istudque ab omnibus in exercitio generationis attrahi, & decidi. Quod sibi persuadent ex eo, quod semen habet virtutem ad producendum fœtum similem generanti in omnibus partibus, seu membris: ergo oportet quod omnia membra conferant aliquid ad generationem; & consequenter, quod in omnibus formetur semen, atque ab illis attrahatur.

Sed hæc solutio facilè refellitur: tum auctoritate Aristot. *in lib. de generat. animal. cap.* 17. & Galeni *lib. de semine*, vbi docent semen solum in determinata parte corporis formari, & residere. Tum etiam, quia illa duntaxat pars habet dispositiones, & temperamentum requisitum ad seminis formationem. Tum præterea, quia illa parte ablata cessat generatio; quamvis aliæ partes maneant: è contra verò, quamvis alia, vel aliæ partes auferantur, non impeditur generatio, neque fœtus producitur minus integer. Tum denique quia femina plantarum in determinata parte formantur, & residunt, vt experientia conuincit: ergo idem de semine animalium dicendum est: neque enim apparet aliquod rationabile motiuum in contrarium. Id autem, quod pro se adducit illa solutio, leuissimum est, vt liquet in semine arboris, quod licet in vna determinata parte formetur; nihilominus deseruit vt alia arbor integra, & cum omnibus suis partibus producatur. Et similiter homo mancus, vel cæcus producit medio semine, hominem integrum, & videntem. Quod satis euincit non esse necessarium ad hoc, vt semen concurrat ad formationem omnium membrorum geniti, quod

formetur in omnibus partibus generantis: sed sufficit dari virtutem instrumentariam totius suppositi, licet in vna sola parte resideat.

18 Alij respondent potentiam generatiuam esse diffusam per omnes partes viuentis, sicut & nutritiuam; attamen non efficere in omnibus semen, sed duntaxat in determinato membro, vbi reperiuntur aliæ dispositiones requisitæ ad seminis formationem. ¶ Sed hæc etiam responsio impugnatur: quoniam repugnat potentiam proxime operatiuam esse in eo membro, vel organo, in quo nequit, saltem per se loquendo, elicere propriam operationem: sed formatio seminis solum fit in determinato membro, vt admittit hæc solutio: ergo potentia generatiua, quæ proximè ad prædictam operationem ordinatur, nequit residere, nisi duntaxat in illa parte. Maior suadetur: tum quia sicut forma substantialis ordinatur ad esse; ita potentia proxime operatiua ordinatur ad operari: sed repugnat formam existere in illa parte, in qua nequit esse principium essendi in actu secundo, vt liquet ex ipsis terminis: ergo repugnat etiam, quod potentia proxime operatiua sit, nisi in illa parte, in qua potest per se loquendo elicere operationem. Tum etiam, quia si potentia proxime operatiua esset in parte, in qua non posset per se loquendo elicere propriam operationem frustra esset in illa parte; quippe cum in ea non posset consequi proprium finem: sed hoc est inconueniens: ergo &c.

19 Denique alij occurrunt rationi à nobis factæ dicendo, quod animæ vegetatiuæ vna, & eadem potétia correspondet: hæc autem habet diuersas sui partes numero distinctas in diuersis partibus corporis. Porrò vna pars prædictæ potentiæ est indiuidualiter perfectior, quam alia; potestque proinde elicere diuersam operationem. Vnde secundum quod est principium nutritionis dicitur nutritiua; & quatenus format in quadam parte semen, appellatur generatiua; quin ad hoc desiderentur potentiæ specie differentes: sufficiunt enim diuersæ partes eiusdem potentiæ.

Cæterum hæc solutio, & doctrina nequit sustineri: tum quia qualitas intra proprium genus non habet partes integrales actu distinctas vt statuimus *in lib. de Generat. disp. 5. q. 1. §. 4.* Tum etiam, quia esto illas haberet, non distingerentur specie, sed solo numero: ergo non eliceret operationes specie distinctas: at generatio, & augmentatio distinguntur specie: ergo distinctio illa partium est insufficiens ad eliciendas prædictas operationes, & exercenda munia adeò distincta. Tum & præcipue, quia si vna num. potentia valde materialis, qualis foret illa, quæ correspondet animæ vegetatiuæ, esset diffusa per totum corpus, & pro diuersitate partium eliceret operationes specie diuersas: potiori iure deberet admitti vnus numero sensus externus, qui pro diuersitate organorum diuersimode sentiret: & consequenter vnus numero sensus cum diuersitate partium integralium sufficeret ad videndum, audiendum, gustandum &c. neque essent

essent necessariæ diuersæ potentiæ sensitiuæ. Hoc autem nullus Philosophorum admittet: vnde nec solutio, quam impugnamus admittenda est.

§. III.

Refertur contraria sententia.

20 ADuersus nostram conclusionem sentiunt Durand. *in* 1. *d.* 3. *in* 2. *p. qu.* 2. Apollinar. 2. *de Anima quæst.* 9. quos sequuntur Suarez *tract.* 3. *de Anima, libr.* 2. *cap.* 9. Conimbr. *cap.* 4. *quæst. vnic.* & alij Recentiores. Principale robur huius opinionis consistit in euasionibus, quibus nostris argumentis conatur satisfacere; illas tamen jam præclusimus. Sed potest insuper suaderi primo ex Aristot. *in hoc lib. cap.* 4. *text.* 42. vbi inquit: *Quoniam eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua, de alimento necessarium est determinare*, &c. ¶ Confirmatur ex D. Thom. 1. *p. qu.* 119. *art.* 1. *ad* 4. vbi hæc habet: *Virtus conuersiua in principio quidem tam fortis est, vt possit conuertere non solum, quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum. Postea vero non potest conuertere, nisi quantum sufficit ad restaurationem deperditi: & tunc cessat augmentum. Demum neque hoc potest, & tunc fit diminutio.* Vbi plane supponit potentiam ad augmentationem & potentiam ad nutritionem esse realiter eandem virtutem, quam appellat conuersiuam.

Ad auctoritatem Philosophi respondetur cum D. Th. *in præf. lect.* 9. solùm intendere, quod potentia generatiua, & nutritiua sunt eadem potentia vnitate, atque identitate generica, cum distinctione specifica. ¶ Ad testimonium S. Doct. dicendum est illud minime nobis opponi: quia licet sit vna, & eadem virtus conuersiua, quæ in principio plus, deinde tantum, & denique minus substantiæ, quam deperdatur, acquirat: nihilominus hæc virtus solùm est potentia nutritiua, non vero augmentatiua: quia huius officium non est attingere substantiam vllo modo; sed producere per rigorosum motum quantitatem majorem, vt faciendam ex suo contrario iuxta ea, quæ diximus *in lib. de Gener. disp.* 5. *q.* 2. §. 2.

21 Secundo arguitur ratione: quoniam distinctio potentiarum desumitur vel ex termino formali, vel ex diuerso modo attingendi illum: sed omnes prædictæ potentiæ habent eundem terminum formalem, illumque attingunt eodem modo: ergo non distinguntur. Probatur minor: nam omnes eæ potentiæ versantur circa idem alimentum, illudque attingunt eodem modo, videlicet per diuersas transmutationes ordinatas ad conuersionem eius in corpus viuens.

Confirmatur primo: quia nutritio est vera generatio, per quam alimentum conuertitur in substantiam viuam: ergo actus potentiæ generatiuæ, & nutritiuę non distinguntur. Idemque ostendi potest de nutritione, & augmentatione: quia solùm distinguuntur in hoc, quod illa attingit substantiam æqualem; hæc vero

majorem majus autem, & minus non afferunt distinctionem specificam, neque postulant diuersas specie potentias.

Confirmatur secundo: quia per generationem producitur substantia totalis, & quantitas illi correspondens; siue sit magna, siue parua: ergo pariter per nutritionem producetur substantia partialis, & simul quantitas illi correspondens; siue sit major, siue minor, quã deperdita; quin opus sit recurrere ad distinctam actionem, & potentiam: sicut etiam idem calor producit alium calorem aliquando magis intensum, aliquando vero remissum.

Respondetur negando minorem, cuius probatio manet enervata ex dictis: quoniam potentia nutritiua tendit ad idem numero viuens; generatiua vero ad viuens numero diuersum; augmentatiua autem ad solam quantitatem, vt majorem: qui termini formaliter distinguuntur, & attinguuntur diuerso modo. ¶ Ad primam confirmationem respondetur nutritionem solùm esse generationem secundum quid: vnde debet distingui à generatione simpliciter, quæ est productio totius viuentis. Illud autem, quod dicitur de augmentatione, falso nititur intellectu: augmentatio quippe non attingit substantiam majorem, vel minorem, sed solam quantitatem vt majorem, & faciendam ex suo contrario. Quantitas autem sub hac ratione habet omnes conditiones requisitas ad per se terminandum rigorosum motum distinctum à nutritione.

Per quod etiam patet ad secundam confirmationem, quam extricatam jam habes *loco citato ex libr. de Generatione.* Ideo autem potest idem calor attingere alium calorem, siue sit major, siue minor, quia non respicit illum sub formalitate majoris; & propterea prædictæ rationes se habent de materiali: at potentia augmentatiua per se respicit quantitatem vt majorem; & ideo per habitudinem ad hunc terminum constituitur in ratione specialis potentiæ distinctæ à nutritiua, quæ ab illa formaliter abstrahit, vel eam excludit.

22 Tertio arguitur: quoniam eadem potentia nutritiua sufficit ad producendum in quadam parte sanguinem, in alia vero parte medullam; & ad reparandum in osse v. g. partem ossis, & in carne partem carnis, quæ per calorem naturalem dissipantur: ergo etiam erit sufficiens ad producendum semen ex eodem alimento: & consequenter habebit vim potentiæ generatiuæ, neque erit necessaria noua potentia. ¶ Respondetur concesso antecedenti, & negando consequentiam. Disparitas autem est perspicua ex dictis: quoniam sanguis, medulla, os, & caro sunt vere partes integrales animalis, quæ proinde neque specie, neque numero differunt realiter intra genus substantiæ. Quamobrem queunt optime constituere vnum, & eundem terminum formalem, & per eandem potentiam nutritiuam attingi: ad hanc quippe spectat reparare omnes partes proprias viuentis, quæ actione caloris naturalis deperduntur. Cæterum

semen

ſemen eſt effectus ſpecie diſtinctus à viuenti, & partibus illius, ordinaturque ad productionem totalem noui, ac diſtincti ſuppoſiti: quocirca poſtulat ſpecialem potentiam, quæ in eius formatione elaboret, & huiuſmodi eſt potentia generatiua.

QVÆSTIO IV.

Vtrum potentia nutritiua diſtinguatur à calore naturali, & à temperamento primarum qualitatum?

VT confuſionem vitemus, mouemus ſpecialiter quæſtionem circa potentiam nutritiuam: illius tamen deciſio alijs animæ potentijs eſt etiam communis, & applicanda.

§. vnicus.

Statuitur vera ſententia, & ab objectionibus vindicatur.

23 DIcendum eſt potentiam nutritiuam eſſe potentiam vitalem diſtinctam à calore naturali, & ab alia quacumque prima qualitate, licet illis vtatur vt inſtrumentis. Ita Ariſtot. 2. *de Generatione animalium cap.* 4. D. Thom. 1. *parte quæſtione* 118. *art.* 1. *ad* 3. vbi inquit: *Calidum autem elementare ſe habet inſtrumentaliter ad virtutem animæ, ſicut etiam ad virtutem nutritiuam, vt dicitur in* 2. *de Anima.* Idemque docet eadem 1. *parte, quæſt.* 78. *a.* 2. *ad* 1. Vnde hæc ſententia eſt cõmunis inter Thomiſtas, & communior ad illas.

Fundamentum eſt: quoniam actio vitalis debet elici proximè à potentia vitali, vt ex ſe liquet: ſed nutritio eſt operatio vitalis, vt conſtat ex dictis tùm in hoc opere, tùm *in libr. de Generatione*, ergo petit potentiam vitalem, à qua proxime eliciatur: conſtat autem nec calorem, nec aliam primam qualitatem eſſe potentiam vitalem; cùm rebus etiam inanimatis conueniant: ergo præter calorem naturalem, & alias primas qualitates, admittenda eſt potentia, quæ ſit principium proximum nutritionis, & quam nutritiuam vocamus.

Confirmatur primo: nam quò principium radicale operandi eſt perfectius, eò petit potentiam proximè operatiuam perfectiorem, vt inductiue poteſt oſtendi: atqui anima vegetatiua eſt principium radicale operandi perfectius, quam omnis forma inanimata: ergo petit potentiam proxime operatiuam perfectiorem potentijs, quæ inueniuntur in rebus inanimatis: ſed calor, & aliæ primæ qualitates ſunt potentiæ rebus inanimatis communes: ergo potentia nutritiua, quæ eſt propria potentia proxima animæ vegetatiuæ, excedit calorem naturalem, & alias primas qualitates. ¶ Confirmatur ſecundo: nam potentia, quæ oritur à principio vitali, vt tali, nequit non eſſe vitalis; ſicut

ſicut quod oritur à principio non vitali, vt tali, nequit vitalitatem habere: ſed potentia nutritiua oritur ab anima vegetatiua, quatenus eſt forma viua; & ideo non competit vllirei inanimatæ: ergo potentia nutritiua, eſt potentia vitalis, diſtincta à calore, & alijs qualitatibus non vitalibus rebuſque inanimatis communibus.

Quod autem calor, & aliæ primæ qualitates deſeruiant potentiæ nutritiuæ, vt facultates inſtrumentariæ (quæ eſt pars extrema aſſertionis) facile ſuadetur: quoniam ad nutritionem debet cibus concoqui, digeri, & diſponi, vt in viuens conuertatur: ſed ad hæc munera præſtanda apprime deſeruiunt calor, & aliæ primæ qualitates: ſunt igitur facultates inſtrumentariæ potentiæ nutritiuæ.

24 Oppoſitam ſententiam amplectuntur Suarez 3. *de Anima, cap.* 9. & alij Iuniores. Et probatur primo: quia ad vnicam actionem ſufficit vna cauſa principalis cum vnico inſtrumento; alias procedendum eſſet in infinitum: ſed calor eſt virtus inſtrumentaria animæ vegetatiuæ in ordine ad nutritionem, vt expreſsè docet Philoſophus *libr. de ſenſu, & ſenſibili cap.* 4. *& libr.* 3. *de partibus animalium cap.* 6. vbi inquit: *Calor eſt, qui vim obtinet augendi*, ergo non requiritur alia virtus nutritiua diuerſa à calore naturali. ¶ Confirmatur primo: quia calor hoc ipſo, quod ſubordinetur igni, poteſt in virtute eius producere inſtrumentaliter alium ignem: ergo calor hoc ipſo, quod ſubordinetur viuenti, poterit in virtute eius concurrere inſtrumentaliter ad ſubſtantiam viuam producendam, & conſequenter ſuperfluit alia potentia. ¶ Confirmatur ſecundo: nam temperamentum primarum qualitatum ſufficienter diſponit materiam primam pro introductione cuiuſlibet formæ tàm viuæ, quàm non viuæ: ergo pariter idem temperamentum exiſtens in viuenti poterit eſſe inſtrumentum ſufficiens ad attingendam ſubſtantiam viuam, quin opus ſit recurrere ad aliam potentiam vitalem.

Reſpondetur argumento negando majorem vniuerſaliter intellectam: quia frequenter ad vnum effectum requiruntur plura inſtrumenta inter ſe ſubordinata, vt patet in arte, quæ hac de cauſa vtitur pluribus inſtrumentis. Neque hinc ſequitur proceſſus in infinitum quia breui peruenitur ad inſtrumentum ſupremum, quod eſt eiuſdem ordinis vitalis cum principio. ¶ Ad primam confirmationem conceſſo antecedenti negatur conſequentia. Et diſparitas conſtat ex dictis: nam ignis eſt quid inanime, atque ideo poteſt ſe communicare per virtutem inſtrumentariam non vitalem: at anima vegetatiua eſt principium radicale viuens; quocirca petit potentiam proxime operatiuam vitalem, qualis non eſt calor naturalis. ¶ Ad ſecundam reſpondetur temperamentum primarum qualitatum non diſponere materiam ad formam viuam, niſi quatenus ſubordinatur viuenti, & eius potentijs vitalibus proximè operatiuis. Vnde niſi adeſſent huiuſmodi potentiæ diſtinctæ à primis

qualita-

qualitatibus non posset viuens aliud viuens generare.

25 Secundo arguitur : quia si potentia nutritiua distingueretur realiter à calore , & temperamento primarum qualitatum ; non posset non producere in alimento aliquid diuersum à primis qualitatibus, quo illud disponeret ad nutritionem : sed non est assignabile quod producat : ergo &c. ¶ Respondetur concedendo sequelam , & negando minorem: quia prædicta potentia producit in primis qualitatibus quandam peculiarem modificationem, per quam potius disponunt ad formam viuam , quam ad aliam. Ad eum sane modum , quo potentia generatiua non sistit in primis qualitatibus per alias virtutes productis; sed vltra progreditur organizando membra : quod solùm fieri potest à potentia vitali , & eleuata supra qualitates inanimes.

DISPVTATIO VIII.

De anima sensitiua, & sensibus externis in communi.

ANIMÆ vegetatiuæ , cuius notitiæ hactenus insudauimus , immediatè succedit anima sensitiua, quæ illam excedit , & intellectiuæ cedit in perfectione. Nihil autem de anima sensitiua secundum se sumpta in præsenti disputabimus : quia id abundè fecimus in antecedentibus disputationibus : quamobrem de solis sensibus , per quos ipsa innotescit , agemus. Plura vero , quæ possent hic examinari , vtputa an detur sensus agens , & patiens ; an egeat speciebus ad sensationem , & alia hujusmodi meditato omittimus : quia latius de illis agendum nobis est *in libr.* 3. vbi de intellectu , & illius speciebus plura trademus , quibus proportionabiliter applicatis , poterunt illæ difficultates facile extricari. Quamobrem solas sequentes quæstiones subijciemus.

QVÆSTIO I.

Quotuplex sit sensibile externum?

RAtio potentiæ ab obiecto tanquam à regula extrinseca desumenda est : & ideo disputationibus de sensibus internis oportet præmittere disputationem de sensibilibus externis quæ sunt eorũ obiecta. Nomine autem sensibilis externi illud intelligimus, quod aliqua ratione pertinet ad sensum externũ, vt obiectum illius : & de hoc inquirimus quotuplex sit, vel quibus modis dicatur.

§. I.

Explicatur communis sententia.

1 DIcendum est primo sensibile externum recte diuidi in sensibile proprium, & sensibile commune, & sensibile per accidens. Hæc conclusio expresè traditur ab Aristotele *in hoc secundo libro textu* 65. defenditurque à D. Thom. ibidem *lection.* 13. & 1. *parte quæst.* 17. *art.* 2. & communiter ab interpretibus, quos proinde non referimus. Explicatur simul, & suadetur assertio : quoniam nomine sensibilis proprij intelligitur illud obiectum, quod attingitur per se ab vno dumtaxat sensu. estque specificatiuum illius, vti se habet color ad visum : nomine autem sensibilis communis illud intelligitur, quod attingitur per se à pluribus sensibus; non tamen primario, sed secundario, vti comparatur magnitudo ad visum, & tactum : nomine vero sensibilis per accidens intelligitur illud, quod accidit obiecto sensibili, & non terminat primario, vel secundario sensationem; sed solum habet conjunctionem cum re, quæ illam terminat, quo pacto se habet substantia ad omnes sensus. Constat autem omne sensibile externum comparari ad sensus aliquo modo ex recensitis, vt consideranti constabit; nec possumus alium modum terminandi rationabiliter statuere. Diuisio ergo sensibilis externi in proprium, commune, & per accidens est recta, & adæquata.

Confirmatur, & declaratur amplius : quoniam omne, quod aliquomodo est obiectum sensuum externorum, attingitur vel per se, vel per accidens. Si attingitur per accidens; *est sensibile per accidens.* Si autem attingitur per se; vel attingitur per se primo : & hoc modo est sensibile proprium, ac specificatiuum alicuius sensus. Vel attingitur per se secundo, potéstque à pluribus sensibus percipi : & hoc pacto est sensibile commune. Omne ergo sensibile externum vel est proprium, vel commune, vel per accidens; atque ideo prædicta diuisio est adæquata.

2 Dicendum est secundo sensibile com

commune diuidi in quinque membra, nempe in motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem. Ita communiter, Philosophi cum eorum principe *in hoc lib. 2. tex.* 64. Fundamentum desumitur ex dictis: quoniam sensibile commune est quod attingitur à pluribus sensibus, non per se primo, sed per se secundo: at ea sensibilia, quæ dinumerauimus, sunt huiusmodi: ergo &c. Suadetur minor: quia quodlibet ex illis sensibilibus attingitur à duobus, vel pluribus sensibus, vt consideranti constabit: deinde attinguntur per se; siquidem faciunt aliquam immutationem in sensu: diuersimode enim participatur odor v. g. magnus, ac paruus: denique à nullo sensu attinguntur per se primo; cum attingi per se primo sit solius obiecti specificatiui, & prædicta nullum sensum specificent: ergo sensibilia, quæ recensuimus, attinguntur à pluribus sensibus, non per se primo; sed per se secundo.

3 Hic autem duo obseruanda sunt. Primum sit, ad rationem sensibilis communis non desiderari, quod attingatur ab omnibus sensibus; sed sufficere, quod vel à duobus possit attingi: nam eo ipso cadit à ratione sensibilis proprij, seu specificatiui. Vnde D. Th. exponens illa verba Aristotel. *Huiusmodi enim nullius sensus sunt propria, sed communia omnibus*, quæ habentur *text.* 64. & possent difficultatem incutere, hæc adjecit: *Exponit, quod communia sensibilia sunt ista quinque, motus, quies, numerus, figura, & magnitudo: hæc enim nullius sensus vnius sunt propria, sed sunt communia omnibus. Quod non est sic intelligendum, quasi omnia ista sint omnibus communia, sed quædam horum, scilicet numerus, motus, quies sunt communia omnibus; tactus vero, & visus percipiunt omnia quinque.* ¶ Secundum sit prædictam diuisionem non fieri in species atomas, sed esse quasi genericam: quia præter sensibilia recensita dantur tempus, vnitas, situs, distantia: sed tempus reducitur ad motum, vnitas ad numerum, situs, & distantia ad magnitudinem, seu quantitatem. Idemque dicendum est de alijs sensibilibus communibus, si quæ sunt præter ea, quæ recensuimus.

§. II.

Diluuntur aliquæ objectiones.

4 SEd quamvis doctrina hactenus stabilita sit adeo communis, aliquas tamen habet difficultates, ex quarum enodatione amplius illucesceret. Igitur objicies primo: quoniam sensibile commune, & sensibile per accidens coincidunt inter se: ergo non debent comparari vt diuersa membra diuidentia. Suadetur antecedens, tùm quia sicut sensibilia per accidens non percipiuntur, nisi quatenus attinguntur sensibilia propria: ita sensibilia communia nequeunt cognosci, nisi per propria, & media sensatione illorum,

rum. Tùm etiam quia ſicut ſenſibilia per accidens conjunguntur per accidens cum ſenſibilibus proprijs: ita ſenſibilia communia accidunt proprijs, vt patet in motu, qui per accidens conjungitur cum albo, vt ex ſe liquet. Tùm denique, quia ſicut ſenſibilia per accidens sũt extra latitudinẽ obiecti ſpecificatiui ſenſus, & ideo nequeunt attingi; ſed ſolũ conjunguntur cum obiecto ſpecificatiuo, quod attingitur: ita ſenſibilia communia ſunt extra latitudinem obiectorum, quæ ſpecificant ſenſus externos; ſiquidem obiectum ſpecificatiuum v. g. viſus eſt color extra cuius latitudinem ſunt motus, numerus &c. Ergo ſenſibile per accidens, & ſenſibile commune coincidunt inter ſe.

Reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum eſt, aliter, & aliter attingi ſenſibile commune, & ſenſibile per accidens. Illud enim licet egeat ſenſibili proprio, & ſupponat immutationem eius; nihilominus adhuc habet aliquo modo immutare ſenſum, non quidem producendo ſpeciem diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij; ſed eam modificando, vt poſtea dicemus: idque in cauſa eſt, vt diuerſimode ſentiatur color magnus, ac paruus, & color vnus, ac duo colores. Senſibile autem per accidens nullo modo immutat ſenſum, & nec producit ſpeciem nec modum ſpeciei; ſed præciſe accidit ſenſibili. Cuius ſignum eſt, quod viſio albi nullo modo variatur ex eo quod ſit ibi, vel non ſit ſubſtantia, vt conſtat in viſione panis conſecrati, quæ eodem modo ſe habet ante, & poſt conſecrationem, quin ibi aliquam variationem percipiat. Quod non contingeret ſi ſubſtantia, quæ eſt ſenſibilis per accidens immutaret aliqua ratione ſenſum: percipereturquippe illius abſentia.

Ad ſecundum reſpondemus conjunctionem ſenſibilis per accidens cum ſenſibili proprio eſſe omnino per accidens ſi ſenſibili proprium ſumatur in eſſe obiecti ſenſibilis; quidquid ſit, an conjungantur per ſe in eſſe rei, quod ſatis liquet in exemplo hoſtiæ conſecratæ, colori enim illius in eſſe viſibilis accidit omnino, quod ſit, vel non ſit ibidem ſubſtantia. At ſenſibile commune, licet conjungatur per accidens cum ſenſibili proprio ſumpto in eſſe rei vt probat illud exemplum motus: attamen in eſſe obiecti non omnino accidit illi; ſed conuenit per ſe aliquo modo. Quoniam motus v. g. ita modificat colorem, vt viſus aliter percipiat colorem, cùm mouetur; & aliter, cùm quieſcit, & ſe ſe extendat ad percipiendum ipſum motum. ¶ Ad tertiam conſtat ex dictis, quod obiectum per accidens eſt omnino extra latitudinem obiecti proprij ſumpti in ratione obiecti. At ſenſibile commune licet non ſit pars ſubiectiua prædicti obiecti; queit tamen eſſe modus illius in eſſe obiecti, ac proinde percipi ex conſequenti, & per ſe ſecundo, vt explicatum eſt.

5 Secundo obijcies: quia ſi daretur aliquod ſenſibile per accidens

dens maxime substantia : sed hæc non est sensibilis per accidens : ergo. Probatur minor : tum quia omnia sensibilia propria sunt accidentia , & virtutes propriæ substantiæ : ergo immutant sensus in virtute substantiæ : ergo immutare per se primo non tam accidentibus ; quam substantiæ attribuendum est ; consequenter hæc non erit sensibilis per accidens. Tum etiam , quia coniunctio substantiæ , & virtutis operatiuæ illius non est per accidens : sed sensibile proprium est virtus operatiua substantiæ : ergo non coniunguntur per accidens ; ac proinde substantia non erit per accidens sensibilis , sed per se. Tum deinde quia sensibile proprium non sentitur in abstracto , sed in concreto ; siquidem propriè loquendo non videtur albedo , sed album : constat autem , quod album , & quodlibet concretum includit per se substantiam : hæc igitur per se coniungitur cum sensibili proprio. Tum denique , quia si substantia non coniungitur per se cum sensibili proprio , saltem modificando , & determinando illud ; nullo modo percipietur : ergo nullo modo erit sensibilis adhuc per accidens : quod est absurdum , & contradicit nostræ assertioni.

Respondetur negando minorem. Cuius prima probatio non vrget : quia licet accidentia sumpta in esse rei dependeant à substantia , & comparentur ad illam , tanquam ad primam sui radicem : attamen respectu immutationum intentionalium accidentia , quæ sunt sensibilia propria , se habent vt primæ radices : quia illis , & non substantiæ, conuenit per se primo vis immutatiua sensuum. Vnde non oportet quod sensibilia propria in immutando intentionaliter subordinentur substantiæ vt virtutes eius : sed oppositum necessariò contingit eo quod substantia non intrat per se ad ordinem sensibilium ; sed est quid latens, pertinetque duntaxat per modum quidditatis ad intellectum. Et licet ordo intentionalis supponat ordinem entitatiuum ; non est necessarium , quod res comparentur eodem modo in vtroque ordine. ¶ Per quod etiam soluitur secunda probatio : solum enim conuincit substantiam , & accidens , quod est sensibile proprium , coniungi per se in ordine entitatiuo ; minime vero in linea intentionali , & in esse obiecti sensibilis ; cum substantia non pertineat ad illam per se, & in ratione obiecti , sed per accidens , seu in ratione sustentantis obiectum.

Ad tertiam dicendum est , quod licet non albedo , sed album videatur ; minime sequitur substantiam sentiri per se , aut coniungi per se cum albedine considerata in ratione obiecti. Ad rationem quippe albedinis in esse visibilis per accidens, & de materiali se habet , quod sustentetur in substantia tanquam in subiecto , vel quod conseruetur diuina virtute , vel alio modo. Neque enim ex hoc subit aliquam variationem in esse visibilis ; sed immittit semper speciem eandem & in re , & in modo , vt probat exemplum *hostiæ consecratæ*.

¶ Ad quartam dicimus, quod vt ſubſtantia dicatur ſenſibilis per accidens ſufficit ſentiri in aliquo ſui, nempe in accidenti; licet in ſe ipſa nullo modo à ſenſibus percipiatur. Eò vel maxime, quod poſita ſenſatione ſenſibilis proprij, excitatur per illam intellectus ad cognitionem ſubſtantiæ: quod ſufficit, vt dicatur ſenſibilis aliquo modo nempe in alio, vel per aliud.

6 Tertio obijcies: quoniam ſapor coniungitur per accidens cum albedine, quæ eſt ſenſibile proprium; & tamen ſapor non eſt ſenſibilis per accidens: ergo ad rationem ſenſibilis per accidens non ſufficit coniunctio accidentalis cum ſenſibili proprio. ¶ Confirmatur: quoniam ex oppoſito fieret, quod quidquid coniungitur cum ſenſibili proprio, eſſet ſenſibile per accidens: quod tamen non admittit D. Thom. *lect.* 13. *citat.*

Reſpondetur obiectioni, quod vt aliquid ſit abſolutè ſenſibile per accidens, debet non eſſe ſenſibile per ſe reſpectu alicuius ſenſus. Sapor autem eſt ſenſibile proprium guſtus: vnde ex eo, quod accidat colori, ſolum ſequitur eſſe ſenſibile per accidens; non vero ſenſibile per accidens abſolutè. ¶ Ad confirmationem neganda eſt ſequela: quia illa ſolum dicuntur ſenſibilia per accidens, quæ, per accidens coniunguntur cum accidentibus propriis; iſtis tamen excitantibus & mediantibus, poſſunt percipi, & deprehendi ab intellectu. Vnde ſi quæ aliæ rationes fuerint accidentaliter coniunctæ ſenſibilibus propriis, vt tamen per ea non cognoſcantur ab intellectu, vt latentes aliquæ relationes ad terminos ignotos, illæ non poterunt appellari ſenſibilia adhuc per accidens: & hoc præciſe intendit D. Thom.

7 Vltimo obijcies: quoniam motus eſſentialiter importat partem præteritam, & futuram: ſed præteritum, & futurum non poſſunt cognoſci per ſenſus externos: ergo motus nequit eſſe ſenſibile per ſe etiam ſecundario, ac proinde nec erit ſenſibile commune. Idem argumentum valet numero applicari: nam materialiter acceptus pro rebus coincidit cum magnitudine, atque ideo non poterit conſtituere membrum in diuiſione ſenſibilis communis. Formaliter autem conſideratus ſolum cognoſcitur à potentia ſciente numerare, cuiuſmodi eſt ſolus intellectus. Vnde videtur diuiſionem ſenſibilis communis fuiſſe minus recte aſſignatam.

Reſpondetur, quod etſi ſenſus nequeat cognoſcere in actu ſignato quidditatem motus, & comparando partem præteriam, & futuram inter ſe: valet tamen motum in actu exercito cognoſcere per viſionem ei coexiſtentem. Ad quod ſufficit cognoſcere partem immediate præteritam, & partem immediate futuram, illas videlicet, quæ connectuntur per inſtans præſens: quo pacto habent præſentialitatem, ſeu coexiſtentiam requiſitam, vt percipiantur per ſe ſecundo à ſenſibus externis. Numerus autem, quamvis omnino formaliter acceptus nequeat à ſenſu apprehendi; valet tamen cognoſci non omnino materialiter, ſeu quoad res abſolute, & diuiſim acceptas: quia poteſt ſenſus cognoſcere

cere plura discreta simul, vt tres lapides, vel quatuor homines. Et numerus hoc posteriori modo sumptus constituit vnum ex sensibilibus communibus, distinguiturque à magnitudine, vt ex se liquet.

§. III.

Consectarium primum præcedentis doctrinæ.

8 EX dictis aliqua colliguntur adeo legitime, vt non oporteat pro illis nouas excitare quæstiones: sed præsenti attexanda sunt. Primo igitur infertur sensibile commune non imprimere sensui speciem diuersam ab specie sensibilis proprij, sed solum modificare illam. Doctrina huius corollarij traditur à D. Th. 1. *p. q.* 78. *art.* 3. *ad* 2. & est valde communis inter Philosophos facileque deducitur, & suadetur ex supra traditis: tum quia cum sensibile commune non percipiatur per se primo sed solum ex consequenti, & tanquam modus obiecti; non petit nouam speciem, sed potest per speciem obiecti primarij sufficienter apprehendi. Tum etiam quia immutare potentiam per speciem sui repræsentatiuam est proprium obiecti specificantis potentiam: sed sensibile commune nullum sensum specificat: ergo nulli imprimit speciem diuersam ab specie sensibilis proprij. Tum præterea quia si ad percipiendum sensibile proprium, & sensibile commune requirerentur duæ species realiter distinctæ, etiam requirerentur duæ sensationes, quæ illis speciebus correspondèrent: consequens est contra experientiam; siquidem indiuisibiliter percipimus colorem quantum: imo impossibile est, quod detur visio solius quantitatis.

Confirmatur: quia si sensibile commune produceret aliquam peculiarem speciem sui repræsentatiuam, vel esset eiusdem rationis in omnibus sensibus vel non. Primum dici nequit: quia cum sensus sint potentiæ passiuæ diuersæ rationis, debent per species, seu formas diuersæ rationis actuari. Secundum etiam est falsum: quoniam species est eiusdem rationis cum obiecto à quo immittitur, vt dicemus *lib.* 3. sed omnes illæ species immitterentur ab vno, & eodem sensibili communi: ergo essent eiusdem rationis. Dicere autem quod sensus externi mouentur à sensibili communi, quatenus omnes conueniunt in ratione sensus externi, atque ideo omnes posse recipere species eiusdem rationis; & falsum, & friuolum est: quoniam visus non percipit magnitudinem coloris nisi videndo, quod ei conuenit, quatenus visus est, neque odoratus apprehendit magnitudinem odoris, nisi odorando, ac proinde quatenus odoratus est, & sic de aliis; ergo sensus externi non immutantur à sensibili communi præcise secundum communem rationem sensus externi; sed secundum suas particulares rationes: atque ideo non possunt actuari per species eiusdem rationis.

9 Quod autem sensibile commune modificet speciem sensibilis proprij (quæ est secunda pars corollarij) suadetur

ſuadetur : tum , ex eo , quod ſenſibile commune immutat aliquo modo ſenſum externum , alias nullatenus perciperetur ab illo : ſed non immutat producendo ſpeciem : ergo ſaltem modificat illam : aliter enim nullatenus immutaret. Tum etiam quia ſenſibile commune ſe habet vt modus ſenſibilis proprij in linea intentionali: ergo ſpecies ſenſibilis proprij ſic modificati euadit ita modificata, vt ſe extendat ad repræſentandũ ſenſibile commune. Tum denique, quia ſpecies ſenſibilis proprij , cum ſit valde materialis , debet illud repræſentare materiali modo , hoc eſt, cum conditionibus , quæ illud materializant , afficiunt, & modificant : ſed color v. g. habet re ipſa quantitatem , ſitum &c. & illis modificatur : ergo ſpecies coloris repræſentat ipſum prout ita modificatum, & conſequenter , licet ſenſibile commune non producat ſpeciem diuerſam ab ſpecie ſenſibilis proprij; attamen modificat illam. Porrò cum modus ſequatur naturam rei cuius eſt modus , illique debeat attemperari , & ſenſibile commune ſe habeat vt modus ad ſenſibilia propria, iſtaque ſint diuerſæ rationis : fit vt licet ſenſibile commune ſit vnum, imprimat tamen diuerſas modificationes ſpeciebus ſenſibilium propriorum : atque ideo ſpecies coloris in oculo habet diuerſam modificationem ad repræſentandam quantitatem , ac ſpecies odoris in odoratu ad eandem repræſentandam. Per quod ſoluitur tacita obiectio , quæ ex confirmatione nuper facta poterat contra iſtam partem deſumi.

10. Contraria huius corollarij doctrina magis placuit Scoto *in* 4. *diſt.* 12. *qu.* 3. Quæ poſſet ſuaderi *primo* , quia ſpecies non repræſentant niſi obiectum , à quo immittitur : ſed ſpecies coloris ſolum immittitur à colore : ergo ſolum repræſentat colorem : ergo vt repræſentetur quantitas coloris requiritur diſtincta ſpecies. *Secundo* : quia ſpecies , & obiectum ſunt eiuſdem naturæ : ſed color, & magnitudo ſunt entitas , & entitas habentes diuerſas naturas : ergo poſtulant diuerſas ſpecies , nec poterunt per vnicam ſufficienter repræſentari. *Tertio*, quia poteſt ſentiri ſenſibile commune , quin ſentiatur ſenſibile proprium, vt contingit in eo , qui videt magnitudinem corporis diſtantis , cuius nullum apprehendit colorem ; & cõtingeret ei qui eſſet prope cœlum, tangeret enim illius quantitatem, & ſentiret ſe ab illa impediri, nec vltra progrederetur ; & tamen in cœlo non eſt aliqua prima qualitas , quæ eſt proprium ſenſibile tactus : ergo ſenſibile commune ſentitur per ſpeciem ab ſpecie ſenſibilis proprij ; alias non poſſet abſque illo ſentiri, vt ex ſe liquet. *Quarto* , quia ad percipiendum nouum obiectum requiritur noua ſpecies : ſed ſi album , quod prius videbatur ſub vna figura incipiat habere nouam figuram , apparet nouum obiectum nempe figura illa : ergo requiritur noua ſpecies diuerſa ab illa , per quam color videbatur.

Hæc tamen facilè diluuntur : *primum* quidem ; nam cum ſpecies coloris non immittatur niſi à colore modificato, nempe à colore quanto, & figurato ; poteſt optime repræſen-

tare

rare non solum colorem, sed etiam colorem quantum, & figuratum: quia hæc se habent vt modus obiecti repræsentati, & eadem sensatione apprehenduntur. *Secundum* autem; quia licet color, & quantitas se habeant in esse rei vt duæ entitates: nihilominus in esse intentionali non sunt duo obiecta, sed se habent vt obiectum, & modus obiecti. Vnde non petunt diuersas species, eò quod species solum est eiusdem rationis cum obiecto primario repræsentato; non verò cum illo, quod repræsentat ex consequenti, & tanquam modificationem obiecti. *Tertium* verò; quia antecedens est omnino falsum, nec illo exemplo suaderi potest: nam qui videt magnitudinem corporis eminus positi, videt principalius tum colorem illius, licet imperfectè, & confuse, tum etiam lucem, qua illud corpus perfunditur: lux autem est proprium sensibile visus. Existens vero prope cælum tangeret aliquod proprium sensibile: quia non solum calor, frigiditas, humiditas, & siccitas sunt qualitates per se tangibiles; sed etiam durum, & molle, asperum, & lene, & tersum: & ex iis posterioribus aliquæ conueniunt cœlo: si autem cœlum denudaretur ab omni qualitate, non perciperetur illius quantitas sensatione tactus, sed cognitione intellectus, qui aduerteret non posse illud corpus vltra progredi: sicut contingit, cum quis impeditur ab Angelo, ne moueatur. Denique *quartum*; nam cum illa noua figura non sit nouum obiectum primarium, sed nouus modus obiecti; non petit nouam speciem, sed sufficit, quod species præexistens accipiat nouam modificationem.

§. IV.

Aliud corollarium doctrinæ hactenus traditæ.

11 INfertur secundo ex dictis sensum raro decipi circa sensibilia propria, frequentius verò circa communia, & multo magis circa sensibilia per accidens. Hoc corollarium explicat mentem Philosophi *in hoc lib. text.* 161. traditurque expresse à D. Thom. ibid. *lect.* 6. & 1. *p. qu.* 17. *art.* 2. & admittitur communiter ab Interpretibus. Cum autem dicimus sensum decipi, non loquimur de deceptione iudicatiua, quæ fit per attributionem vnius ad aliud, & sensibus repugnat; sed de deceptione apprehensiua, quæ fit per difformitatem repræsentationis ad rem apprehensam, & præbet occasionem, vt sequatur deceptio iudicatiua, vt apparet in visu attingente obiecta per vitrum viride: apprehendit enim omnia esse viridia, licet talem colorem in se non habeant.

Et in hoc sensu facile apparet veritas huius corollarij; quoniam sensus tendit ex se ad proprium obiectum specificatiuum attingendum provt est in se; cum quælibet potentia sit in actu primo commensurata cum suo obiecto specificatiuo: sed sensibile proprium est obiectum specificatiuum sensus, à quo attingitur:

ergo per se loquendo attingitur provt est in se; & consequenter solum per accidens, & raro ob indispositionem organi, vel medij attingetur diuerso modo. Hæc autem ratio non militat in sensibilibus communibus, & per accidens, quippe quæ non specificant sensum nec attinguntur primario, sed solum ex consequenti, secundario, & quasi per accidens: ergo circa huiusmodi sensibilia potest deceptio frequentius contingere. ¶ Ad hæc; nulla res per se loquendo deficit in operatione, quæ ei conuenit ratione suæ formæ; bene autem in operationibus quæ conueniunt ratione aliorum accidentium, quæ formam alias consequuntur: sed sensatio proprij sensibilis conuenit sensui per speciem, quæ se habet ad illum tanquam forma; sensatio vero sensibilis communis vel per accidens solum conuenit ratione modificationis, quæ speciem illam, seu formam accidentaliter consequitur: ergo defectus in sensatione proprij sensibilis est per accidens, & rarò contingit; defectus vero in sensatione aliorum sensibilium non est ita per accidens, sed potest frequentius contingere.

Quæ omnia optime complexus est, & illustrauit Angelic. Doct. *loco cit. ex* 1. *p.* vbi inquit: *Similitudo alicuius rei est in sensu tripliciter. Vno modo primo, & per se: sicut in visu est similitudo colorum, & aliorum sensibilium. Et alio modo per se, sed non primo, sicut in visu est similitudo figuræ, vel magnitudinis, & aliorum communium sensibilium omnium. Tertio modo nec primo nec per se, sed per accidens, sicut in visu est similitudo hominis, non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accidit esse hominem. Et circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, & in paucioribus, ex eo scilicet, quod propter indispositionem organi non conuenienter recipit formam sensibilem: sicut & alia passiua propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium. Et inde est, quod propter corruptionem linguæ infirmis dulcia amara esse videntur. De sensibilibus vero communibus, & per accidens potest esse falsum iudicium etiam in sensu rectè disposito: quia sensus non directe refertur ad illa, sed per accidens, vel ex consequenti, in quantum refertur ad alia.*

12 Epicurei tamen, quibus consentire videtur Tertullianus *in lib. de Anima cap. de primis sensibus*, doctrinam huic corollario extremè contrariam amplexati fuerunt; autumabant enim sensum in nullo euentu decipi. Quod potest vtcumque suaderi: tum quia certitudo scientiæ innititur primis principiis; hæc autem sensuum experimentis: ergo si sensus possunt dicipi, tollitur de medio certitudo scientiarum, quod est inconueniens. Tum etiam quia sensus sentit, sicut species repræsentat; hæc autem cum sit naturalis similitudo obiecti repræsentat illud, provt est in se: ergo semper sensus attingit obiectum provt est in se, ac subindè nunquam decipitur. Qua ratione videtur August. dixisse *in lib. de vera Religione*: *Si omnes corporis sensus ita nuntiant, sicut afficiuntur; quid ab eis amplius exigere*

exigere debeamus, ignoro. Tum etiam quia ex opposito fieret nullius roboris esse illud testimonium Ioan. in sua Canonic. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ &c. Quod vidimus, & audiuimus, & annuntiamus verbis.* Si enim sensus decipi potest, non recte colligitur ita se habere ea, quæ testatur Ioannes ex eo, quod ipse, & alij Apostoli ita viderint & audierint: potuerunt enim decipi. Denique Aristot. 8. *Physic. cap.* 3. *text.* 22. hebetem eum reputat, qui fidem denegat sensibus. Igitur sensus nunquam, & circa nullum sensibile decipiuntur.

Sed huius existimationis, vt pote manifestè absurdæ, fundamenta se ipsis corruunt. Ad primum enim respondetur experientiam, cui scientia innititur, constare ex plurium sensationum sibi consentientium collectione. Sensus autem, licet, raro, & per accidens queat circa suum sensibile errare; communiter tamen, & per se loquendo habet rectã illius apprehensionem: ac proinde valet fundare veram experientiam. Ad secundum respondemus, quod quamvis species repræsentet, quantum est ex se, proprium sensibile, provt est à parte rei; nihilominus ob indispositionem vel organi, vel medij vnitur defectuosè potentiæ: quod in causa est, vt nequeat eam ducere ad perfectam sui obiecti cognitionem; sed parit sensationem confusam, & non conformem obiecto. Dictum autem D. Augustin. procedit de sensibus, & sensibilibus rectè dispositis, & per se loquendo. Testimonium vero D. Ioan. vrgentissimum est, eò quod nititur experientiæ, atque ideo, vt diximus pluribus sensationibus: deceptio autẽ circa proprium sensibile contingit vt in paucioribus. Quæ etiam de causa meritò vapulat apud Philosophum, qui fidem sensibus vniuersaliter abrogat. Cum quo tamẽ optime stat, vt aliquando, & per accidens sensus decipiantur circa propria sensibilia.

QVÆSTIO II.

Vtrum sensibile positum supra sensum impediat sensationem?

SEnsus tituli est, an ad hoc, vt sensibile sentiatur, sit necessarium aliquod medium inter ipsum, & potentiam sensitiuam: an verò possit sentiri, quamvis eam immediate afficiat. Quod vt magis perspicuum fiat, obserua medium esse duplex, internum scilicet, vti se habet caro animalis sentientis per sensum tactus ad ea, quæ supra carnem ponuntur: & externum, quod est aliquod suppositum medians inter animal, & sensibile, vt aër, qui mediat inter visum, & colorem. Et quæstio præsens non procedit circa aliquod medium determinate: sed ab vtroque præscindit: & inquirit, an requiratur aliquod medium, quodcumque illud sit. Deinde obserua, quod sensibile dupliciter potest poni immediate supra sensum: vno modo per inhæ-

sionem, vt calor, qui pertinet ad naturale temperamentum organi tactus se habet ad tactum: alio modo per contiguitatem, seu exclusionem suppositi intermedij, vti se haberet calor ignis, si ignis immediate tangeretur à sensu tactus. Difficultas ergo non de sensibili inhærente, sed de contiguo præcipue procedit: quamvis illius decisio poterit à fortiori sensibili inhærenti applicari, vt constabit ex dicendis.

§. I.

Defenditur communior sententia.

13 Dicendum est sensibile positum immediatè supra sensum non posse immediatè sentiri: ac proinde quemlibet sensum, vt eliciat suam sensationem petere aliquod medium inter ipsum & obiectum sensibile. Hanc conclusionem docet Philosophus *in hoc lib. text.* 75. vbi D. Thom. *lect.* 15. sic illam interpretatur: *Ostendit, quod similiter se habet in aliis sensibus, sicut in visu, & dicit, quod eadem ratione est de sono, & odore, sicut & de colore: nullum enim eorum sentitur, si tangit organum sensus.* Et *text.* 116. vbi D. Thom. *lect.* 23. inquit: *Dicit ergo primo: ita videtur se habere caro, & lingua, sicut se habet aër, & aqua ad organum visus, auditus, & olfatus. In nullo enim istorum sensuum potest fieri sensus, si tangatur organum.* Eandem sententiam amplectuntur in præsenti Caiet. *ad text.* 72. Ægidius *cap.* de tactu, Iandunus *quæst.* 21. Apollinar. *quæstion.* 24. Iabel. *quæst.* 5. Ferrar. *quæst.* 19. & alij plures.

Fundamentum est: quoniam species debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum potentia ad hoc, vt fiat sensatio: sed species, quæ procederet ab obiecto immediatè posito supra potentiam, non esset eiusdem immaterialitatis cum illo: ergo sensibile positum supra sensum impedit sensationem; ac proinde, vt detur sensatio, necessarium est dari aliquod medium inter potentiam sensitiuam, & obiectum. Maior, & consequentia constant. Minor vero suadetur: quoniam obiectum non est ita immateriale sicut potentia; cum frequenter sit quid inanime: ergo species, quæ immediatè causatur ab obiecto, nequit esse ita immaterialis, ac potentia. Probatur consequentia: quia omne agens intendit quantum potest, assimilare sibi effectum: ergo obiectum materiale, cum immediate, ac proinde fortius agit, producit speciem sibi similem in materialitate: ergo species, immediate causata ab obiecto non est ita immaterialis sicut potentia. Itaque species, quæ immediate causatur ab obiecto, est eiusdem ferè materialitatis cum ipso obiecto: vnde sicut obiectum ob suam materialitatem nequit per se ipsum immutare, & actuare potentiam: ita neque species immediatè causata ab obiecto valet illam immutare in ordine ad sensationem.

Confirmatur, & explicatur amplius: quoniam nequit fieri transitus ab extremo in extremum, nisi gradatim,

gradatim, & per media: sed species in obiecto habet esse omnino materiale, & inanime; in sensu autem habet esse immateriale, & vitale: ergo indiget medio: quippe in illo habet esse magis immateriale, quam in obiecto, & minus immateriale, quam in potentia, & consequenter gradatim ascendit ab vno in alterum extremum. Quod fulcitur experientia: nam species visibiles, quò magis distant ab obiecto, eò magis attenuantur: quod in causa est, vt illi, qui debilis aciei sunt, nequeant videre obiectum nimis distans: ergo signum est, quod species immediate orta ab obiecto contrahit materialitatem, & vt ita loquamur, crassitudinem, & corpulentiam; & quod in medio fit magis immaterialis, & subtilis, vt ita ad immaterialitatem sensus accedat & illi proportionetur: ergo attentis rerum naturis, species causata ab obiecto posito immediate supra sensum est inepta ad sensationem.

14 Inquires an hæc major immaterialitas, quam species habet in medio, causetur ab obiecto, vel à medio? Neutrum enim videtur asserendum. ¶ Respondetur illam majorem immaterialitatem neque esse à solo medio, neque à solo obiecto: sed ab vtroque simul, licet diuerso modo procedere. Quoniam licet obiectum sit causa præcipua tùm speciei tùm immaterialitatis illius; petit tamen indispensabiliter medium ad illam majorem immaterialitatem, & minorem crassitudinem attingendam. Nequit quippe immediatè aliquid oriri ab obiecto, quod sit ita immateriale, ac potentia; cum obiectum, & potentia sint extrema valde distantia: quamobrem est necessarium medium, vel per modum instrumenti, vel per modum dispositionis ad hoc, vt species refrangatur, & materialitatem deponat: quod magis percipietur soluendo argumenta contraria.

§. II.

Respondetur argumentis contrariæ opinionis.

15 SEntentiam nostram vniuersaliter intellectam non admittunt Tolet. *lib. 3. huius operis, cap. 10. quæst. 2.* Conimbr. *lib. 2. cap. 11. quæst. 1.* Rubius *libr. 3. cap. 1. qu. 3.* Quorum opinio potest suaderi primo: quia omnes species, quas album causat, sunt eiusdem rationis, cum idem obiectum repræsentet: ergo vna non est magis immaterialis, quam alia: & consequenter sicut illa, quæ causatur ab albo distanti, potest esse principium sensationis, ita & illa, quæ immediate causatur ab eo. ¶ Confirmatur primo: nam quælibet causa perfectiùs agit in proximum, quam in distans: ergo si obiectum distans causat speciem cum sufficienti immaterialitate ad sensationem; multo magis poterit id præstare obiectum immediate afficiens potentiam. ¶ Confirmatur

ſecundo: quia medium frequenter eſt magis materiale, quam obiectũ: ergo ſi iſtud cum interuentu talis medij queit cauſare ſpeciem ſufficienter immaterialem, multo magis poterit id præſtare immediate per ſe ipſum.

Ad argumentum reſpondetur, quod licet omnes ſpecies cauſatæ ab vno obiecto ſint eiuſdem rationis ex parte naturæ repræſentatæ; ſecus vero ex parte modi immaterialitatis: hic enim dependet etiam à proprio ſuſceptiuo ſpeciei, & à modo, quo recipitur. Certum quippe eſt ſpecies Petri exiſtentes in viſu, in ſenſu communi, & in imaginatiua eſſe eiuſdem rationis ex parte naturæ repræſentatæ; cùm idemmet obiectum repræſentent: & nihilominus ſpecies Petri in phantaſia eſt immaterialior, quam in ſenſu communi, & in iſto, quam in viſu: quia habet ſuſceptiua diuerſæ rationis, medijs quibus, magis, ac magis depuratur, & accedit ad immaterialitatem potentiæ, cui ineſt.

Ad primam confirmationem neganda eſt conſequentia: nam ex antecedenti potius ſequitur oppoſitum, vt conſtat ex fundamento, quod ſupra expendimus. Nam cùm agens agat fortius in proximum, quam in diſtans; oportet, vt ſpecies immediate cauſata ab obiecto ſit ei valde ſimilis in entitate, & materialitate: vnde ſi ob iſtam nequit obiectum ſe ipſo actuare potentiam; ob eandem id ipſum repugnabit ſpeciei, quæ immediate cauſatur ab obiecto. ¶ Per quod ſoluitur etiam ſecunda: nam medium non confert per ſe ipſum immaterialitatem ſpeciei; ſed requiritur, vt obiectum aliquantulum diſtet, ac proinde remiſſius influat, minoremque entitatem, ac craſſitudinem conferat ſpeciei, vt ſic euadat magis attenuata, & ſubtilis, ac proinde proportionata potentiæ. Ad quod non refert quod medium ſit groſſum, vel tenue, vt ex ſe liquet. Vnde hæc major ſpeciei immaterialitas, licet in linea intentionali præ ſe ferat perfectionem ob acceſſum ad potentiam; attamen in eſſe rei potius eſt remiſſio, & carentia entitatis, & perfectionis ob receſſum ab agente.

16 Secundo ſuaderi poteſt hæc opinio diſcurrendo per ſingulos ſenſus: ſapor enim frequenter attingit immediatè organum guſtus videlicet neruum diſperſum per linguam: qua de cauſa lingua eſt poroſa, nempe vt ſapor penetret vſque ad guſtum. Odorifera etiam exhalatio vſque ad organum odoratus non ſemel pertingit; & tamen ſentitur, vt experientia conſtat. Sonus quoque vehemens prope aurem factus non eſt, cur non pertingat in eſſe entitatiuo vſque ad organum auditus, & audiatur. Imo ſi digito claudatur auris, quidam ſonus auditur intra illam, qui proinde nequit diſtare ab auditu. Deinde tangibile poſitum ſupra carnem ſentitur: caro autem eſt organum tactus, vt docet Ariſtot. 2. *de partibus animal. cap.* 8. Et ſi neruus tactiuus immediate pungatur ferro, ſentit maximum dolorem. Viſus denique

denique percipere valet obiectum sibi contiguum, tum quia clausis oculis videmus aliquem splendorem, qui est lux inhærens humori albugineo, & immediate tangens pupillam. Tum quia fricans oculos videt lumen internum, qui sensorio contiguum est. Tum quia aër illuminatus videtur, & tamen oculis est contiguus.

Respondetur nullius sensus experientiam suffragari opinioni aduersæ; sed in omnibus procedere vniuersaliter nostram assertionem, vt constabit respondendo ad singulas probationes. Sapor enim per se loquendo, non tangit immediatè sensorium gustus, sed carnem linguæ, quæ est medium prædicti sensus. Quod si humor sapidus permearet vsque ad ipsum neruum, in quo residet gustus, non sentiretur immediate in parte illa, quam immediate tangeret, sed in alia magis distanti: pars autem immediata tacta haberet rationem medij ad prædictam sensationem. Et eodem modo respondendum est ad id, quod dicitur de exhalationibus odoriferis. Sonus autem nunquam pertingit secundum suam entiratem naturalem vsque ad organum auditus: hic enim residet in quadam substantia aërea intra tympanum vndique occlusum. Et strepitus, qui aure clausa percipitur formatur in aliqua concauitate auris existente prope tympanum. Tangibile vero vel non tangit immediate neruum tactus, sed carnem; vel si illum tangit, non sentitur in parte immediate attacta, sed in alia distantiori, vt de sono, & sapore diximus. Denique visus licet percipiat aliquod lumen existens in oculo, & intra palpebras; non tamen illud, quod immediate tangit pupillam, sed quod residet in alia parte aliquantulum distanti. Et quamvis videat aërem sibi alias contiguum; non videt partem aëris, in qua contiguantur, sed aliam magis dissitam. Quæ omnia debitam illustrationem accipient, cùm de singulis sensibus in particulari occurrerit disputatio.

QVÆSTIO III.

Quomodo vehemens sensibile lædat, & corrumpat sensum externum?

SEnsum lædi à vehemente sensibili ipsa experientia, vel nulla suffragante ratione satis confirmat: nam si quis solem inconuenienter intueri contendat, non leue detrimentum ab illius splendida luce reportat. Idque posse præstari à sensibili, quatenus agens naturale est & imprimit aliquam qualitatem in organo sensus, & omnes admittunt, & ratio, atque experimentum suadet: si enim ferrum candens applicetur tactui, vehementem calorem imprimit, quo corrumpitur harmonia organi, & perit consequenter sensus ad destructionem subiecti. Difficultas autem est, vtrum sensibile vehemens, sumptum præcisè in ratione agentis intentionalis operantis

rantis quæ per ſpecies ſenſibiles valeat nocumentum ſenſui afferre. Et hoc adhuc dupliciter: primo per ſolam impreſſionem ſpecierum intentionalium, & antecedenter ad ſenſationem: ſecundo vero per ſenſationem ipſam medijs illis ſpeciebus elicitam: quod in præſenti determinandum eſt.

§. I.

Diſſoluitur difficultatis nodus.

17 DIcendum eſt primo vehemens ſenſibile ſumptum in eſſe agentis intentionalis poſſe lædere ſenſum per impreſſionem ſpecierum. Ita Ariſtot. *in hoc libr. cap. 12. text. 123.* vbi D. Thom. *lect. vlt.* hæc habet: *Dicit, quod manifeſtum eſt ex prædictis propter quid excellentia ſenſibilium corrumpat organa ſenſuum. Oportet enim in organis ſentiendi ad hoc, quod ſentiatur, eſſe quandam rationem, id eſt proportionem vt dictum eſt. Si ergo motus ſenſibilis fuerit fortior, quam organum natum ſit pati, ſoluitur proportio, & corrumpitur ſenſus, qui conſiſtit in quadam proportione organi, vt dictum eſt. Et eſt ſimile, ſicut cùm aliquis fortiter percutit chordas, ſoluitur ſymphonia, & tonus inſtrumenti, qui in quadam proportione conſiſtit.* Idem repetunt *in lib. 3. text. 143. lection. 2.* Quos ſequuntur Caiet. *in hoc libro text. 123. & 143.* Ferrar. *quæſt. 22.* Aquarius ibidem, Bañez *1. p. q. 78. art. 4. tract. de potentijs ſenſitiuis in communi dub. 5.* & alij plures.

Fundamentum deſumitur ex Ariſtot. & D. Thom. locis proximè citatis, & poteſt ad hanc formam reduci: quoniam id, quod eſt innaturale, atque improportionatum alicui, nequit non lædere illud: ſed receptio ſpecierum vehementis ſenſibilis eſt innaturalis, & improportionata ſenſui: ergo illum lædit; & per conſequens ſenſus læditur à vehemente ſenſibili, non ſolùm quatenus eſt agens naturale, ſed etiam quatenus eſt agens intentionale, & influit per ſpecies antecedenter ad ſenſationem. Cætera conſtant, & minor explicatur, & ſuadetur: etenim quemadmodum delectatio in opere arguit illud eſſe proportionatum, & connaturale; ita è conuerſo moleſtia, & defatigatio oſtendit improportionem, ac innaturalitatem operis: ſed experimur, quod ſenſus in receptione ſpecierum vehementis ſenſibilis ſubit magnam moleſtiam, & defatigationem: ergo receptio prædictarum ſpecierum eſt innaturalis, atque improportionata ſenſui.

Confirmatur primo, & explicatur amplius: nam obiectum ſenſibile ſecundum extrema contriſtat, & ſecundum medium delectat ſenſum: qua de cauſa color viridis eſt gratior oculis juxta illud *Eccleſ. 40. Gratiam, & ſpeciem deſiderauit oculus meus, & ſuper hæc virides ſationes*, nempe quia eſt medius inter colores: ergo ſignum eſt, quod ſenſus tendit connaturaliter in obiectum conſiſtens in mediocritate, & immutatur connaturaliter ab eo: ergo è contra ſenſibile excellens non inſpicitur connaturaliter à ſenſu, neque eum valet immutare conſo-

nè

nè ad suam naturam. Id autem, quod est contra naturam rei, & excedit eius proportionem, nequit eam non lædere: ergo vehemens sensibile lædit sensum, quatenus illum immutat per species ei impressas. ¶ Confirmatur secundo, & declaratur exemplo D. Thom. nam sicut tonus consistit in quadam vocum proportione, ita sensus consistit in quadam proportionata commensuratione ad obiectum: sed tonus soluitur per vehementem, & fortem percussionem chordarum: ergo sensus harmonia soluitur per impressionem specierum vehementium, seu repræsentantium obiectum vehemens.

18 Dicendum est secundo sensum lædi à vehemente sensibili non solùm ratione specierum, quas recipit ab illo; sed etiam ratione sensationis, quam elicit medijs dictis speciebus. Hæc assertio est æquè communis, ac præcedens, & facile suadetur ex dictis: nam quoties forma lædit subiectum, debet etiam illius formæ operatio ipsum lædere: qua de causa quia calor est contrarius aquæ, etiam calefactio est illi dissona: sed species vehementis sensibilis est forma lædens sensum, vt nuper statuimus: ergo sensatio, quæ prædictæ speciei respondet, vt propria illius operatio, debet etiam lædere sensum. ¶ Confirmatur primo: quia sensatio, seu perceptio vehementis sensibilis causat molestiam, vt contingit, cùm audimus maximum tonitrum: ergo prædicta sensatio est contra naturam sensus, & consequenter læsiua illius. ¶ Confirmatur secundo: quoniam cùm sensus adhibet conatum vehementiorem, quàm eius connaturalis modus operandi petit, nequit non defatigari, ac proinde lædi: sed in sensatione facta per species vehementis sensibilis adhibet sensus conatum excedentem suum connaturalem operandi modum; siquidem attingit obiectum vehemens, & quod excedit obiectum sibi connaturale: ergo sensus nequit non lædi per prædictam sensationem.

§. I.

Soluuntur argumenta contraria.

19 RVbius *in hoc lib. 2. cap. 12. q. vn.* & quidam alij Moderni negant, quod sensibile vehemens, quatenus agens intentionale est, & immittit solas species, possit corrumpere sensum: autumant enim id præstare, quatenus est præcisè agens naturale, & simul cum specie immittit aliquam qualitatem nociuam, quæ organum sensus lædit: vnde consequenter docent sensum non corrumpi per se, sed per accidens, nimirum ad corruptionem subiecti. Quæ opinio probatur primo: nam agens per actionem quodammodò spiritualem, non corrumpit passum; eò quod prædicta actio non est alterario corruptiua, sed perfectiua vt docet Aristot. *in hoc lib. text. 38.* at obiectum, quatenus est agens intentionale agit in sensum per actionem quodammodo spiritualem: ergo nequit vt agens intentionale corrumpere sensum.

Confirmatur primo : quia obiectum, vt agens intentionale, non imprimit nisi species: sed eæ quantumvis vehementes sint, nequeunt corrumpere sensum, ergo neque obiectum influens præcise, vt agens intentionale. Probatur minor : quia prædictæ species sunt debilissimæ, ac diminutæ entitatis, imparesque in vigore qualitatibus naturalibus, quibus fulcitur organum sensus: ergo prædictæ species nequeunt sensum corrumpere. ¶ Confirmatur secundo : quoniam prædictæ species earenus corrumperent sensum, quatenus sunt principium vehementis sensationis: sed quælibet sensatio est perfectio potentiæ sensitiuæ, & quò vehementior, eò perfectior est : ergo species non possunt corrumpere sensum.

Respondetur argumento actionem intentionalem debitè factam esse perfectionem potentiæ, & nullam corruptionem inducere : actionem vero intentionalem, si vehemens sit, posse lædere ac corrumpere sensum ob ea, quæ supra diximus. Diuersitas autem, quam Aristot. *loco citato* ponit inter alterationem physicam, & alterationem intentionalem in eo consistit, quod illa exigit ex se aliquam corruptionem, eò quod debeat fieri cum abiectione contrarij : hæc autem ex se, & vt comnaturaliter eliciat nullam corruptionem postulat, aut abiectionem alicuius à subiecto. Cum quo tamen recte stat, quod si vehemens fuerit, & supra proportionem potentiæ, illi nocumentum importet.

Ad primam confirmationem neganda est major. Et ad illius probationem dicendum est accidentia, quibus organum disponitur ad existentiam, & conseruationem sensus, esse quidem qualitates naturales : attamen deseruire sensui, vt sensus est, ac proinde pertinere initiatiuè ad ordinem intentionalem, & debere cum illo proportionari. Quamobrem proportio physica illarum qualitatum connectitur cum proportione intentionali sensus ad suum sensibile : atque ideo hac posteriori dissoluta, consequens est, vt prior illa dissoluatur. Vnde cùm species vehementis sensibilis sint improportionatæ sensui, vt sensus est, illique noceant, nequeunt non qualitatibus deseruientibus sensui detrimentum etiam inferre. Corrupto quippe sensu, & destructo organo illius in esse organi, opus est, vt etiam corrumpatur quantum ad esse entitatiuum : quia hoc ordinatur ad illud. ¶ Adde species vehementioris sensibilis determinare sensum ad vehementem sensationem: ad hanc autem requiri, quod abundantior spirituum vitalium copia attrahatur, quam attrahi solet. Porro ij spiritus, cum radij sanguinei calidissimi sint, tantum calorem inuehunt in sensum, quod illius temperiem naturalem dissoluunt. Vnde vel ex hoc capite satis apparet qualiter species vehementis sensibilis sint improportionatæ sensui, dissoluantque organi, ac qualitatum naturalium harmoniam.

Ad secundam confirmationem respon

respondemus, quod licet cognitio per se loquendo, & ex genere suo sit perfectio potentiæ cognoscitiuæ; nihilominus cùm est sensitiua, & vehementior, quam postulat perfectio sensus, valet ei inferre, & infert re ipsa læsionem, vt constat ex dictis.

10 Arguitur secundo: quoniam quilibet sensus respicit per se totam latitudinem sui obiecti, ab eaque speciem capit; alias constitueredus foret vnus sensus respectu certæ, & determinatæ intensionis, & alius respectu excellentis, quod est absurdum: sed nulla potentia læditur ab eo, quod per se respicit & à quo specificatur: ergo nullus sensus laditur à vehementi sensibili, quatenus præcisè est sensibile, seu agens naturale, sed quatenus alias influit per modum agentis naturalis. Minor videtur certa: quia nulla potentia inclinatur in id, à quo læditur; aliàs appeteret suam destructionem: omnis autem potentia inclinatur in id, quod per se respicit, & à quo specificatur.

Respondetur obiectum potentiæ cognoscitiuæ esse; duplex extensiuum videlicet, & intensiuum. Illud est, ad quod potentia potest vtcumque se extendere siue cum difficultate, siue absque illa; siue connaturaliter, siue cum improportione: quia ad rationem prædicti obiecti solùm desideratur, quod potentia possit absolutè extendi ad illud non determinando modum extensionis. Et huiusmodi obiectum solet appellari specificatiuum: eò quod speciem transfundit potentiæ: species quippe rerum abstrahunt à modis proportionis, vel innaturalitatis. Obiectum vero intensiuum est illud, respectu cuius potentia habet non solùm commensurationem essentialem proximè explicatam; sed etiam efficaciam, & virturem ad illud connaturaliter, & absque vlla violentia, vel læsione percipiendum. Qua de causa solet huiusmodi obiectum vocari connaturale: quia potest non solùm absolutè, sed & connaturaliter à potentia attingi. Vade ad argumentum negandа est minor primi syllogismi, si intelligatur de eo, quod per se respicitur, vt obiectum extensiuum. Ad cuius probationem dicendum est, quod licet potentia habeat commensurationem essentialem cum obiecto extensiuo; nihilominus non habet inclinationem ad illud: nam inclinatio addit proportionem supra commensurationem essentialem: & stat bene dari commensurationem essentialem, quin detur proportio, & dispositio connaturalis, vt apparet in intellectu creato, qui habet commensurationem essentialem ad videndum Deum in se ipso; & tamen caret proportione, & efficacitate proxima.

21 Replicabis: sensus non indiget eleuatione, aut virtute sibi superaddita, vt percipiat vehemens sensibile: ergo potest connaturaliter illud attingere. Probatur consequentia: quia intellectus attingit connaturaliter omne id, ad quod

attingendum non indiget eleuatione: ergo si sensus non petit eleuationem, vt attingat vehemens sensibile; sequitur, quod illud attingat connaturaliter.

Respondetur negando consequentiam primi enthimematis: stat enim optime sensum habere vires ad attingendum objectum; ægrè tamen, & cum magna difficultate, atque non leui læsione: & consequenter non est idem posse sensum attingere vehemens sensibile absque eleuatione, ac sine læsione, & connaturaliter. Ad probationem autem in contrarium concesso antecedenti, neganda est consequentia: & ratio disparitatis est, quod intellectus est potentia pure spiritualis, expersque proinde fatigationis, ac molestiæ: vnde idem est intellectum posse aliquid absolute ex se, ac posse absque molestia, ac proinde connaturaliter. Cæterùm sensus est potentia corporea, & consequenter defatigabilis: quamobrem ex eo, quod possit aliquid absolutè, & sine noua eleuatione; minime infertur, quod illud præstet absque fatigatione, & molestia. Vnde stat bene, quod sensus viribus proprijs attingat vehemens sensibile; & quod ex eius attingentia læsionem, & corruptionem incurrat.

DISPVTATIO IX.

De sensu visus.

POST notitiam generalem sensuum externorum in communi, consequens est, vt de eisdem in particulari tractemus: inter quos principem locum visui cum Aristotele *in præsenti, capite septimo* dabimus ob dignitatem, qua sensus cæteros antecellit.

QVÆ

QVÆSTIO I.

Quid sit lux.

QVia notitia potentiæ ex cognitione obiecti deriuatur, ac dependet: obiectum autem potentiæ visiuæ complectitur colorem, & lucem, & hæc illi nobilitate præstat: propterea oportet, quod de luce ante alia in præsenti differamus. Sed vt æquiuocationem vitemus, animaduertendum est, quod hæc quatuor *lux, lumen, radius, & splendor* significant eandem rem secundum speciem, connotando tamen diuersas habitudines. Nam, vt bene obseruat D. Thom. *cap. 7. lect. 14.* appellatur *lux*, quatenus residet in corpore cælesti, *lumen*; quatenus diffunditur per medium; *radius*, quatenus procedit, & producitur per lineam rectam; *splendor* denique, quatenus reflectitur ex reuberatione radij ad corpus lucidum. Titulus ergo intelligitur de luce secundum quod omnia prædicta quatuor comprehendit. Vt autem facilius difficultatem explicemus, prius determinabimus, quid lux non sit, vt exindè aperiamus, quid sit.

§. I.

Aliquæ conclusiones pro stabilienda veritate.

1 DIcendum est primo lucem non esse corpus. Ita docent communiter Philosophi, quibus præluxit eorum princeps *in hoc lib. 2. c. 7.* vbi idem docet D. Thom. *lect. 14. & 1. p. quæst. 67. art. 2.* vbi hanc assertionem probat hac ratione: *Nam duo corpora non possunt esse simul in eodem loco: sed lumen est simul cum aëre: ergo lumen non erit corpus.* ¶ Confirmatur ratione S. Doct. *lect. cit.* vbi inquit: *Nam si lumen est corpus, oportet, quod illuminatio sit motus localis luminis deuenientis in diaphanum: nullus autem motus localis cuiuscumque corporis potest esse subitus, siue in instanti: ergo illuminatio non esset subito, sed successiuè: cuius contrarium videmus, quia in eodem instanti, in quo corpus lucidum præsentatur, illuminatur diaphanum totum simul, & non pars eius post partem.*

2 Dicendum est secundo lucem non esse formam substantialem. Ita idem Angelic. Doct. *loc. cit. ex 1. p. art. 3.* vbi assertionem optime euincit his rationibus: *Hoc etiam apparet impossibile propter duo: primo quidem, quia nulla forma substantialis est per se sensibilis: quia quidquid est, est obiectum intellectus: vt dicitur 3. de Anima; lux autem est secundum se visibilis. Secundo: quia impossibile est, vt id, quod est forma substantialis, in vno, sit forma*

accidentalis in alio : quia forma ſubſtantiali per ſe conuenit conſtituere in ſpecie ; vnde ſemper , & in omnibus adeſt ei : lux autem non eſt forma ſubſtantialis aëris, alioquin ea recedente, corrumperetur : vnde non poteſt eſſe forma ſubſtantialis.

3 Dicendum eſt tertio lucem non eſſe qualitatem intentionalem , & viſibilem per ſe ipſam independenter ab ſpecie à ſe diſtincta. Hanc etiam docet , & probat D. Thom. *loc. cit.* vbi inquit : *Quidam dixerunt, quod lumen in aëre non habet eſſe naturale , ſicut color in pariete ; ſed eſſe intentionale , ſicut ſimilitudo coloris in aëre : ſed hoc non poteſt eſſe propter duo. Primo quidem quia lumen denominat aërem ; fit enim luminoſus in actu : color vero* (hoc eſt ſpecies coloris) *non denominat ipſum , non enim dicitur aër coloratus. Secundo , quia lumen habet effectum in natura : quia per radios ſolis calefiunt corpora : intentiones autem non cauſant tranſmutationes naturales* : Et idem docet *quæſt.* 10. *de verit. art.* 8. *ad* 10. ¶ Confirmatur quia ſol quamvis lucidiſſimus ſit ; videtur per ſpeciem diſtinctam à luce : ergo lux non eſt qualitas intentionalis , & viſibilis per ſe ipſam abſque omni ſpecie. Conſequentia liquet : & antecedens ſuadetur ab experientia : etenim ſol à tergo exiſtens videtur in ſpeculo è regione oppoſito : ergo aliquid dimanat à ſole , quod per reflexionem ab ſpeculo peruenit ad oculos : hoc autem non eſt lumen ; ſiquidem ablato ſpeculo adhuc remanet lumen ſolis , & tamen non apparet ſol : ergo eſt ſpecies intentionalis à ſole, & eius luce diſtincta.

4 Dicendum eſt quarto lucem eſſe quandam qualitatem naturalem : eamque recte definiuiſſe Ariſt. in præſenti *text.* 69. illis verbis : *lumen eſt actus diaphani ſecundum quod eſt diaphanum.* Hæc concluſio quoad primam partem legitime infertur ex antecedentibus , & conſtat tum à ſufficienti partium enumeratione, & ex refutatione aliorum modorum dicendi : tum etiam , quia lux eſt per ſe ſenſibilis , & intenſibilis , ac remiſſibilis , vt experientia liquet : hoc autem eſt proprium qualitatis naturalis: ergo, &c. Secunda vero aſſertionis pars etiam liquet : quia accidens in abſtracto rectè definitur per conceptum ſuperiorem loco generis , & per proprium ſubiectum loco differentiæ , vt ſtatuimus *Log. diſp.* 5. *quæſt.* 1. ſed huiuſmodi eſt definitio lucis in abſtracto ſumptæ , quam tradit Ariſtot. ſiquidem ly *actus* deſignat rationem ſuperiorem ad lucem , & alias qualitates , & ly *diaphani* importat proprium ſubiectum lucis : ergo præ[illegible]ta definitio eſt legitima. ¶ Ad hæc : forma rectè definitur per ſuum ſubiectum formatum , vt ſupra vidimus *diſp.* 2. *qu.* 1. ſed diaphanum, quatenus actu diaphanum , eſt ſubiectum formatum per lucem : *Manifeſtum eſt enim* , vt inquit D. Th. *lect.* 14. *quod nec aër , neque aqua , neque aliquid huiuſmodi eſt actu tranſparens , niſi fuerit illuminatum* : ergo lux recte definita eſt ab Ariſtotele.

Dices : lux recipitur non ſolum in corporibus diaphanis ; ſed etiam in opacis , vt docet D. Thom. *in* 2. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 10. his verbis :

verbis: *Dicendum, quod sicut dicit Dionysius in 4. cap. de diuinis nominibus, lumen solis recipitur in diuersis corporibus diuersimode secundum diuersam capacitatem eorum; & ideo aliqua sunt, quæ illuminantur in superficie tantum, vt corpora opaca; aliqua etiam sunt, quæ illuminantur in profundo sicut diaphana.* Ergo proprium susceptiuum lucis non est solum corpus diaphanum: & consequenter lux non est definita per proprium susceptiuum.

Respondetur cum D. Thom. *in præsent. lect.* 14. rationem diaphaneitatis non consistere in indiuisibili; sed habere magnam latitudinem secundum magis, & minus: ita vt nullum sit corpus adeò opacum, quod aliquam diaphaneitatem non participet, saltem imperfectè, & secundum externam superficiem. Quamobrem merito Aristot. definiuit lucem per diaphanum: quia nihil potest illuminari, nisi vel diaphanum simpliciter sit, vel aliquam diaphaneitatem habeat: sicut nihil potest attingi à scientia nisi vel sit obiectum formale, vel reducatur ad ipsum.

6 Dicendum est vltimo lucem esse qualitatem realiter, & essentialiter distinctam à vero colore. Ita Aristot. *in hoc lib. 2. text. 69.* D. Th. *lect. 14. citata, & de sensu, & sensato lect. 6. & 1. p. q. 67. art. 3.* quos sequuntur communiter Philosophi. Probatur ratione; quia vna, & eadem qualitas secundum speciem non potest esse permanenter, & transeunter in subiecto, siue oriri, & non oriri ex intraneis illius: at sic est, quod verus color potest esse permanenter in subiecto, & oriri ex principiis intrinsecis illius, vt patet in colore auri; lux verò oritur ab extrinseco, nempe à corpore luminoso, & solum habet esse transeunter in aliis corporibus, vt ex se liquet: ergo lux, & verus color non sunt vna, & eadem qualitas secundum speciem, sed distinguuntur realiter, & essentialiter.

Confirmatur primo: quia verus color, vt puta nigredo habet contrarium nempe albedinem; & ideo potest fieri per verum motum alterationis, vt docet Aristot. 7. *Physic. cap. 3.* & satis ex se liquet: sed lux nec habet contrarium; cum sit proprietas corporis incorruptibilis, nempe solis, qui contrariis subiacere non potest: nec fit per motum successiuum, sed instantaneè, vt supra *num. 1.* vidimus ex D. Thom. ergo signum satis manifestum est lucem, & verum colorem non esse vnam, & eandem qualitatem, sed distingui realiter specifice. ¶ Confirmatur secundo: nam qui videt duos parietes diuersi coloris, cognoscit conuenientiam eorum in luce, & differentiam in colore: hoc autem non posset fieri, nisi discerneret inter colorem, & lucem vniuscuiusque parietis: ergo inter prædicta discernit cognoscendo eorum distinctionem. Et cum nequeant solo numero distingui, siquidem insunt eidem subiecto; sequitur quod distinguantur realiter specificè.

§. II.

§. II.

Plures opiniones aduerſæ referuntur, & refelluntur.

7 CONtra aſſertiones proxime ſtabilitas plures ſunt dicendi modi, quos in medium libet proferre, & eorum argumentis occurrere. In primis Empedocles, & plures Philoſophi Academici docuerunt lucem nihil aliud eſſe, quam corpus lucidum; quibus ex parte conſentiunt alij aſſerentes eſſe formam ſubſtantialem. Quæ poſitio ſuadetur primo auctoritate: nam Ariſtot. vt refert D. Thom. 1. *p. qu.* 67. *art.* 3. dixit: *lumen eſſe ſpeciem ignis.* Auguſt. etiam *lib.* 7. *de Gen. ad lit. cap.* 1. lucem appellat *ſubtiliorem naturam corporis.* Quod etiam videntur tenere Theodoret. ad Hæbr. 1. ſuper illa verba: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*, & Hugo Victor. *lib. de Sacram. cap.* 9. ¶ Confirmatur: quia Patres, & alij graues Doctores frequenter docent lucem *ferri, reflecti, & interſecari:* hæc autem ſunt propria corporis: ſentiunt ergo, quod lux eſt aliquod corpus.

Sed has auctoritates optimè exponit D. Thom. & ad legitimum ſenſum reducit: nam ad primam reſpondet loco citato ex 1. *p. ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod Ariſtot. lumen nominat ignem in propria materia, ſicut ignis in materia aërea dicitur flamma, & in materia terrea dicitur carbo. Non tamen eſt multum curandum de his exemplis, quæ Ariſtot. inducit in libris logicalibus: quia inducit ea vt probabilia ſecundum opinionem aliorum.* Ad auctoritatem Auguſt. reſpondet in ſolutione ad 1. *Dicendum, quod Auguſtinus accipit lucem, pro corpore lucido in actu, ſcilicet pro igne, quod inter quatuor elementa nobiliſſimum eſt.* Eadem interpretatio adhibenda eſt aliis Patribus: frequenter enim vſurpant lucem pro corpore lucido; quamvis ipſa in ſe ipſa ſit ſolum accidens. ¶ Confirmationem diluit etiam idem S. Doct. *loc. cit. ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod omnia illa attribuuntur lumini metaphorice, ſicut etiam poſſent attribui calori: quia enim motus localis eſt naturaliter primus motuum, vt probatur in* 8. *Phyſic. vtimur nominibus pertinentibus ad motum localem in alteratione, & in omnibus motibus: ſicut etiam nomen diſtantiæ derivatum eſt à loco ad omnia contraria, vt dicitur* 10. *Metaphiſicæ.*

8 Secundo ſuadetur eadem ſententia ratione: quia habere ex ſe figuram eſt proprium corporis: ſed lux habet ex ſe figuram: ergo eſt corpus. Probatur minor: nam radius ſolaris ingrediens per foramen angulare apparet rotundus, vt experientia liquet: ſed hanc figuram non habet à corpore, per quod ingreditur, nec ab illo, ſupra quod cadit; cum contingere poſſit, vt nullum eorum ſit ita figuratum: ergo affert, & habet ex ſe illam figuram. ¶ Confirmatur: quia lux cæleſtis cauſat aliquos effectus ſubſtantiales in his inferioribus: ſed cauſa nequit eſſe ignobilior ſuo effectu: ergo lux cæleſtis eſt aliquid ſubſtantiale.

Sed hæc etiam facilè diluuntur: ad argumentum enim reſpondetur, lumen nullam prorſus ex ſe habere figuram,

figuram. Quod autem radius solaris aliquando appareat rotundus, prouenit vel ratione corporis luminosi, à quo procedit, eò quod rotundum est, vel ratione alterius causæ extrinsecæ: quam inuestigare Perspectiuorum est. ¶ Ad confirmationem dicendum, quod sicut color potest in virtute ignis attingere instrumentaliter substantiam: ita lux cælestis queit in virtute substantiæ, cui subordinatur, substantiam producere; quamvis ipsa non sit substantia, sed qualitas.

9 Scotus *in* 2. *dist.* 13. *quæst. vnic.* Ægidius ibidem, & in præsenti *text.* 76. *dub.* 2. *&* 3. & alij docent lucem esse qualitatem purè intentionalem. Quibus etiam fauent asserentes, quod lux simul est eminenter qualitas naturalis, & intentionalis, quæ proinde non eget alia specie, vt videatur. Quod probabile reputat Bañez 1. *p. qu.* 67. *art.* 3. Et potest hic dicendi modus fulciri primo auctoritate D. Thom. *qu.* 8. *de verit. art.* 3. *ad* 17. vbi hæc habet: *Dicendum, quod tripliciter aliquid videtur: vno modo per essentiam suam, sicut quando essentia visibilis coniungitur visui, sicut oculus videt lucem &c.* Et *quæst.* 5. de potentia *art.* 1. *ad* 6. inquit, quod lumen non est in aëre per modum formæ naturalis; sed magis per *modum intentionis.* Vbi aperte significat lucem esse qualitatem intentionalem.

Respondetur ad primam auctoritatem, quod D. Thom. vtitur illo exemplo ad explicandum id, quod præcipue intendebat. Exemplorum autem non requiritur veritas, sed satis est in eis adducendis vti sententiis probabilibus aliorum, vt supra *num.* 7. vidimus ex eodem S. Doct. Et quod ipse non sentiat lucem esse per se ipsam visibilem, constat tum ex dictis, tum etiam quia 1. *p. q.* 56. *art.* 3. explicatur id ipsum quod docet *quæst. cit. de verit.* vtitur eodem exemplo, sed sub conditione dicens: *Considerandum est, quod, aliquid tripliciter cognoscitur. Vno modo per præsentiam suæ essentiæ in cognoscente, sicut si lux videatur in oculo &c.* Qui loquendi modus satis indicat S. Doctorem minime sentire, quod lux sit visibilis per se ipsam, & absque specie. ¶ Ad secundam auctoritatem respondemus cum Ferrara *in hoc.* 2. *lib. qu.* 14. quod D. Th. solum docet lucem habere esse in aëre per modum intentionis, quia habet esse transiens, vt ipse se explicat *q.* 6. *de potentia art.* 4. Vnde esse lucis in aëre vocatur intentionale, non quatenus esse intentionale distinguitur contra esse naturale, sed quatenus opponitur esse fixo, & permanenti. Quibus addendum est, quod licet lux sit qualitas naturalis; nihilominus est qualitas valde subtilis, & disponens ad receptionem qualitatum intentionalium, videlicet specierum, ad quarum immaterialitatem accedit; licet eam non omnino pertingat. Quod in causa est, vt possit dici lucem esse per modum intentionis.

10 Deinde probatur eadem opinio ratione: quia omnis qualitas naturalis habet contrarium, vt calidum frigidum, & dulce amarũ, & album nigrum: sed lux non habet contrariũ siquidé tenebra, quæ sola opponitur

luci, non est aliquid positiuum, sed mera priuatio lucis: hæc igitur non est qualitas naturalis. ¶ Confirmatur primo: quia qualitas naturalis posita supra sensum non sentitur, sed impedit sensationem, vt supra ostendimus *disp.* 8. *qu.* 2. atqui lux posita supra visum non impedit visionem, sed magis iuuat, vt alia videantur: ergo &c. ¶ Confirmatur secundo: nam ideo aliæ qualitates positæ supra sensum impediunt perceptionem sui, & aliorum, quia habent esse materiale, & improportionatum subtilitati potentiæ sensitiuæ: sed lux est qualitas valde immaterialis, & subtilis: ergo etsi ponatur supra sensum, minime impediet sensationem; sed potius per se ipsam sentietur: quod est proprium qualitatis intentionalis, vt de se liquet.

Respondetur argumento negando majorem, vniuersaliter intellectam: quia lux est qualitas propria corporis incorruptibilis, & non habentis contrarium; vnde oportet, quod & ipsa contrario careat. ¶ Ad primam confirmationem dicendum, quod licet lumen immediatè positum supra pupillam non videatur; tamen ob suam subtilitatem, & immaterialitatem disponit organum pro visione aliorum obiectorum: quod aliis qualitatibus naturalibus magis materialibus repugnat. ¶ Per quod patet ad secundam: nam licet lux ob suam subtilitatem disponat ad visionem; nihilominus non est ita subtilis, vt pertingat ad immaterialitatem potentiæ sensitiuæ: quamobrem indiget specie intentionali, per quam amplius immaterializetur, & fiat sensui omnino proportionata.

11 Plato Alpharalus, Auempace apud Auerroem *comm.* 65. & Auicenna *lib.* 5. *cap.* 1. sentiunt lucem non distingui essentialiter à colore; sed hunc nihil aliud esse quam lumen receptum in corpore opaco, & in eo refractum, ita vt pro diuerso modo, quo recipitur, ac refrangitur, appareant diuersi colores. Cui dicendi modo suffragari videtur Aristot. *in hoc lib. cap.* 7. *text.* 68. vbi docet diaphanum esse visibile non propter se, *sed propter extraneum colorem*: fit autem visibile per lumen: ergo sentit lumen esse colorem. Quod magis expressit *text.* 69. vbi inquit: *Atque lumen quasi perspicui color est*: & de sensu, & sensato *cap.* 1. vbi asserit omnia corpora esse colore prædita: quod esset falsum si ipsa lux non haberet rationem coloris. Idque aperte docet D. Thom. *lect.* 14. sæpe cit. his verbis: *Color nihil aliud est, quam lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci.* Et eadem fere habet *lib.* de sensu, & sensato *lect.* 7.

Ad auctoritates Philosophi respondetur legitimum earum sensum esse, quem tradit D. Thom. de sensu, & sensato *lect.* 6. his verbis *Dicit ergo primo, quod sicut dictum est in lib. de Anima lumen est color perspicui. Quod quidem dicitur secundum quandam proportionem ex eo, quod sicut color est forma & actus corporis colorati: ita lumen est actus perspicui. Differt autem quantum ad hoc, quod corpus coloratum in se ipso habet causam sui coloris: sed corpus*

pus perspicuum habet lumen ab alio: & ideo dicit, quod lumen est color perspicui secundum accidens.

Ad testimonia D. Th. dicendum est locutionem illam S. Doct. intelligendam esse in sensu causali: quia videlicet ex luce, & opacitate terrea inter se mixtis resultat color. Vnde color est lux participatiue, non participatione formali vniuoca, & pertingente ad habendum esse specificum lucis; sed participatione virtuali, ac deficienti, ratione cuius color dicitur lux quodammodo obscurata, hoc est deficienter, & æquiuocè participata. Et desumitur hæc expositio ex ipso S. Doct. de sensu, & sensato, *lect. 6.* vbi Aristotelem interpretatur his verbis: *Primò proponit principia coloris: secundò inuestigat coloris definitionem ex huiusmodi principiis. Est duplex coloris principium: vnum formale, scilicet lumen; aliud materiale, scilicet perspicuum, & lect. 8.* inquit: *Post commixtionem corporum tangit commixtionem colorum & dicit manifestum esse secundum prædeterminata, quod commixtis corporibus colores miscentur. Dictum est enim supra, quod perspicuum secundum quod existit in corporibus, facit colores participari. Perspicuum autem diuersimodè inuenitur in corporibus secundum magis, & minus, & similiter lucidum. Et ideo permixtis corporibus, in quibus est lucidum & diaphanum, necesse est, quod fiat permixtio colorum. Et ista est principalis causa, quod sunt multi colores præter album, & nigrum.* Quibus verbis non solum detegit radicem colorum, & diuersitatis eorum; sed etiam manifestat, quo sensu dixerit colorem nihil aliud esse quam lucem obscuratam ex admixtione corporis opaci, nempe in sensu causali, & denotante principia propria coloris. Quo pacto ipse S. Doct. exposuit vltimam auctoritatem Aristot. *loc. cit. lect. 2.* dicens: *Ideo dicit, quod colorem omnia corpora participant, tam superiora, quam inferiora: quia in omnibus corporibus vel inuenitur ipse color secundum propriam rationem, sicut in corporibus, in quibus est diaphanum terminatum; vel saltem in eis inueniuntur principia coloris quæ sunt diaphanum & lux.*

12 Secundo potest hic dicendi modus suaderi ab iis quæ experimur: videmus enim pauonum caudas, & columbarum ceruices ex diuerso lucis aspectu diuersos inducere colores; videmus etiam nubes ex varia lucis irradiatione modo albo, modo rubeo, aut nigricanti colore perfundi; videmus denique ob eandem causam mare ex diuerso situ conspectum apparere nunc album, nunc purpureum. Hæc autem satis persuadent colorem nihil aliud esse, quam lumen receptum in corporibus, ac diuersimodè refractum. Quo alludere videtur Ecclesia in quodam hymno vbi ortum lucis significat illis verbis. *Rebus jam color reddit vultu nitentis syderis.*

Respondemus hac obiectione vnum conuinci, quod non negamus, nempe esse duo genera coloris: alius est enim color; qui appellatur verus eo quod à principiis intrinsecis mixti procedit, & quem hactenus affirmauimus à luce distingui. Alius autem est color,

qui dicitur apparens, & consistit in lumine de foris aduenient, qua de causa apparens vocatur, quia videlicet, licet vera qualitas sit, nihilominus solum apparenter habet speciem coloris. Quam diuisionem coloris docuit Aristot. *lib. de coloribus Meteor. cap.* 4. cuius mentem illustrat. D. Thom. *lect.* 14. sæpe, cit. his verbis: *Dicit, quod oportet existimare eandem naturam esse, quæ est susceptiua coloris in corporibus, quæ colorantur exterius, id est non per proprium, sed ex aliquo exteriori; & in his, quæ colorantur interius per proprium colorem. Illa autem, quæ colorantur ab exteriori sunt perspicua, sicut aër, & aqua: & hoc manifestat per colorem, qui apparet in aurora ex resplendentia radiorum solis ad aliqua corpora.* Ex quibus liquet ad omnia illa exempla, quæ in contrarium adducuntur: nam omnes illi colores sunt tantum apparentes, & à vera luce indistincti; minime vero pertingunt ad rationem veri coloris, qui ex principiis intraneis permanenter oritur & à luce externa secernitur, vt constat ex dictis. Quia tamen absente luce, nequit verus color nobis apparere; propterea in ordine ad visum perinde se habet, ac si non esset in rebus; licet eis reuera insit; vnde merito dicitur, quod ad præsentiam solis redeunt colores, quia videlicet tunc apparere nobis incipiunt.

QVÆSTIO II.

An Aristoteles rectè definierit colorem?

PRo resolutione quæstionis obserua colorem bifariam accipi: primo secundum suam entitatem, & quatenus præscindit ab ordine ad visum: secundo quatenus dicit quandam proprietatem, videlicet esse visibilem: vel aliis terminis, potest sumi tum in esse rei, cum in esse obiecti. Aristot. ergo, vt ipsum vndequaque explicaret, duas proposuit definitiones, quarum vna conuenit colori secundum entitatem sumpto; altera verò competit illi secundum visibilitatem accepto. Prima ita se habet *Color est extremitas perspicui in corpore terminato.* Secunda vero sic: *Color est motiuus diaphani secundum actum.* De quibus inquirimus, an sint legitimæ.

§. I.

Explicatur prima definitio, & ab impugnationibus vindicatur.

13 DIcendum est primo Aristotelem rectè explicuisse entitatem, seu naturam coloris per illam definitionem: *Color est extremitas perspicui in corpore terminato.* Hanc conclusionem defendunt com

communiter Philosophi, quos proinde non oportet in particulari referre. Probatur ratione: quia accidens in abstracto recte definitur per rationem superiorem loco generis, & proprium subiectum loco differentiæ, vt constat ex dictis *in Log. disp. 5. quæst. 1.* sed hæc obseruantur in definitione, qua Aristot. coloris in abstracto accepti naturam explicuit: ergo prædicta definitio est legitima. Maior, & consequentia patet. Minor autem suadetur explicando definitionem: etenim ly *extremitas* significat rationem superiorem ad omnes extremitates qualitatiuas, siue illæ sint colores, siue qualitates aliæ, vt mollitudo, & duricies.

Pro quo obserua, quod sicut in genere substantiæ illud, quod supponit formam, & illam in prædicto genere complet, appellatur extremitas, seu terminus substantiæ, vti se habet subsistentia: & quemadmodum in genere quantitatis id, quod supponit corpus, & illud in linea quantitatiua complet, dicitur terminus, siue extremitas quantitatis quo pacto se habent superficies, & punctum: ita in genere qualitatis, id quod supponit alias qualitates, illasque complet in genere qualitatiuo, merito vocatur *extremitas*. Vnde quia color resultat ex aliis qualitatibus, ipsasque complet, ac perficit modo statim declarando: propterea extremitas appellatur, conuenitque in ratione extremitatis cum nonnullis aliis qualitatibus, tanquam in ratione sibi, & illis essentialiter superiori. Quæ doctrina est D. Thom. de sensu, & sensato *lect. 6.* vbi duo loca Philosophi, quæ videntur inter se contraria optime componit his verbis: *Quod autem dicit colorem esse extremitatem perspicui, non repugnat ei, quod dixerat supra colorem non esse extremitatem: illud enim dixit de extremitate corporis; hoc autem de extremitate perspicui, quod nominat corporis qualitatem, sicut calidum, & album. Et ideo color non est in genere quantitatis, sicut superficies, quæ est extremum corporis; sed est in genere qualitatis, sicut & perspicuitas: quia extremum, & id, cuius est extremum, vnius generis sunt.*

14 Deinde proprium susceptiuum coloris designatur per subsequentes particulas, *perspicui in corpore terminato.* Quas, vt probe calleas, animaduerte primo colorem esse qualitatem secundam causatam ex permixtione primarum, vt cum Aristot. docet D. Thom. *in 2. d. 28. quæst. 2. art. 3. ad 2.* Et ratio est: quia nec corpora cælestia, nec elementa in sua puritate permanentia vllum colorem habent, vt experientia liquet: ergo signum manifestum est colorem petere mixtionem primarum qualitatum, & ex illa resultare, quæ quia non inuenitur nec in cœlis, nec in puris elementis; propterea sunt expertia lucis.

Secundò nota susceptiuum coloris debere esse perspicuum, diaphanum, vt docent Arist. *lib. de sensu, & sens.* & D. Th. *ibidem lect. 6.* Nam omnis color, vt supra *n. 11.* vidimus postulat ad sui constitutionem aliquod participium lucis: hæc autem

respicit vt proprium susceptiuum perspicuum, siue diaphanum, vt constat ex illius definitione, quam supra explicuimus: vnde necessum est, quod subiectum coloris sit etiam perspicuum. Quod expressit Philosophus loco nuper citato illis verbis: *Eandem naturam oportet existimare, & eam, quæ exterius colloratur*, nempe à luce, *& hanc, quæ interius*, videlicet à colore. Porro inter perspicua maxima est latitudo: alia enim habent lucem in sua plenitudine, vt sol: alia illam participant cum excellentia, vt ignis: alia deficienter, quæ solum lucent in nocte, vt oculi aliquorum animalium, & putredines quercuum: alia quæ non habent lumen in actu, sed tamen sunt secundum se tota susceptiua illius, vt corpora cœlestia, aër, aqua, chrystallus, & alia huiusmodi: alia denique, quæ propter grossitiem terream nequeunt secundum se tota illuminari, sed solùm secundum superficiem externam lumine perfunduntur, cuiusmodi sunt ligna, &c.

Tertio obserua, quod duplex est perspicuum, terminatum scilicet, & interminatum: non quia sit aliquod perspicuum carens terminis quantitatiuis, & actu infinitum: hoc enim est impossibile vt ostendimus *in libr. Physicorum*, sed quia aliqua perspicua terminantur, id-est, figurantur secundum modum, ac dispositionem corporis in quo recipiuntur, vti se habent aqua, & aër. Alia vero sunt, quæ non suscipiunt prædictam terminationem ab extrinseco, sed illam habent ex se: quo pacto se habent corpora magis solida, vt ligna, & lapides. Corpora autem susceptiua coloris non debent esse perspicua vtcumque; sed perspicua terminata modo explicato: quia, vt experientia liquet, ea, quæ interminata sunt, omni colore carent. Imo vero, vt communiter docent Philosophi, debet prædicta terminatio oriri ex admixtione opaci terrei: quia cùm color, & perspicuitas propria illius debeat causari ex mixtione elementorum, & alia elementa præter terram, interminata sint; necessum est terminationem perspicui ad colorem desideratam ortum præcipue ducere ab opaco terreo.

15 Ex quibus liquidò constat qualiter illa verba *perspicui in corpore terminato*, significent proprium, ac peculiare subiectum coloris, vt color est: nam ly *perspicui* determinat, quod debet habere aliquam diaphaneitatem: & in hoc conuenit subjectum coloris cum subiecto lucis. At *per ly in corpore terminato* designatur dispositio subiecti peculiariter requisita ad colorem: & ideo per eam vnice determinatur, vt sit subiectum coloris, & differt à subjecto proprio lucis, & aliarum qualitatum. Cumque alias illa particula *extremitas* significet rationem colori, & alijs qualitatibus superiorem; sequitur traditam definitionem coloris dari per conceptum sibi communem loco generis, & per subiectum sibi proprium loco differentiæ; & consequenter esse legitimam. ¶ Liquet etiam prædictam definitionem cõuenire colori secundum

dum suam essentiam, siue entitatem accepto. Quod licet negent aliqui recentiores, tradunt tamen nobiliores Philosophi. Cajetanus *lib. 2. cap. 6. text. 69.* Aquarius in scholijs ad Ferrariensem *quæst. 12.* & alijs. Et fundamentum est satis perspicuum: nam color secundum suam essentiam, & entitatem consideratus habet esse qualitatem ortam ex permixtione primarum, & respicientem tanquam proprium susceptiuum perspicuum terminatum, vt constat ex dictis: sed totum hoc explicatur per prædictam definitionem: ergo hæc conuenit colori sumpto secundum essentiam, & entitatem.

16 Sed aduersus definitionem coloris hactenus explicatam, & ea, quæ pro illius illustratione diximus, obijcies primo: nam ignis habet colorem flauum, & tamen non est perspicuum terminatum, nec mixtum; cùm sit verum elementum: ergo non requiritur, quod mixtum, seu perspicuum terminatum sit proprium susceptiuum coloris. ¶ Respondetur negando majorem intellectam de igne pure elementari, seu nullam habente mixtionem cum opaco terreo: hic quippe omni prorsus caret colore. Ille autem, qui flauus apparet, commixtus est opaco terreo, ratione cuius habet rationem corporis terminati, & inducit aliquem colorem.

17 Secundo obijcies: nam pupilla oculi est quoddam mixtum, ac proinde perspicuum terminatum: & tamen nullum habet colorem: ergo perspicuum terminatum non est proprium coloris susceptiuum. Patet consequentia: quia sicut forma non inuenitur absque proprio susceptiuo: ita hoc nequit sine illa inueniri. ¶ Respondetur non quamcumque mixtionem sufficere ad resultantiam coloris; sed aliquam vel aliquas certas: quarum quia nullam habet pupilla, propterea caret omni colore. Nec hinc fit prædictam definitionē esse obscuram, ac proinde vitiosam; siquidem non exponit, quam mixtionem debeat habere perspicuum, quod est proprium coloris susceptiuum. Non inquam hoc sequitur: quoniam ad euitandum prædictum vitium, sufficit, quod juxta communem acceptionem Philosophorum nomine perspicui terminati posiri in definitione coloris intelligatur perspicuum habens mixtionem primarum qualitatum, quæ pro colore desideratur: licet alias perspicuum terminatum latius pater. Quod non semel contingit in alijs definitionibus, vt videre est in definitione hominis, nempe *animal rationale*: nam licet *rationale* sit de se indifferens ad significandum principium vel proximum, vel radicale ratiocinandi; nihilominus secundum communem sapientum acceptionem pro radicali vsurpatur: vnde saluatur illam hominis definitionem esse essentialem.

18 Tertio obijcies: quia si color esset qualitas resultans ex temperamento primarum qualitatum; color, qui est certa, & determinata qualitas, peteret peculiare temperamentum, ex quo solo resultaret: sed hoc est aperte falsum; siquidem eadem secundum speciem albedo

resultat

resultat modo ex prædominio frigoris, vt in niue; & modo ex prædominio caloris, vt in calce: ergo color non resultat ex permixtione primarum qualitatum. ¶ Respondetur concedendo sequelam intellectam de temperamento certo, & determinato formaliter, non vero materialiter. Nec oppositum suadent exempla adducta: quia in permixtione vt ordinata ad colores lux se habet de formali: & aliæ qualitates de materiali: formalizantur enim per lucem. Vnde licet frigus, & calor sint qualitates alias satis differentes; tamen vt formalizant ut per talem, ac tantam lucem, possunt disponere ad eandem albedinem: quod in causa est, vt nix, & calx conueniant in albedine, nempe quia conueniunt in luce; licet in alijs qualitatibus differant.

19 Quarto obijcies: quia si color esset extremitas perspicui, non inueniretur in partibus intimis, & centralibus: sed hoc est aperte falsum; siquidem videmus corpuscula colorata existentia intra vitrum, & partes interiores istius: ergo color non recte definitur. ¶ Respondetur negando sequelam, quæ procedit ex defectu intelligentiæ: non enim color dicitur extremitas, quia sit vltima pars corporis; sed quia est actualitas, & complementum qualitatiuum perspicui. Hoc autem conuenit colori vbicumque sit, siue in partibus extremis, siue intimis; vtrobique enim est extremitas perspicui in genere qualitatis.

Dices huius solutionis doctrinam esse manifeste contrariam D. Thom. *de sensu, & sensato lection. 6.* in fine, vbi inquit: *Sicut autem corpora intrinsecus quidem habent superficiem in potentia, non autem in actu: ita etiam intrinsecus non colorantur in actu, sed in potentia, quæ reducitur ad actum facta corporis diuisione.* Quibus aperte significat colorem solùm in extrema, & extrinseca corporum superficie inueniri in actu. ¶ Respondetur negando antecedens: quia S. Doct. non negat, quod color entitatiuè sumptus inueniatur in partibus intrinsecis corporum; sed solum intendit docere non semper inueniri ibidem, quantum ad munus expeditum immutandi in actu secundo visum, quamvis ibidem virtutem immutatiuam, seu visibilem conseruet. Quod satis euincitur ex textu: nam post verba superius relata immediatè addit: *Illud autem intrinsecum non habet virtutem*, vtique expeditam, *mouendi visum, quod per se colori conuenit.* Vbi satis exprimit se loqui de colore accepto non in esse rei, sed in ratione visibilis proxime, & expedite.

§. II.

Illustratur, & defenditur secunda definitio coloris.

20 Dicendum est secundo Aristot. recte explicuisse colorem in ratione obiecti visibilis per illam definitionem: *Color est motiuum diaphani secundum actum.* Ita D. Thom. *in hoc libr. lection. 15.* Cajetanus *in præsenti cap. 6.* Toletus *qu. 17.* Iandun. *q. 19.* Banez 1. *p.*

qu.

qu. 78. tract. de visu dub. 1. & communiter Philosophi. Fundamentum est: quia prædicta definitio affert id, in quo color conuenit cum alijs accidentibus sensibilibus, & id in quo distinguitur ab eis: ergo constat genere, & differentia; & consequenter erit legitima. Probatur antecedens quoad primam partem: quia tàm colori, quàm alijs sensibilibus proprijs conuenit immutare medium per impressionem specierum intentionalium: sed hoc significatur per ly *motiuum* positum in definitione coloris, vt constat ex communi Philosophorum vsu, & interpretatione: ergo hæc definitio importat, & affert id, in quo color conuenit cum alijs qualitatibus sensibilibus. Secunda etiam antecedentis pars ostenditur, discurrendo per alia sensibilia: nam licet lux sit imutatiua diaphani, tamen non petit, quod medium sit diaphanum in actu; hoc est, illuminatum: color autem petit, quod medium quod immutat præsupponatur habere lucem. Sonus etiam non petit, quod medium habeat lucem; siquidem etiam auditur in tenebris. Idem à fortiori constat de sapore, & qualitatibus tangibilibus, vt ex se liquet. Denique licet odor queat immutare aquam, & aërem, quæ solent esse diaphana in actu; tamen non respicit per se illa, quatenus sunt diaphana in actu; siquidẽ etiã percipitur in tenebris. Color vero per se immutat mediũ, vt actu illuminatũ. Vnde inquit D. Th. *lect. 15.* in fine: *Medium autem quod mouetur ab odore, est aliquid commune aëri, & aquæ, sicut & vtrumque eorum est medium, quod mouetur à colore: sed à colore mouetur vtrumque eorum, secundum quod diaphanum; passio autem communis aëris, & aquæ, secundum quam mouentur ab odore est innominata: non enim mouentur ab odore, secundum quod sunt diaphana.* Ergo in prædicta definitione explicatur id, quod est proprium coloris in ratione sensibilis, & per quod differt ab alijs sensibilibus, nempe esse *motiuum medij* secundum quod est *diaphanum in actu.*

Confirmatur: quoniam sicut color sumptus in esse entis dicit essentialẽ habitudinem ad subiectum, cui inhæret: ita cõsideratus in ratione causæ motiuæ importat respectum ad passum, circa quod agit: sed sumptus in esse rei recte definitur per conceptum superiorem loco generis, & per subiectum proprium loco differentiæ, vt constat ex dictis §. *præced.* ergo consideratus in ratione causæ motiuæ optime definitur per rationem sibi, & alijs causis superiorem, & per proprium passum loco differentiæ. Totum autem hoc seruatur in præsenti definitione: nam ly *motiuum* significat conceptum communem colori, & alijs accidentibus per se sensibilibus; omnia quippe sũt motiua: deinde per ly *diaphani secundũ actum*, significatur passum proprium circa quòd agit color: ergo prædicta coloris definitio est legitima.

21 Sed obijcies primo: omnia obiecta inadæquata alicuius potentiæ debent habere eundem modum immutandi tam medium, quàm potentiam: sed color, & lux sunt obiecta inadæquata potentiæ vi-

ſiuæ ; & lux non eſt motiua diaphani ſecundum actum : ergo nec color. ¶ Confirmatur : quia præcipuum paſſum circa quod agit obiectum ſenſibile, non eſt medium ; ſed poterìa ſenſitiua : ergo color non debuit definiri per eſſe immutatiuum diaphani, ſeu medij ; ſed per eſſe immutatiuum viſus.

Reſpondetur majorem objectionis ſolùm verificari de modo immutandi formali, & communi objectis inadæquatis, in quo omnia conueniunt : cum quo tamen recte ſtat, vt habeant modos immutandi peculiares, diuerſos, ac ſibi proprios : diuerſo enim modo, ſaltem materiali, immutant guſtum dulce, & amarum ; licet ſint obiecta inadæquata eiuſdem guſtus, & conueniant in vna ratione formali : & communi. Quapropter etſi lux, & color habeant eundem modum formalem, & communem immutandi viſum, nempe pure intentionaliter, & abſque vlla immutatione naturali per ſe requiſita, vel ex parte obiecti, vel ex parte medij, vt in alijs ſenſibilibus contingit ; nihilominus queunt habere, & habent modos ſibi particulares, quibus intra illam rationem communem immutent diuerſimode viſum : nam lux non petit, quod diaphanum ſupponatur illuminatum in actu, quod tamen petitur per ſe à colore. ¶ Ad confirmationem reſpondemus colorem hic definiri per id, quod eſt ſibi proprium, quatenus à luce diſtinguitur : hoc autem non ita congruenter exponitur per habitudinem ad viſum, qui etiam à luce immutatur ; quam per reſpectum ad diaphanum ſecundum actum, quod eſt proprium, ac peculiare paſſum coloris, vt talis. Eò præſertim, quod hoc ipſo, quod color definiatur per habitudinem ad medium, quatenus defert ſpecies ad viſum, ſatis etiam exprimitur ordo ad potentiam viſiuam.

22 Obijcies ſecundo : nam etiam lux eſt motiua diaphani ſecundum actum ; alias non poſſet lux procul exiſtens videri per medium illuminatum, quod falſum eſt, atque experientiæ aduerſum : ergo definitio coloris, vtpote conueniens alijs à definito, eſt vitioſa. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam, & ſuppoſitum conſequentis : nam licet lux poſſit immutare medium illuminatum ; nihilominus id non petit per ſe : eò quod medium non immutatur à luce, quia illuminatum, vel quia tenebroſum ; ſed quia præciſe diaphanum : lux enim apparet per medium diaphanum, ſiue illuminatum ſit, ſiue tenebroſum. Senſus autem definitionis coloris eſt, quod color eſt motiuus diaphani ſecundum actum, hoc eſt, quod reſpicit per ſe non quaſecumque diaphanum ; ſed illud ſolùm, quod actu eſt perfuſum luce. Et hoc pacto prædicta definitio nullo modo valet aptari luci ; quippe quæ non reſpicit per ſe diaphanum ſecundum actum, ſed diaphanum abſolutè. Decet autem definitionum ſenſum eſſe formalem.

23 Obijcies tertio : quia motiuum debet eſſe nobilius paſſo ; ſed color non eſt nobilior diaphano, vt illuminato ; ſiquidem diaphanum

in

in esse illuminati constituitur per lucem, quæ nobilior est colore: ergo color non est motiuus diaphani secundum actum, hoc est illuminati. ¶ Respondemus, quod licet ratio per se agendi debeat esse nobilior ratione per se patiendi; nihilominus non oportet, quod ratio per se agendi sit nobilior omni ratione, quæ non est instituta per se primo ad patiendum, seu disponendum mobile, vt patiatur, quamvis aliàs hæc posterior ratio desideretur, & conducat, vt mobile subsit actioni rationis agentis. Et hoc modo comparantur color obiecti, & lux medij: nam lux non deseruit per se primo ad hoc, vt medium disponatur per ipsam ad patiendum à colore: sed instituta est à natura propter alios fines. Conducit tamen, vt colores diffundant suas species per medium, & videantur: quamobrem merito dicitur colorem esse motiuum diaphani secundum actum, seu medij actu illuminati.

24 Obijcies quarto: nam cœlum est aliquando diaphanum secundum actum, & tamen nequit habere rationem passi respectu coloris: hic ergo non est motiuus omnis diaphani secundum actum, & consequenter prædicta definitio est vitiosa. Suadetur minor: quia corpus incorruptibile, quale est cœlum, nequit pati à corpore corruptibili, quale est omne coloratum. ¶ Respondetur negando minorem, cuius probatio non vrget: quoniam licet incorruptibile nequeat à corruptibili pati passione physica, & corruptiua, seu quæ fit cum expulsione alicuius contrarij; bene tamen passione perfectiua, & pure intentionali. Vnde quia diffusio specierum coloris nullam petit alterationem physicam ex parte medij: minime repugnat, quod color, si approximetur cœlo, diffundat propriam speciem per ipsum. Maxime cùm diffusio specierum intentionalium conueniat rebus corruptibilibus, non quatenus corruptibiles sunt; sed quatenus habent aliquod participium substantiarum separatarum: in qua ratione supereminent cœlo secundum se sumpto, vt ex se liquet.

25 Obijcies quinto: nam oculus existens in tenebris potest per medium tenebrosum videre colorem procul existentem, vt experientia suaderi potest: ergo color non mouet præcisè diaphanum illuminatum, sed omne diaphanum: ergo non recte definitur per esse motiuum diaphani secundum actum. ¶ Respondetur, quod si semel color videtur, nequit non medium esse actu illuminatum, saltem imperfecte: vnde semper verificatur colorem esse motiuum diaphani secundum actum. Sed perfecta huius solutionis intelligentia petit discussionem sequentis difficultatis.

QVÆSTIO III.

An vt color videatur ſit neceſſaria lux ex parte ipſius, vel ſolum ex parte medij.

SEnſus quæſtionis eſt, an lumen quod ad videndum colorem requiritur, vt experientia probat, ſe teneat præcisè ex parte medij, per quod ſpecies coloris diffundun-tur: an vero ſe tenere debeat ex parte coloris viſi, ita quod virtutem colori præſtet, ipſumque compleat ad hoc, vt poſſit tàm medium, quàm viſum intentionaliter immutare.

§. I.

Statuitur vera, & communior ſententia.

26 DIcendum eſt lumen non requiri ex parte objecti, ſeu coloris, ſed tantum ex parte medij. Hanc docent Ariſtotel. *in præſenti textu* 67. & D. Thom. ibidem, *lection.* 14. vbi illuſtrans Philoſophi mentem inquit: *Quidam dixerunt, quod lumen neceſſarium eſt ad videndum ex parte ipſius coloris: dicunt enim, quod color non habet virtutem, vt moueat diaphanum per lumen. Sed hoc manifeſte eſt contra id quod Ariſt. hic dicit (& quod habet in ſe cauſam eſſendi viſibile) Vnde ſecundum ſententiam Ariſtot. dicendum eſt, quod lumen eſt neceſſarium ad videndum non ex parte coloris, eo quod faciat colores eſſe in actu, quos quidam tantum dicunt eſſe in potentia, cùm ſunt in tenebris; ſed ex parte diaphani, in quantum facit ipſum eſſe in actu, vt in litera dicitur.* Idem etiam docent *libr. 3. text. 18. lection. 10.* Vnde ipſe Angelic. Doct. *quæſt. vnic. de Anima, art. 4. ad 4.* relaxata opinione Aduerſariorum concludit: *Sed hoc videtur Ariſtot. remouere, cùm dicit in 2. de Anima, quod color eſt per ſe viſibilis, quod non haberet, ſi ſolum ex lumine haberent viſibilitatem. Et ideo alij aliter dicunt, & melius, quod lumen neceſſarium eſt ad videndum, in quantum perficit diaphanum faciens illud eſſe lucidum in actu.* Vnde hanc ſententiam defendunt communiter Thomiſtæ, vt teſtatur Bannez *1.p.q. 79.art.3.dub.vlt.* Quibus etiam conſentiunt Auerroes *comm.67.* Ægidius *ad text. 66. dub. 1.* Toler. *q.17.* Iandun. *q.19.* Rub. de ſenſu viſus *qu. 6.* & alij plures.

Probatur vnico, & ſatis efficaci fundamento, quod ex Ariſt. deſumitur, & poteſt ad hãc formam reduci: quoniã id, quod per ſe, & ab intrinſeco eſt tale, non fit tale per formam extrinſecam: ſed color per ſe, & ab intrinſeco eſt viſibilis: ergo non fit viſibilis per lucem extrinſecam: ergo hæc non ſe tenet ex parte coloris reddens illum viſibilem, ſed ſolum ex parte medij diſponens ipſum vt recipiat ſpecies. Major, & vtraque conſequentia conſtant. Minor, autem eſt certa: quia ſenſibile proprium alicuius ſenſus eſt ſenſibile per ſe, & ab intrinſeco reſpectu talis

talis sensus: at color est sensibile proprium visus: ergo per se, & ab intrinseco est visibilis.

27 Respondebis primo colorem esse quidem per se visibilem, visibilitate solum inchoata, & incompleta: & ideo indigere luce, per quam in sua visibilitate compleatur. ¶ Sed contra: nam in hoc distinguitur sensibile proprium à sensibili communi, quod illud est sensibile per se primo & ratione sui; istud vero solum sentitur per se secundo, seu ratione alterius, per quod completur in ratione visibilis: ergo non cohærent hæc duo, videlicet colorem esse sensibile proprium visus; & tamen compleri per aliquid aliud, vt à visu percipiatur: ergo cum primum illud sit certum apud Philosophos; sequitur hoc posterius esse falsum. Quò respexisse videtur D. Th. *lect. cit.* cum loquens de formis, quæ sunt sensibilia propria inquit: *Omnis forma, in quantum huiusmodi, est principium agendi sibi simile. Vnde cum color sit quædam forma; ex se habet, quod habeat sui similitudinem in medio.*

28 Respondebis secundo ex hac ratione solum concludi, quod lux non se teneat ex parte coloris, vt dans ei visibilitatem, seu virtutem ad agendum intentionaliter; secus vero quod non sit conditio per se petita ex parte coloris, vt in actu secundo immutet medium & visum. ¶ Sed contra: nam hoc ipso, quod virtus actiua sit de se completa in actu primo; non indiget ad agendum alia conditione, nisi applicatione, seu approximatione ad passum: virtus enim in actu primo completa, & alias sufficienter passo applicata agit in actu secundo, nec aliam conditionem expectat, vt ex se liquet: sed lux non desideratur ad hoc, vt color approximetur visui; siquidem absente luce queit color intra actiuitatem sphæræ visus constituì: ergo lux nequit adhuc per modum conditionis desiderari, vt quid se tenens ex parte coloris; sed solum est dispositio se tenens ex parte diaphani, seu medij, illudque disponens, vt possit coloris species recipere.

29 Respondebis tertio concludi quidem ex dictis, quod color habeat absque luce quidquid requiritur ad concursum obiectiuum; minime autem quod lux non requiratur saltem per modum causæ effectiuæ, & adiuuantis influxum obiectiuum coloris: eo plane modo, quo intellectus agens concurrit cum phantasmatibus ad productionem speciei intelligibilis: non enim influit, vt obiectum, sed vt efficiens, & adiuuans effectiue concursum obiectiuum phantasmatis. Et ratio in nostro casu designari potest: nam cum lux sit primum, ac perfectissimum in genere visibilium, debet præstare concursum omnibus aliis visibilibus ad hoc, vt ipsa videantur. Et ideo quando producitur species coloris, principium eius adæquatum importabit duplicem influxum partialem: alium scilicet obiectiuum, qui tribuatur colori; & alium effectiuum, qui tribuatur luci.

Cæterum neque hæc responsio satisfacit, sed pluribus impugnationibus obnoxia est. Primo: quia obiectum ex se fœcundum, & completum in linea obiecti non indiget

concurſus alterius cauſæ effectiuæ, vt ſuam ſpeciem producat: ſed hoc ipſo, quod color ſit ſenſibile propriũ reſpectu potentiæ viſiuæ debet eſſe ex ſe obiectum fœcundum, & completum in linea obiecti; ſiquidem in tali linea non eſt tale per aliud, ſed per ſe ipſum: ergo color non indiget concurſu effectiuo lucis, vt ſuam ſpeciem producat. Major conſtat tum inductione facta in omnibus ſenſibilibus propriis aliorum ſenſuum, quæ ideo ad productionem ſpecierum non indigent concurſu effectiuo alterius cauſæ adiuuantis, quia ex ſe habent virtutem fœcundam, & completam in linea obiecti. Tum ratione: quia ſpecies eſt naturalis imago obiecti in eſſe obiecti, ſicut filius in eſſe phyſico eſt naturalis imago patris: ergo ſicut filius non requirit aliquam aliam cauſam particularem effectiuam ad ſui productionem, niſi patrem: ita ſpecies non petit aliam cauſam effectiuam ſpecialem niſi obiectum completum, & fœcundum in eſſe obiecti.

Secundo: nam ſi ideo eſt neceſſaria lux ex parte coloris, vt hic videatur, quia lux eſt primum, ac præcipuum in genere viſibilium; ſequitur concurſum lucis eſſe non ſolum effectiuum, ſed etiam obiectiuum: quandoquidem viſibile, in quantum tale, pertinet per ſe ad lineam obiecti viſus. Ergo cum non ſit neceſſarius influxus obiectiuus lucis ad viſionem coloris, vt hæc reſponſio admittit; ſequitur quod ratio in illa aſſignata non conuincat eſſe neceſſarium concurſum lucis effectiuum. ¶ Ad hæc: lux, & color non habent connexionem vel dependentiam in eſſe rei; ſed ad ſummum in eſſe obiecti: ergo ſi color in productione ſpeciei non dependet à luce in genere obiecti, ſeu tanquam à concurrente obiectiuè; multo minus dependebit ab ea in eſſe rei, ſeu tanquam ab influente effectiuè. Exemplum autem intellectus agentis nihil conuincit: nam phantaſmata; ſiue obiecta ſenſibilia ſunt ob ſuam materialitatem improportionata intellectui: & ideo requiritur intellectus agens, qui illorum obiectorum ſpecies à materialitate denudet. Color autem eſt obiectum proportionatum viſui: vnde non indiget adiuuari per lucem.

§. II.

Reſpondetur argumentis contrariæ opinionis.

30 OPpoſitam ſententiam aſſerentem lumen requiri ex parte coloris, vt actu videatur, defendunt Auempace, & Auicenna, vt refert Ferrar. *in præſ. quæſt.* 15. Palacios, Petrus Martinez, Sebaſtianus Perez, & Conimbr. *in hoc lib. cap.* 7. & alij. Probatur primo ex D. Thom. *in* 2. *diſt.* 13. *quæſt.* 3. *art.* 3. *in corpore*, vbi inquit. *Per lucem videtur color: quia facit colorem eſſe viſibilem in actu.* Et eandem ſententiam habet 1. *p. q.* 67. *art.* 3. *ad* 3. ¶ Confirmatur ex eodem S. Doct. *quæſt.* 13. *de verit. art.* 7. vbi ait: *In obiecto viſus color eſt quaſi materiale; lux vero quaſi formale: quia per eam efficitur color viſibilis.*

visibilis in actu. Quod etiam repetit *in* 1. *dist.* 45. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. & 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. & 1. *contra gentes cap.* 6. & alibi sæpe.

Ad has auctoritates non aptiori via possumus occurrere, quam verbis S. Doct. 3. *de Anima. text.* 18. *lect.* 10. vbi hæc habet: *Dicit*, nempe Aristot. *quod est habitus vt lumen quod quodammodo facit colores existentes in potentia esse actu colores. Et dicit quodammodo: quia supra ostensum est, quod color secundum se est visibilis: hoc autem solum modo facit lumen esse actu colorem, in quantum diaphanum facit esse in actu, vt moueri possit à colore, & sic color videatur.* Vnde eodem modo interpretamur S. Doct. in omnibus testimoniis relatis, quo ipse Philosophum interpretatus est, quod videlicet eatenus dicatur lux facere colores visibiles, quatenus reddit diaphanum vltimo dispositum ad recipiendas species coloris, vt hic in actu secundo videatur. Hoc autem non est reddere colorem formaliter visibilem in se, & quoad esse; sed solum dispositiue, & quoad apparere: ad quod minime requiritur, quod lux se teneat ex parte ipsius coloris, sed sufficit, quod se teneat ex parte medij. Quia vero in compositione, & permixtione primarum qualitatum ex qua resultat color, qualitates mixtorum se habent vt materia, lumen autem per modum formæ comparatiue ad prædictas qualitates: propterea dicitur, quod lux se habet de formali in obiecto visus, nempe in colore: sed illa non est lux formalis, sed lux virtualis, aut virtualiter in colore relicta ex mixtione præcedenti.

Quibus omnibus addendum est S. Doct. in omnibus fere testimoniis relatis asserere quod lumen facit colores actu visibiles, non determinando hanc quæstionem sed solum vt explicet alias quæstiones Theologicas: quoniam vtraque sententia, vt ipse inquit 1. *p. quæst.* 79. *art.* 3. *ad* 2. à diuersis Auctoribus probabiliter defenditur. Quamobrem licet S. Doct. nostram reuera teneat, vt constat ex his, quæ pro conclusione adduximus, in quibus ex professo tractat præsentem quæstionem: potuit tamen citra vitium contrariam sententiam in exemplum non semel adducere: quia vt ipse tradit 1. *p. quæst.* 67. *art.* 2. & communiter admittitur, vt inducatur aliquid in exemplum, sufficit vti sententia probabili aliorum; etsi alias contraria, & falsa.

31 Secundo arguitur ratione, quam pro hac sententia refert D. Thom. *in præf. lect.* 14 his verbis: *Quia oportet, cum visus sit vnus, quod visibile non sit nisi per rationem vnam; quod non esset, si color esset per se visibilis, non per virtutem luminis; & iterum lumen esset per se visibile.*

Respondetur cum eodem S. Doct. ibidem *quod cum lux sit quodammodo substantia coloris, ad eandem naturam reducitur omne visibile; nec oportet quod color per lumen extrinsecum fiat actu visibilis.* Itaque cum color sit virtualiter lux, vt pote resultans ex permixtione lucis cum qualitatibus elementariis, cons-

visibilitas

visibilitas reducitur ad vnam communem radicem, nempe ad lucem: quapropter non desideratur, nisi vnica potentia visiua. Vnde ex vi huius argumenti non concluditur esse necessarium, quod color fiat actu visibilis per lucem sibi formaliter superaddiram, à se distinctam, & ex parte sui se tenentem. Addimus etiam cum eodem S. Doct. 1. *p. quæst.* 78. *art.* 3. lucem, & colorem conuenire in vna, & eadem ratione formali *sub qua* immutandi visum: quod sufficit, vt non specificent potentias diuersas; licet alias distinguantur materialiter sub illa ratione, quatenus sunt obiecta inadæquata, & habent modos materialiter diuersos. Quod exemplo albi & nigri explicari potest: diuerso enim modo inadæquato, & materiali immutant visum, nempe disgregando: & congregando: & tamen specificant eandem potentiam quia cadunt sub vna, & eadem ratione formali *sub qua*.

32 Tertio arguitur: quia color non videtur in abstracto, sed vt existens in suo susceptiuo, quod est perspicuum terminatum, vt constat ex dictis *quæst. præced.* sed lux est actus proprius perspicui constituens ipsum in esse talis: ergo lux se tenet ex parte susceptiui coloris, ac proinde ex parte ipsius coloris vt existentis in suo susceptiuo, sine qua proinde non poterit videri.

Respondetur negando consequentiam: quoniam color non petit, quod eius susceptiuum sit perspicuum in actu, siue illuminatum; ac proinde nec ex hoc capite petit lucem se tenentem ex parte ipsius. Cum quo tamen stat, quod possit susceptiuum coloris habere alias lucem: sed hoc non desideratur per se, vt color fiat in actu secundo visibilis.

33 Quarto arguitur: nam si color ratione sui, & non per virtutem lucis posset producere species intentionales in medio; posset etiam per suam virtutem medium illuminare: consequens est absurdum; cum illuminare sit proprium solius lucis: ergo color nequit producere suam speciem nisi adiuuetur per lucem. Sequela ostenditur: quia ad idem agens pertinet producere formam, & disponere passum, vt formam recipiat: sed medium esse illuminatum est dispositio requisita, vt recipiat speciem coloris: ergo si color posset absque adiutorio, & concursu lucis producere suam speciem, posset etiam medium illuminare.

Respondetur negando sequelam: & ad illius ptobationem respondemus negando majorem vniuersaliter intellectam: solum enim verificatur in agentibus perfectæ virtutis. In illis enim, quæ virtutem imperfectam habent: contingit non raro, vt subiectum debeat supponi alias dispositum ad hoc, quod propriam actionem exerceant, formamque producant. Et huius posterioris generis est color: quocirca non oportet, quod producat dispositionem requisitam pro suo effectu nempe lucem. Quam doctrinam tradit D. Thom. *lect.* 14. sæpe cit. his verbis: *Forma, quæ est perfectæ virtutis in agendo, non solum potest inducere*

inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, vt sit proprium eius susceptiuum: quod quidem non potest facere, cum fuerit imperfectæ virtutis. Dicendum est igitur, quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu luminis: nam color nihil aliud est, quam lux quodammodo obscurata ex admixtione corporis opaci. Vnde non habet virtutem, vt faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptiuum coloris: quod tamen potest facere lux pura.

34 Vltimo arguitur quia oculus in obscuro existens videt colorem procul existentem, si luce perfundatur: è contra vero color in tenebris existens nequit videri; quantumvis oculus habeat lucem, & medium sit illuminatum: ergo signum est lucem magis se tenere ex parte coloris, quam ex parte medij ad hoc, vt color videatur. ¶ Confirmatur: quia quantò color magis illuminatur, eò perfectius videtur, licet medium se habeat eodem modo: hoc autem non contingeret si solum esset necessaria lux ex parte medij: ergo non se tenet ex parte illius, sed ex parte coloris.

Ad argumentum respondet D. Thom. *quæst. vnic. de Anima art. 4. ad 4.* his verbis: *Nec obstat, quod ab eo, qui est in tenebris videntur ea, quæ sunt in luce, & non è conuerso: hoc enim accidit ex eo, quod oportet illuminari diaphanum, quod circunstat rem visibilem vt recipiat speciem: quæ vsque ad hoc visibilis est, quò vsque porrigitur actus luminis illuminantis diaphanum, licet de propinquo perfectius illuminet, & à longinquo magis debilitet.* Vnde quoties color illuminatur, toties lumen diffunditur per medium: & quo major est illuminatio coloris, eò etiam est major illuminatio medij: & quod tunc color melius videatur, non oritur ex eo, quod major lux se teneat ex parte obiecti, sed quia medium per majorem illuminationem melius disponitur ad recipiendas coloris species. Per quod etiam soluitur confirmatio.

QVÆSTIO IV.

Quid sit subiectum potentiæ visiuæ?

34 POst notitiam obiecti visus, restat, vt illius subiectum inuestigemus. Ad quod determinandum opus omnino est mirabilem oculorum dispositionem, ac organizationem præmittere. Pro quo supponendum est oculum esse quandam substantiam quasi circularem, non quidem perfecte sed ad modum oui. In centro autem illius est quidam humor transparens, & crystallinus, qui dicitur pupilla, & habet figuram similem lenticulæ. Post hunc humorem sequitur quædam tunica, quæ ipsum circundat, & conseruat, appellaturque specularis: quia apta est ad speculandum, seu videndum. Deinde sequitur

alius humor qui vitreus vocatur ob similitudinem in splendore, & mollitudine cum massa vitrea, cum decoquitur in fornace. Et humor hic ita complectitur humorem crystallinum, seu pupillam, vt tamen in parte anteriori relinquat quoddam foramen circulare, per quod apparet humor crystallinus. Humorem autem vitreum ambit alia tunica, quæ reticularis vocatur: quia venis, & arteriis ad modum retis inserta, & compacta est: definitque ad illam partem, per quam apparet pupilla. Ad tunicam hanc reticularem sequitur alia quæ nuncupatur vuea, quippe quæ similis est vuæ folliculo: & hæc in diuersis oculis diuersos sortitur colores: quod in causa est, vt quidam oculi sint nigri alij virides, alij cerulei &c. Huic autem tunicæ alia contigua est, alia, quæ dicitur cornea ob similitudinem, quam in transparentia, & in duritie habet cum lamina cornea, & hæc cingit ex omni parte pupillam, vt pote quæ ad illius conseruationem, & propugnaculum à natura instituta est: Sequitur post hæc tertius humor dictus aqueus, vel albugineus, quia albo oui assimilatur, deseruitque ad humectandum, & fouendum humorem crystallinum, & ad replendam oculi concauitatem. Tandem succedit vltima tunica, quæ omnia prædicta circundat, relinquendo tamen foramen per quod pupilla appareat, atque recipiat, species, quæ tunica fortis est, vocaturque adnata, seu adhærens, & deriuatur ab alia tunica caluariam ambiente, quæ dicitur pericranium. Et huiusmodi tunica adnata est, quæ vltimo format integrum oculum, in sua sede reponit, atque suo calore ita partes internas fouet, vt minime congelentur. Ex quibus habemus dari in oculo tres humores, nempe crystalinum, vitreum, & albugineum: & etiam dari quinque tunicas, nimirum specularem, reticularem, vueam, corneam, & adnatam.

Deinde supponendum est vnum, & alterum oculum pendere è quodam neruo à cerebro descendente, qui diuiditur in duos ramos protractos vsque ad pupillas. Vocantur autem huiusmodi ramiculi optici, seu visorij, & induti sunt duabus tunicellis, quarum interior est tenuis, exterior vero aliquantulum dura. Porrò quiuis oculus ligatus est septem musculis, seu ligamentis facile mobilibus: quibus & oculus sustinetur, & facile in varias partes hinc inde moueri potest. Eæ sunt partes, quæ principaliter pertinent ad compositionem, seu organizationem oculorum. Vnde quod inuestigamus in præsenti est: an potentia visiua subiectetur in omnibus simul, an vero in aliqua determinata, & quænam sit?

§. I.

§. I.

Asseritur sententia Philosophi, & D. Thomæ.

35 Dicendum est potentiam visiuam subiectari tum in pupillis, tum in membris opticis, & præcipue in ea parte, in qua prædicti nerui coniunguntur, & radicantur. Hæc conclusio quoad primam partem, nempe pupillas, communis est inter Philosophos, & Medicos: quoad posteriorem vero traditur ab Aristot. *lib. de sensu, & sensib.* vbi D. Thom. *lect. 5.* ipsis mentem illustrat his verbis: *Sensitiuum animæ dicitur potentia sensitiua, quæ quia est principium sensibilis operationis animæ, quæ per corpus exercetur, oportet esse in aliqua determinata parte corporis: & sic principium visionis est interius iuxta cerebrum vbi coniunguntur duo nerui ex oculis procedentes.* Idem expresse docet *lib. de sensu, & sensat.* vbi D. Thom. *lect. vltim.* & iterum ipse Angelic. Doct. *opusc. 43. cap. 3.* vbi ait: *Patet, quod organum proximum, & extrinsecum visus sunt oculi; primum autem, & intrinsecum sunt nerui visuales.* Eandem veritatem amplectuntur Auicenna *6. natur. part. 3. cap. 8.* B. Albert. *2. de Anima tract. 13. tract. 14.* Vitellius *lib. 3.* Theorem. 2. Matthæus Fernandez *lib. de facultatib. tract. 1. q. 4. ad 4.* Bañez *1. p. q. 78. art. 3. tract. de visu dub. 2.* & alij plures.

Probatur ratione: quoniam vnica, & eadem potentia debet habere vnum, & idem subiectum adæquatum: sed in animali non datur nisi vnica potentia visiua; quandoquidem sicut omnia visibilia cadunt sub vna, & eadem ratione formali *sub qua*, ita debent attingi per vnicam, & eandem potentiam, & proinde superfluunt plures, sicut superfluunt plures Philosophiæ in eodem intellectu: ergo subiectum proximum, & adæquatum potentiæ visiuæ est vnicum & idem: at sic est, quod duæ pupillæ nequeunt constituere vnicum, & idem subiectum, siue organum, nisi quatenus vniuntur cum neruis opticis & hi coniunguntur in vno, & eodem principio; cum hoc solo pacto possit dici, quod duæ pupillæ sunt vnum, & idem subiectum: ergo potentia visiua habet pro subiecto proximo adæquato non solum pupillas, sed etiam neruos opticos, & præcipuè in ea parte, in qua coniunguntur, & à qua incipiunt ramificari. Patet hæc posterior consequentiæ pars: nam quoties aliqua operantur, quatenus sunt vnum, vel vniuntur in aliquo vno, ibi præcipuè eorum operatio viget, vbi sunt vnum.

Confirmatur ab experientia: quoniam si abscindantur nerui optici, quibus pupillæ cum illa communi radice vniuntur vt contingere solet, cum quis vulneratur circa tempora; statim fiunt tenebræ, & cessat visio: ergo signum est potentiam visiuam non solum in pupillis, sed etiam illo communi principio residere; alias non esset ratio quare stante illæsa pupilla, impediretur visio. Quæ coniectura desumitur ex Arist.

loco supra cit. de sens. & sensib. vbi D. Thom. *lect.* 5. *Manifestat* (inquit) *quod dixerat per signum, quod accidit in quibusdam, qui in pugnis circa tempora vulnerantur, scissis enim poris, qui pupillam continuant visino principio, subito tenebræ fiunt per visus amissionem, ac si lucerna extingueretur. Pupilla enim est sicut quædam lampas illuminata ab exteriori lumine: & ideo quando præscinduntur pori continuantes pupillam principio visiuo, non potest lumen huius lampadis vsque ad principium visiuum peruenire, & ideo visus obscuratur.*

§. II.

Refertur contraria sententia.

36 GAlenus *lib.* 1. *de vsu partium cap.* 10. *& lib.* 8. *cap.* 6. Vega in Galen. de locis affectis *lib.* 4. *cap.* 1. Vallesius *lib.* 2. *controuers. cap.* 8. Suarez *tract* 8. *lib.* 3 *cap.* 18. & alij defendunt visum in solo humore crystallino, seu pupilla proxime residere. Quod probant tum ex Aristot. *lib.* 1. *de historia animalium cap.* 9. vbi inquit: *Humor oculi interior, quo videmus pupilla est.* Tum ex D. Thom. *in hoc lib. lect.* 17. vbi loquens de organo visus, solius pupillæ meminit his verbis: *Sicut humidum aqueum, quod est in pupilla caret omni colore, vt possit cognoscere omnium colorum differentias.* Tum ratione: quia cum tota oculorum mirabilis structura instituta sit propter operationem videndi, in ea parte debet residere potentia visiua, quæ omnium perfectissima est: hæc autem perfectio soli pupillæ conuenit; cuius signum est, quod in centro, seu medio omnium constituitur, quasi reliquæ illi deseruiant: ergo potentia visiua residet in sola pupilla tanquam in subiecto proximo adæquato.

Cæterum tam testimonia adducta, quam ratio expensa, & aliæ, quas expendere meditatò omittimus, solum conuincunt potentiam visiuam subiectari in pupilla: minime verò, quod hæc sit subiectum adæquatum illius. Stat enim optime humorem crystallinum esse subiectum, & quidem satis nobile, potentiæ visiuæ; & tamen non esse subiectum adæquatum, & totale: sed ad id etiam concurrere neruos opticos, & eorum proximam, & communem radicem, vt supra ostendimus. Vnde relictis argumentis, quæ possent positiuè suadere visum subiectari in pupilla (solum enim probant primam partem nostræ assertionis) vrgere oportet alia, quæ negent visum in neruis opticis subiectari: sic enim destruetur secunda assertionis pars, ad quam deuoluitur controuersia. Et ideo

37 Arguitur secundo: quoniam organum visus debet esse aqueum, vt docent Aristot. *lib de sensu, & sensib.* & D. Thom. ibid *lect.* 4. sed hoc non conuenit neruis opticis, siquidem, vt communiter docent Medici, omnes nerui sunt terrei: ergo nerui optici non possunt esse organum; seu subiectum visus. ¶ Respondetur cum D. Thom. *lect.* 5. negando minorem: quia licet alij nerui communiter terrestres sint; attamen

attamen nerui visorij, quippe instituti propter visum, & visionem, habent excellentiam humiditatis, & participant naturam aqueam: & valent visum recipere. Ad quod plurimum facit, quod nerui isti, & præcipuè, illa pars, in qua conjunguntur sunt prope cerebrum, subindeque illius qualitates participant: cerebrum autem est humidissimum, ac frigidissimum membrorum, atque ideo habet naturam aqueam: vnde eandem participant prædicti nerui propter confinium.

38 Arguitur tertio: nam ex eo, quod in animali essent duæ potentiæ visiuæ, non sequeretur aliquam earum esse superfluam; quippe cùm earum multiplicitas ad hoc posset conducere, vt pereunte vna per destructionem vnius oculi, quod frequenter accidit, maneret alia: ergo ex hoc capite non requiritur quod organum visus sit vnum. ¶ Confirmatur: nam ideo repugnat v. g. habitum Philosophiæ multiplicari, quia recipitur in vno, & indiuisibili subiecto nempe in intellectu, & accidentia solo numero diuersa nequeunt in eodem prorsus subiecto inueniri: sed potentia visiua recipitur in subiecto extenso, & habente diuersas partes: ergo non repugnat, quod dentur in animali diuersæ potentiæ visiuæ receptæ in duabus pupillis, quatenus plures sunt, & abstrahunt ab vnione in vno communi principio.

Respondetur argumento negando antecedens, quod nulli innitatur verisimili rationi; alias etiam conuinceret dari duplicem sensum gustus, vel odoratus &c. quod est ridiculum. Vnde neutra perfecte suo muneri satisfacit communicando vnicam potentiam visiuam, quāvis hæc postea contingenter pereat per corruptionē organi: vnica enim potentia visiua sufficit per se loquēdo, ad videnda omnia visibilia, & natura non attendit ijs, quæ contingunt per accidens; sed ad illa, quæ sunt per se. ¶ Confirmatio solùm conuincit plures esse rationes, vt repugnet multiplicari habitum Philosophiæ in eodem intellectu, quam potentiam visiuam in animali: minime vero euincit, quod non detur ratio sufficiens ad denegandas multas potentias visiuas satis quippe est pro ratione, quod vnicus visus sufficiat: natura enim abhorret superflua, & compendio studet.

39 Arguitur quarto: quoniam nerui optici instituti sunt à natura ad hoc, vt per illos descendant ad pupillam spiritus animales pro visione requisiti: quod tradit Aristot. *sect.* 31. Problem. *quæst.* 4. & ratione, atque experientia suadetur: nam ideo clauso vno oculo, intensius videmus per alium, quia spiritus animales à cerebro descēdentes non diuidūtur inter duos oculos, sed dumtaxat vni, nempe aperto, communicantur: ergo prædicti nerui non deseruiunt ad hoc, vt species intentionales peruadant vsque ad illam radicē, in qua diximus copulari: non enim apparet, qualiter valeant muneribus adeo diuersis deseruire.

Respondetur negando consequē-

tiam quia prædicti nerui vtrique muneri sunt apti, & disposiți à natura: nam qua ratione habent quosdam meatus deseruiunt vt Spiritus animales descendant à cerebro vsque ad oculos; & qua ratione habent alias partes solidas, & perspicuas, conducunt ad hoc vt species intentionales ascendant ab oculis vsque ad illam communem radicem, in qua conjunguntur, & vbi præcipuè residet virtus ad videndum.

40 Arguitur quinto: quia tunica vuea cingit totum humorem crystallinum, nec relinquit aliquod foramen nisi in parte anteriori, per quam conspicimus: ergo si species visibiles non sisterent in pupilla, sed migrarent ad nerues opticos, transirent vtique per tunicam vueam: ex quo vlterius fieret, quod omnia apparerent sub colore illius tunicæ; sicut cùm quis recipit species per vitreum viride, omnia apparent viridia. Consequens est contra manifestam experientiam: ergo species visibiles non transeunt vsque ad nerues opticos; sed sistunt in pupillis: ac proinde istæ erunt subiectum proximum adæquatum tùm specierum, tùm visionis, atque potentiæ visiuæ.

Respondetur nerues visorios se habere ad instar cuiusdam fistulæ, & ita in oculis radicari, vt pertingant vsque ad ipsas pupillas: hoc quippe est necessarium, tùm vt spiritus animales descendant vsque ad humorem crystallinum, tùm vt species visibiles ascendant vsque ad nerues. Vnde tunica vuea non mediat inter pupillam, & nerues; sed solum circundat superficiem conuexam istorum. Quamobrem sicut spiritus animales descendunt per prædictos nerues tanquam per fistulam pertingentem vsque ad humorem crystallinum, quin transeant per tunicam vueam: ita & ob eandem rationem queunt species visibiles ascendere per ipsos nerues, quin peruadant illam tunicam, ac proinde quin illius colore inficiantur.

41 Vltimo, & vrgentius arguitur: quia si species non sisterent in pupilla, sed vlterius peruaderent; jam pupilla non haberet rationem organi, sed solius medij respectu potentiæ visiuæ: consequens est absurdum: ergo dicendum est species sistere & visionem fieri in sola pupilla. Sequela ostenditur: nam vt pupilla sit organum videndi debet retinere speciem, per quam fit visio; & consequenter habere talem dispositionem, vt impediat transitum specierum: ergo si non impedit, sed vlterius progredi permittit; non erit organum, sed purum medium respectu potentiæ visiuæ. ¶ Confirmatur, & declaratur exemplo: nam speculum artificiale debet habere aliquod corpus, v.g. aliquid plumbi, ratione cuius, & impediat transitum specierum, & illas possit ad oculos reflectere: sed pupilla est quoddam speculum naturale; siquidem in ea refranguntur species, & reflectuntur ad oculos alterius: quod in causa est, vt possit homo se in pupilla alterius conspicere: ergo pupilla debet termi-

natura

nari à parte posteriori per aliquid densum, & opacum, quod impediat transitum specierum: & consequenter ipsa dumtaxat erit subiectum adæquatum specierum visibilium, atque visionis, nec non & potentiæ visiuæ.

Respondetur argumento negando sequelam, quæ probatione inducta minime conuincitur: quoniam nulla est contradictio, in eo, quod pupilla habeat simul dispositiones tùm vt recipiat in se species, medijs quibus concurrat ad visionem: tùm vt media ipsa species peruadant vsque ad neruos visorios. Cùm enim nec sola pupilla, nec solus neruus sit subiectum adæquatum potentiæ visiuæ, sed aggregatum ex vtroque, non oportet, quod species visibiles sint in sola pupilla, vel in solis neruis: sed opus est, quod ita afficiant pupillam, vt simul etiam neruos afficiant: ac proinde nec dumtaxat remanent in pupilla, nec dumtaxat transeunt ad neruos; sed in vtroque subiecto partiali vt affectæ quantitate partialiter recipiuntur. Quod etiam in alijs sensibus videre licet: non enim species deseruiens tactui remanet præcisè in prima parte organi, nec præcisè transit ad secundam: sed & partialiter remanet, & partialiter transit, vt vtramque partem valeat afficere. Et ideo negandum est quod pupilla in nostra sententia habeat puram rationem medij. ¶ Ex quibus etiam patet ad confirmationem: nam licet pupilla non impediat simpliciter transitum specierum; habet tamen in fundo aliquam spissitudinem, ratione cuius valet refrangere, ac reflectere vtcumque species: quamvis non ita perfecte refrangat, ac speculum artificiale ob defectum æqualis spissitudinis, ac duritiei.

DISPV

DISPVTATIO X.

De auditu.

QVIA, vt testatur D. Thomas *in hoc secundo libro textu decimo quarto, visus est altior inter sensus, & auditus propinquior ei, & alij sensus magis remoti*: meritò post disputationem de visu, immediatè disputationem de auditu instituimus.

QVÆSTIO I.

Quid sit sonus.

SOnum esse experientia audiendi conuincit: vnde relicta *quæstione an est*, à *quod quid est soni* tractatum auspicamur. A cuius notitia disputationem de auditu recto jure inchoamus: quia sonus est obiectum auditus, & notitia cuiusuis potentiæ ab illius obiecto desumitur.

§. vnicus.

Explicatur, & defenditur soni definitio.

1 DIcendum est soni naturam ita posse describi: *Sonus est qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonororum, & resilientia medij.* Desumitur hæc descriptio ex Aristotele *in hoc libro cap.* 8. *text.* 85. admittiturque communiter à Philosophis: & merito quidem, quia satis explicat soni naturam, vt apparebit explicando singulas illius particulas.

Dicitur in primis, quod sonus est *qualitas*, vt significetur conuenientia illius cum alijs qualitatibus, & differentia eiusdem à motu qui in collisione corporum, & medij

dij resilientia inuenitur. Additur sensibilis, vt significetur diuersitas soni ab alijs qualitatibus, quæ non sunt sensibiles, & præcipuè ab impulsu impresso corpori percusso, si impulsus qualitas est. Sequitur *ex forti percussione*, per quod tria significantur, quæ debent ad soni generationem concurrere, videlicet percutiens, & percussum, ac medium, quod ob illam percussionem resultat. Hæc autem tria non est necessarium esse tria suppositа; sed sufficit esse partes realiter diuersas, licet eiusdem corporis, aut suppositi, vt constat in agitatione ventorum. Hanc enim distinctionem saltem partialem, & statuit Aristotel. *text.* 78. dicens: *Impossibile est, cum sit vnum fieri sonum*: & ratio perspicua euincit; cùm impossibile sit idem, & secundum idem se realiter percutere. Additur *corporum sonororum*, hoc est potentium sonum efficere. Duæ autem sunt conditiones requisitæ, vt corpora sint sonora: prima, quod sint solida: secunda, quod sint lenia, idest vniformia. Primam statuit Aristot. *cap.* 8. *text.* 78. *&* 79. his verbis. *Sicut autem diximus, non quorumlibet ictus sonus est: nullum enim sonum faciunt pili: sed oportet solidorum percussionem fieri ad se inuicem.* Secundam vero proposuit *text.* 85. vbi illum explicat D. Thom. *lect.* 17. his verbis: *Quia in generatione soni necesse est, quod quædam resilitio fiat ex resistentia percussi; non omne, quod verberat, & verberatur, sonat, sicut dictum est prius, puta si obijciatur acus acui, non fit sonus. Sed ad hoc, quod generetur sonus oportet hoc, quod percutitur, esse regulare, id-est sic dispositum, vt aër subito resiliat, & ex eius resistentia, & ex tali motu generetur sonus.* Tandem additur, *& resilientia medij*: quia sonus generari non potest nisi vltra percutiens, & percussum detur medium aliquod, quo ex vi prædictæ percussionis resiliat, & fugam arripiat. Eò præcipue, quod sonus non subiectatur in corporibus, quæ percutiuntur, sed in medio quod resilit, vt constabit ex dicendis *qu. seq.*

Ex quibus liquet prædictam definitionem esse sufficientem, & legitimam: quandoquidem explicat conceptum communem, in quo sonus conuenit cùm alijs qualitatibus, tùm naturalibus, tùm sensibilibus. Deinde affert propria principia soni, per quæ sufficienter distinguitur ab omni alia qualitate, & illius natura non obscurè declaratur. Oportet tamen aliquas objectiones prædictæ definitioni opponere, vt ex eorũ enodatione illius bonitas amplius innotescat.

2 Objicies ergo primo: nam sonus est quidam motus, vt docet Arist. *in hoc lib. text.* 85. his verbis: *Est enim sonus motus possibilis moueri,* &c. & infra *text.* 90. loquens de voce, quæ peculiaris sonus est, inquit: *Quare percussio respirati aëris ab anima, quæ est in his partibus, ad vocalem arteriam vox est.* Constat autem motum non esse qualitatem: ergo non rectè dicitur in definitione soni, quod est qualitas. ¶ Confirmatur primo:

quia omnis qualitas vel est prima, vel secunda: sed sonus non est qualitas prima, siquidem Aristot. 2. *de Generatione* diuidit adæquatè qualitatem primam in calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem: nec est qualitas secunda; cùm non resultet ex permixtione primarum: ergo sonus non est qualitas. ¶ Confirmatur secundo: quia omnis qualitas vel est permanens, vel successiua: sed sonus nec est qualitas permanens; cùm solùm duret, quandiu durat motus medij resilientis, & eo cessante euanescat, nec est qualitas successiua; siquidem terminat motum; & terminus motus debet habere aliquid consistentiæ, vt mobile quiescat in illo: ergo sonus nullius qualitatis valet rationem habere.

Respondetur ad obiectionem negando antecedens, quod minime suadetur ex verbis Philosophi: quia non reddunt sensum formalem, sed causalem, quasi dicat: *Sonus est quid per motum causatum*, eo plane modo, quo eclipsis solet *interpositio terræ* appellari: quia fit ex interpositione terræ. Et eodem modo exponitur illud, quod adducitur de voce: nam vt optime inquit ibid. D. Thom. *lect.* 18. *Datur hæc definitio per causam: non enim vox est percussio, sed sonus ex percussione causatus.* ¶ Ad primam confirmationem neganda est minor quoad primam partem, quam non euincit auctoritas Aristotel. quia loco ibidem citato solùm enumerauit primas qualitates inter se contrarias, & deseruientes mixtorum generationi. Præter quas certum est dari alias primas qualitates; cùm lux sit qualitas prima, & tamen careat contrario. Vnde non est, cur ex vi prædictæ auctoritatis debeat sonus à numero primarum qualitatum excludi. ¶ Ad secundam respondemus sonum esse qualitatem permanentem, hoc est habentem suas partes simul; cum quo tamen rectè componitur, quod tàm in fieri, quàm in conseruari dependeat à motu locali subiecti; quod in causa est, vt cessante motu euanescat.

3 Obijcies secundo: nam cùm corpus aliquod diuiditur, tunc partes illius non se percutiunt: & tamen ex earum separatione resultat sonus, vt experientia liquet: ergo non est de ratione soni, quod resultet ex forti corporum percussione. ¶ Confirmatur: quia ad generationem soni non sufficit, quod percussio corporum sit fortis; sed etiam desideratur, quod sit velox, vt docet Aristot. text. 79. vbi D. Thom. *lect.* 17. inquit: *Et propter hoc videmus, quod si aliquid tardo motu tangat alterum, non facit sonum; sed si percussio sit fortis, & velox tunc fit sonus.* Cum ergo hoc requisitum in prædicta definitione non explicetur, sequitur illam esse diminutam.

Respondetur obiectioni negando consequentiam: nam licet cùm corpus diuiditur, partes illius non se percutiant; attamen interuenit ibidem alia percussio, ex qua sonus generatur. Quoniam ad replen-

dum

dum vacuum, quod ex diuisione corporis resultat mouentur partes aëris ipsi corpori proximiores; illudque magno impetu, ob naturalem appetitum replendi vacuum, impellunt, & concutiunt: vnde generant illum sonum, quem in diuisione corporum experimur. ¶ Ad confirmationem dicendum est hoc ipso, quod in definitione soni dicatur generari ex forti percussione corporum, satis exprimi illam percussionem esse velocem, quantum desideratur ad soni generationem: quippe cùm hoc ipso, quod corpora fortiter se percutiant, imprimitur aëri resilienti impetus, vt velociter moueatur, & arripiat fugam, & sic sonus generetur.

4 Objicies tertio: quia percussio corporum quantumvis fortis, & velox solùm est motus localis: terminus autem motus localis non est qualitas, sed vbi, vt ex se constat: ergo hæc duo non cohærent, nempe quod sonus sit qualitas, & quod producatur per corporum percussionem. ¶ Respondetur, quod licet in generatione soni interueniat illa fortis percussio; nihilominus sonus non producitur immediatè per ipsam percussionem; sed per quandam alterationem, quæ illam percussionem comitatur: sicut etiam motus cœli requiritur ad productionem plurium effectuum, qui tamen non fiunt immediate per illum motum, sed per alias actiones particulares. Couenienter autem explicatur natura soni per prædictam fortem percussionem: quia hæc est valde nota; alteratio vero ibi interueniens non ita percipitur, sed latet sensum.

5 Objicies quarto: quoniam aër & aqua non sunt corpora solida: & tamen si virga fortiter percutiantur, efficiunt sonum. Similiter si duo lapides non lenes, & vniformes, sed asperi, & habentes partes diuersimode prominentes inuicem percutiantur, efficiunt sonum. Non ergo requiritur ad hoc, vt corpora dicantur sonora, & sonum efficiant, quod sint solida, ac lenia. ¶ Respondetur negando consequentiam, quæ neutro exemplo colligitur: non primo, quia licet aër, & aqua sint corpora mollia; nihilominus non efficiunt sonum, quatenus mollia sunt, sed quatenus habent nonnihil soliditatis, per quam non omnino calidunt percutienti, sed ei æqualiter resistunt: & propter hanc solam resistentiam requiritur, quod corpora sint solida, vt queant sonum generare. Vnde D. Thom. *ad text.* 78. *lect.* 16. postquam docuit corpora mollia, quæ omnino cedunt percutienti, non sonare, statim addidit: *Sed si hujusmodi corpora comprimantur ita vt aliquam duritiem habeant, & resistant percutienti, sequitur sonus, licet sonus surdus.* Nec etiam secundo exemplo conuincitur: quia duo lapides non efficiunt sonum, quatenus asperi simpliciter sunt, sed quatenus habent in nonnullis partibus aliquam vniformitatem. Ratio autem quare aspera, vt talia non generent sonum est: quoniam secundum istam rationem habent partes inæqualiter prominentes, ac proinde

formant quasi foramina quædam in his autem ita recipitur aër, vt non valeat facile, ac velociter resilire: quod tamen desideratur ad soni generationem.

6 Hic autem obserua, quod licet vt corpora sint simpliciter sonora, sufficiant duæ conditiones nuper explicatæ; nihilominus ad bonitatem soni etiam desideratur quod corpora sonora concaua sint. Quod statuit Philosophus *text.* 78. & statim adjecit rationem his verbis: *Concaua autem ex percussione faciunt multos ictus post primum impotentis exire, quod motum.* Quæ sic elucidat D. Thom. *Concaua autem etiam bene percussa reddunt sonum: quia in eis intus aër concluditur: & cùm illud, quod primo motum est, non possit statim exire, percutit alium aërem, & sic ex repercussione fiunt multi ictus, & multiplicatur sonus. Et propter hoc etiam ea, quæ in sui compositione habent aërem bene dispositum, sunt bene sonora, sicut æs, & argentum: in quorum autem compositione aër non bene se habet, non sunt bene sonora sicut plumbum, & alia huiusmodi, quæ sunt magis terrestria.*

QVÆSTIO II.

Vtrum sonus subiectetur in corporibus sonantibus, an vero in solo medio?

HAbemus ex nuper dictis, quænam sit causa effectiua soni: supereſt statuere illius causam materialem. Hæc autem solùm potest esse vel medium resiliens, vel corpora percussa, vt communiter supponunt Philosophi: vnde videndum est, in quonam ex ijs sonus recipiatur.

§. I.

Præfertur sententia Philosophi.

7 DIcendum est sonum non recipi in corporibus se collidentibus, sed in medio resiliēte. Ita Arist. *in hoc lib. text.* 78. D. Th. ibid. *lect.* 16. vbi loquens de sono ait: *In corpore sonante non est nisi in potentia* (nempe actiua) *in medio autem, quod mouetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu: & propter hoc dicitur, quod sonus in actu est medij, & auditus; non autem subiecti sonabilis.* Idem etiam tradunt Auicenna, Simp. Alb. vterque Cajet. Tolet. *in præsenti*, Bañez 1. *p. q.* 78. *artic.* 3. *tract. de Auditu, dub.* 3. Suarez

Suarez *lib. 3. cap. 19.* & communiter Philosophi.

Probatur primo ratione: quia sonus nequit recipi in vnico duntaxat corpore ex se collidentibus; cum non sit ratio, cur potius in vno, quam in alio subiectetur: sed nec valet recipi in vtroque, siquidem sonus est vnicum accidens, quod proinde debet recipi in vnico subiecto: ergo solum restat, quod recipiatur in medio resiliente.

Respondebis, quod quoties duo corpora se collidunt, generantur duo soni realiter distincti, quorum vnus subiectatur in vno corpore, & alius in alio. Prædicti autem soni licet sint duo in esse rei; efficiunt tamen vnum sonum in esse audibilis, & ideo non percipimus diuersitatem inter vtrumque: sicut cum duo canentes emittunt voces æque intensas, non videtur audiri nisi vna vox. ¶ Sed hoc effugium facile præcluditur: quia corpora se collidentia possunt esse valde diuersa in sonoreitate, vt si plumbum, & argentum inuicem percutiantur: ergo si efficerent, & reciperent sonos realiter diuersos non possent prædicti soni esse omnino æquales, & eiusdem rationis; sed essent valde diuersi, sicut ipsa corpora, à quibus, & in quibus sunt; vnde facillimo negotio discernerentur per auditum: consequens est contra omnem experientiam: ergo in percussione duorum corporum non generatur nisi vnicus sonus.

8. Probatur secundo eadem assertio: quoniam corpora se percutientia multoties sunt corpora fixa, & quæ à ventis non circumferuntur, vt cum malleus ferreus cymbalum collidit: at sonus non habet esse fixum, sed agitatur, & circumfertur à ventis: ergo non recipitur in corporibus se collidentibus, sed in medio resiliente. Probatur minor manifesta experientia: nam flante versus nos vento audimus illum sonum, quem alias, vento non flante, minime percipimus; quantumuis corpora sonantia eodem modo se collidant: & permaneant in eodem situ: hoc autem ideo est, quia sonus non habet esse fixum, sed agitatur, ac circumfertur à ventis, atque ita trahitur ad sphæram actiuitatis, intra quam, vento cessante, non foret: ergo &c.

Respondebis prædictam differentiam non contingere ex eo, quod sonus secundum suum esse reale recipiatur in medio, ac diffundatur per ipsum: sed quia ventus versus nos flans trahit species intentionales vsque ad auditum; & in partem contrariam flans impedit prædictas species, ne perueniant vsque ad illum. Vnde solum habetur, quod medium resiliens sit subiectum soni secundum esse intentionale; non autem secundum esse naturale, seu physicum. ¶ Sed contra: nam ideo ventus versus nos, vel in aduersum perflans non iuuat, nec impedit, vt obiecta videamus, quia color non diffunditur per medium secundum suum esse physicum; sed solum secundum species intentionales: ergo si sonus diffunditur præcisè secundum species, & non secundum entitatem; nulla esset ratio, cur audiretur flante vento, & eo cessante non

percipieretur : ratio ergo prædictæ diuersitatis est, quia secundum suum esse entitatiuum est in medio tanquam in subiecto, & simul cum illo à ventis agitatur, & circumfertur.

§. II.

Eneruantur aduersa fundamenta.

9. COntrariam sententiam defendunt Venetus *in præd.* Vega *lib. de arte medendi fol.* 144. & aliqui tam ex antiquis apud Apollinar. *in hoc lib. quæst.* 21. quam ex Recentioribus apud *Rub. in præd.* Probatur primo: quia licet collisio corporum sit æqualis; si tamen ipsa corpora sint diuersa, resultat sonus perfectior, vel imperfectior: ergo signum est corpora collidentia non solum efficere sonum, sed illum in se recipere. Probatur consequentia: nam ideo calor, siue producatur à sole, siue ab igne est eiusdem rationis, quia sol, & ignis solum habent rationem causæ efficientis respectu illius: ergo si pro diuersitate corporum collidentium resultat diuersus sonus; signum est prædicta corpora non præcise efficere, sed etiam recipere sonum.

Respondetur negando consequentiam: quia hoc ipso, quod corpora se collidentia sint diuersæ rationis, potest aër medius diuerso modo refrangi, ac resilire: melius quippe refrangitur, cum corpora lenia se percutiunt, quam cum aspera, vt ex se liquet: vnde ad diuersitatem soni sufficit diuersitas corporum collidentium, quamvis hæc non recipiant ipsum. Ad probationem in contrarium negandum est antecedens: quia calor productus à sole, & calor productus ab igne distinguuntur indiuidualiter, vt constat ex dictis *in lib. Physic. d.* 15. *q.* 4. quocirca necesse est, vt vnus alium excedat in perfectione indiuiduali. Antecedenti tamen omisso, adhuc neganda est consequentia: quia sonus, vt supra vidimus, non est terminus immediatus percussionis corporum; sed cuiusdam alterationis ad percussionẽ subsequutæ. Licet autem percussio duorum corporum possit esse æquè intensa, ac altera percussio aliorum corporum diuersæ rationis; attamen alteratio subsecuta semper est diuersæ rationis iuxta diuersitatem corporum se collidentium, quamobrem infert diuersum sonum.

10 Secundo arguitur: nam major sonus resultat ex leui percussione cymbali, quam ex maiori percussione duorum lignorum: sed hoc non potest prouenire neque ex parte medij; cum vtrobique sit idem aër: neque ex parte ictus, & resilientiæ; siquidem fortiùs, vt supponimus, concutiuntur ligna, quam cymbalum: ergo solum potest oriri diuersitas ex eo, quod sonus cymbali subiectatur in cymbalo, quod est magis sonorum; sonus vero lignorum recipitur in lignis, quæ minus sonora sunt.

Respondetur negando consequentiam: nam vt saluetur prædicta differentia, non est opus asserere, quod sonus recipiatur in corporibus se collidentibus: ex alio quippe

pe capite prouenit, nempe ex diuersa dispositione corporum collidentium. Quoniam corpora concaua, quale est cymbalum, habent aptam dispositionem, & figuram ad hoc vt aër, qui intra ipsorum ambitum continetur, melius quatiatur, ac resiliat. Quapropter licet ex fortiori percussione, sequatur cæteris paribus, major sonus; secus vero, quando cætera non sunt paria, vt in casu argumenti contingit: attendendum enim est non solum ad majorem percussionem, sed etiam ad maiorem virtutem sonatiuam corporis percussi. Et ratio est, quam sæpius insinuauimus: quoniam percussio non est actio immediate causans sonum, neque causa principalis illius; sed ad summum se habet per modum instrumenti subordinati corpori sonanti: perfectior autem virtus, quamvis operetur per æquale instrumentum, valet inæqualem, ac perfectiorem effectum inducere.

11 Tertio arguitur: quia sicut illud est subiectum coloris, quod videtur, saltem per accidens, viso colore; ita subiectum soni debet esse illud, quod per accidens auditur sono audito: sed percepto sono percipiuntur corpora se collidentia; quandoquidem cum audimus sonum, percipimus, an sit à ligno, vel à cymbalo, aut alio corpore: ergo signum est, quod sonus recipitur in corporibus se collidentibus tanquam in proprio subiecto.

Respondetur concedendo majorem intellectam de perceptione soni per auditum, & negando minorem in eodem sensu intellectam. Quod enim cognoscamus aliquem sonum esse à cymbalo, non oritur ex eo, quod auditus adhuc per accidens cymbalum percipiat; sed prædicta apprehensio fit per alium sensum internum habentem medio visu speciem cymbali, & medio auditu speciem soni per cymbalum causati. Huiusmodi autem species excitantur audito sono cymbali: vnde percipere sonum cymbali, vt cymbali, non pertinet ad auditum; sed ad potentiam internam, & magis vniuersalem. Ad auditum autem solum spectat attingere in confuso, & per accidens medium resiliens, in quo sonus subiectatur, vt constat ex dictis: ipsum quippe medium est, quod ratione soni fit sensibile per accidens.

12 Quartò, & vltimò arguitur: nam post percussionem cymbali, remanet tinnitus illius, qui est quidã sonus langueſcens: sed huiusmodi sonus statim cessat, si lingua cymbali manu apprehendatur: ergo prædictus sonus non recipitur in aëre, sed in cymbali lingua quæ fuit corpus percutiens, & etiam collisum. Probatur consequentia: quia si sonus in solo aëre reciperetur; nihil ad illius cessationem faceret apprehensio linguæ cymbali. ¶ Respondetur negando minorem: quia tinnitus ille non cessat statim, ac lingua cymbali manu apprehenditur, sed adhuc durat, saltem per breuem aliquam morulam: nam aër ex percussione linguæ ad cymbalum semel resiliens percutit aliam partem aëris, & ideo potest alium sonum, quamvis satis exiguum generare. Cessante verò motu cymbali,

bali, qui præcipuè faciebat medium resilire, citò etiam cessat motus aëris resilientis, & alias partes concutientis: quod in causa est vt apprehensa lingua cymbali citò deficiat tinnitus, non tamen subito, aut instantanee, vt obiectio falsò supponit.

QVÆSTIO III.

Quodnam medium sit subiectum soni secundum suum esse reale.

HAbemus ex quæstione præcedenti solum corpus medium inter corpora collidentia, & ex illorum percussione resiliens esse subiectum soni: videndum nunc est, quænam corpora sint apta, vt subeant rationem medij, ac subinde subiecti respectu soni. In qua difficultate supponimus aërem esse aptum: corpora verò omninò densa, & dura, vtputa ligna, & lapides, inepta esse. Quæ suppositio, & admittitur communiter à Philosophis, & satis constabit ex dicendis. Dubium autem est, vtrum aqua, & alij liquores, ac cætera corpora facilè resilientia possint esse medium, ac perinde subiectum soni.

§. vnicus.

Stabilitur vera sententia, & respondetur argumentis aduersæ.

13 DIcendum est solum aërem esse medium, & subiectum soni secundum esse naturale sumpti non verò aquam, & liquores, vel alia corpora iis similia. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 79. vbi D. Thom. *lect.* 16. & 17. Idem Philosophus *sect.* 11. *Problem. q.* 49. vbi docet strepitum esse spiritum quemdam hoc est causari ex attritione spiritus. Et 4. *de histor. animal. cap.* 9. vbi statuit omnia animalia, quæ vocem vel strepitum formant, id efficere aëre percusso: quod etiam extendit ad pisces. Vnde hanc sententiam docent Comment. *in præf. cap.* 8. *text.* 76. B. Albert. *tract.* 3. *cap.* 18. Ægid. *comm.* 76. Philop. *comm.* 7. Iabelus *quæst.* 33. Bañez 1. *p. quæst.* 78. *art.* 3. *tract. de auditu dub.* 3. & alij.

Probatur fundamento desumpto ex Aristot. quod potest ad hanc formam reduci: quoniam licet pisces sub aquis natent, & moueantur, nullum tamen causant sonum; statim vero, ac superficiem attingunt, & ad aërem eleuantur, sonum efficiunt, vt experientia conuincit: sed huius differentiæ non potest designari alia congruens ratio, nisi quod aqua non est medium aptum ad recipiendum sonum; quandoquidem cætera requisita ad illius generationem concurrunt: pisces enim

enim habent sufficientem soliditatem ad percutiendam aquam: & hæc etiam in vnum collecta, & condensata non ita facilè cedit percutienti; sed gaudet sufficienti soliditate ad aliqualiter resistendum, vt ipsa etiam experientia suadet: ergo aqua non est medium aptum ad recipiendum sonum. Idemque de aliis liquoribus, & corporibus similibus asserendum est ob æqualitatem rationis.

Respondent Aduersarij pisces non edere sonum, cum sub aquis natant, non quidem ob defectum medij nempe aquæ; sed ob defectum fortis percussionis inter corpora se collidentia: pisces enim diuidunt aquas sine violentia, vel satis leui. Vt autem sonus in aqua generetur, requiritur percussio vehementior, quam in aëre: quia cum aqua sit densior debet dari major violentia, vt ex percussione corporum collidentium possit velociter, ac fortiter resilire. ¶ Sed contra: quia ingentes pisces solent cum ingenti violentia aquas diuidere; maxime quando natant contra impetum ipsius aquæ, & illi se se opponunt: ergo adest tunc violentia seu percussio requisita ad generationem soni non minus, ac cum per terram trahitur ingens corpus, vel magna auis velociter volat: & tamen prædicti pisces non edunt vllum sonum; quandiu sub aquis existunt: ergo quod non efficiant sonum, nequit reduci in defectum fortis percussionis, aut velocis resilientiæ; sed prouenit ex eo, quod aqua non est medium aptum ad formationem, & receptionem soni.

14 Oppositam nihilominus sententiam amplectuntur Themistius, Simplicius, Caiet. Tolet. *in hoc libro ad cap.* 8. Suarez *tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 19. & alij. Quæ potest suaderi primo ex Aristot. *in hoc lib. text.* 79. vbi inquit: *Amplius auditur in aëre, & in aqua, sed minus in aqua.* Vbi D. Thom. hæc habet: *Ostendit: quale sit medium, in quo generatur sonus & dicit quod medium, in quo sonus auditur est aër, & aqua: sed minus auditur in aqua, quam in aëre: Vnde propriissimum medium tam in generatione soni, quam in auditu est aër.* Sentiunt ergo Philosophus, & D. Thom. quod aqua est medium absolutè sufficiens ad receptionem soni licet aër sit aptior ad id præstandum, quam aqua. ¶ Confirmatur ex eodem Aristot. 4. *de histor. animal. cap.* 9. vbi asserit ranas edere sonos sub aquis: sed ibi non adest aliud medium, in quo sonus secundum suum esse reale recipiatur: ergo aqua est medium sufficiens ad receptionem soni sumpti secundum esse naturale. Quod iterum confirmatur ex eo, quod quidam pisces solent branchiis aliqualem sonum formare sub aquis.

Respondetur argumento tam Aristot. quam D. Thom. loqui de medio, & subiecto soni secundum esse intentionale considerati: & ideo loquuntur de eo comparato ad auditum, & auditionem, respectu quorum solum influit per species. Vnde nobis non opponuntur, qui libenter admittimus, aquam esse subiectum specierum audibilium, vt constabit ex dicendis *qu. seq.* ¶ Ad confirmationem neganda est minor:

quia ranæ ſub aquis retinent aliquid aëris, quo indigent ad refrigerationem proprij, etſi parui, caloris. Et in huiuſmodi aëre ſubiectatur eſſe naturale ſoni, quem edunt. Id autem, quod additur de piſcium branchiis formantibus ſonum ſub aquis, negandum prorſus eſt cum B. Alberto, qui naturæ ſecreta ſumma meditatione rimatus fuit; & tamen id non deprehendit.

15 Arguitur ſecundo: quia aqua habet omnes conditiones, quibus gaudet aër, vt ſit ſubiectum ſoni; quamvis non ita perfectè: eſt quippe mollis, diuiſu facilis, & comprimi vehementer, ac reſilire valet: ergo ipſa etiam licet non ita perfectè, erit ſubiectum, & medium ſoni. ¶ Confirmatur primo: quia ſi lebes immittatur in puteum, & pertingat vſque ad fundum illius, ſolemus percipere aliquem ſonum, ex prædicto contactu formatum: ſed ibi non adeſt aliud medium niſi aqua: hæc igitur valet eſſe ſubiectum ſoni. Idemque apparet in remis nauium, qui ſub aquis, quas mouent, ac diuidunt, ſolent efficere ſonum.

Reſpondetur ad argumentum, quod licet aqua habeat omnes illas conditiones, quæ referuntur, nihilominus non habet illas in ea perfectione, quæ deſideratur ad formationem ſoni, quantumuis imperfecti. Nam ad generationem ſoni, etiam imperfecti deſideratur, quod medium inter corpora percutientia ita comprimatur, ac frangatur, vt quaſi ſubito reſiliat: vbi enim non confeſtim, ſed lentè exit, nullus ſonus excitatur. Aqua autem, quia craſa eſt, non ſubitò exilit, ſed paulatim dilabitur: quocirca eſt medium ineptum ad generationem ſoni. ¶ Ad confirmationem dicendum eſt lebetem in puteum immiſſum cauſare ſonum in alique aëre, qui ſimul cum ipſo lebete deſcendit; quem ſatis indicant illæ campanullæ, quæ in ſuperficie ſuperiori aquæ ſtatim apparent. Illud, quod additur de remis, nihil conuincit: quia licet ſecundum vnam ſui partem ſint ſub aquis, at ſecundum aliam contingunt aërem externum, in quo recipitur ſonus editus ex remorum, & aquæ motu.

QVÆSTIO IV.

Quodnam ſit ſubiectum, & medium ſoni conſiderati ſecundum eſſe intentionale?

POſt conſiderationem ſubiecti, in quo eſſe entitatiuum ſoni recipitur meritò inueſtigamus medium, ac ſubiectum, cui ineſt ſecundum ſuum eſſe intentionale, hoc eſt, ſecundum ſpecies audibiles quas immittit vſque ad auditum.

§. vnicus.

§. vnicus.

Resolutio difficultatis.

16 DIcendum est subiectum soni secundum esse intentionale considerati; siue quod idem est, subiectum specierum audibilium esse non solum aërem, sed etiam aquam, & corpora his similia: non vero corpora terrestria, & densissima. Hæc est Aristot. *text.* 79. vbi inquit: *Auditur in aëre, & in aqua, sed minus in aqua.* Quod saltem de esse intentionali soni verificandum est; alias non possemus in aqua audire, vt determinat Philosophus. Idem docet 4. *de historia animal. cap.* 8. vbi docet pisces sub aquis audire. Quare D. Th. *in præf. lect.* 17. inquit: *Quidam autem libri habent, in aqua non audimus: quod est contra illud, quod dictum est, quod audimus in aëre, & in aqua, & contra id, quod Philosophus dicit in lib. de historia animal. quod animalia audiunt in aqua: licet enim aqua non ingrediatur ad interiorẽ aërem, tamen potest eum commouere, & sic imprimere ei speciem soni.* Vnde hæc sententia est communis apud Philosophos.

Fundamentum est: quoniam aqua, & corpora aquæ similia habent raritatem sufficientem, vt possint deferre species audibiles; secus vero corpora valde crassa, & densa: ergo hæc nequeunt esse medium ad deferendum species soni; bene autem aqua, & alia corpora rara, atque subtilia. ¶ Confirmatur ab experientia, cui in his rebus sensibilibus potissimum standum est: nam pisces sub aquis latentes, statim, ac foras fit strepitus, fugam arripiunt; etiam si nullum hominem videant vt contingit, quando aqua est turbida, & consequenter inepta, vt sit medium ad videndum: ergo pisces audiunt sub aqua: hæc igitur est apta, vt sit medium deferens species audibiles. Quod amplius confirmatur: nam, vt testatur Plinius *lib.* 10. *natural. histor. cap.* 70. in piscinis Cæsaris fuerunt pisces auditus adeo perfecti, vt haberent propria nomina, quibus vocati venirent. Quod minimè fieret, nisi species audibiles deferrentur per aquam vsque ad piscium auditum: & quandoquidem ex eo, quod quis vocaret pisces nulla commotio, vel immutatio physica aquarum intercedebat, vt ex se liquet.

17 Sed obijcies primo: nam Arist. *in hoc lib. cap.* 8. *text.* 76. hanc diuersitatem inter auditum, & odoratum constituit, quod illius medium est aër; istius vero aër, & aqua: ergo sentit medium auditus non esse aquam, sed solum aërem. ¶ Confirmatur: quia *text.* 28. definit sonatiuum secundum esse intentionale consideratum, quod sit *motiuum aëris*: ergo solum aër est medium specierum audibilium; alias prædicta definitio diminuta foret.

Respondetur ideo Arist. asseruisse medium respectu auditus esse aërem quia est medium aptissimum, licet non sit medium vnicum. Eò vel maxime, quia vt audiatur sonus, semper desideratur aliquis aër ille saltem, qui residet intra aurem: vnde homo sub aquis existens tandiu audit, quandiu aqua non replet an-

fractus aurium : vbi autem illos occupat, cessat auditio. Ad olfaciendum autem non ita indispensabiliter desideratur aër, nec ita impedit aqua. Quamobrem merito Philosophus posuit illud discrimen inter vtramque potentiam : quamvis vna, & altera habeat pro medio tam aërem quam aquam. ¶ Ad confirmationem respondemus Aristot. non definisse sonatiuum per medium adæquatum, sed per medium principale, & potissimum eo modo, quo habitus solent non raro per obiectum præcipuum definiri, licet non sit adæquatum. Nec tamen sequitur prædictam definitionem esse diminutam : quia medium principale continet quasi virtualiter alia media, per quæ potest diffundi species audibilis.

18 Secundo obijcies ; quia homo in cubiculo densissimis parietibus vndique incluſus audit sonum extra parietes factum : ergo corpora densissima valent esse medium ad transferendum species vsque ad auditum. ¶ Respondetur, quod si quis intra cubiculum ita includatur vt istius parietes nullam rimulam, nullumve foramen habeant, minime percipiet sonum extra cubiculum factum, & in hac hypothesi negandum est antecedens. Quod nulla experientia potest suaderi : quoniam homo de facto in nullo cubiculo aut corpore includitur, quod non habeat nedum multos poros, sed etiam aliqua foramina licet exigua.

QVÆSTIO V.

Quomodo sonus deferatur per medium vsque ad auditum.

NOn vnicam, sed plures difficultates continet quæstionis titulus. Prima est : vtrum sonus debeat secundum esse reale naturale peruenire vsque ad auditum ; an vero solum vsque ad aliquam distantiam, ex qua incipiat species intentionales immittere. Secunda est an idem sonus non multiplicatus secundum esse naturale diffundatur per medium ; an vero realiter multiplicetur ; ita vt vnus sonus producat alium, & hic alium &c. Tertia est an sonus immittat species ab ea solum distantia, in qua desinit ; an vero ab illa etiam, in qua primo producitur. Et procedunt eæ quæstiones, quando inter sonum, & auditum mediat non solum aqua, quæ solius mutationis intentionalis est capax ; sed etiam aër, qui capax est immutationis tam naturalis, quam intentionalis.

§. I.

Explicatur vera sententia diuersis assertionibus.

19 Dicendum est primo sonum multiplicari realiter per medium, ita vt vnus producat alium: & hanc communicationem eo esse majorem, quo per majorem, vel magis violentam percussionem sonus primo productus fuerit. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 78. & 80. vbi D. Thom. *lect.* 16. idem S. Doct. *in secunda, distinctione secunda, quæstione secunda, articulo secundo ad quintum.* Zanardus *in præsenti quæstione* 32. & communiter Thomistæ, quos refert, & sequitur Bannez 1. *part. quæst.* 78. *art.* 3. *tract. de auditu, dub.* 4.

Probatur ratione: quoniam ex forti, ac vehementi percussione corporum sonororũ potest aër medius tanto impetu prosilire, vt ipse iterum percutiat aliam partem aëris sibi proximiorem, & generet nouum motum, & sic de alijs: ergò sonus secundum esse reale diffunditur per medium; & quanto major fuerit percussio corporum collidentium, tanto diffundetur ad majorem distantiam. Consequentia liquet. Antecedens autem optime explicatur, & probatur à D. Thom. his verbis: *Considerandum est, quod generatio soni in aëre consequitur motum aëris, vt dictum est. Sic enim contingit de immutatione aëris apud generationem soni, sicut de immutatione aquæ, quando aliquid in aquam proijcitur. Manifestum est enim, quod fiunt quædam regyrationes in circuitu aquæ percussæ: quæ quidem circa locum percussionis sunt parvæ, & motus est fortis; in remotis autem regyrationes sunt magnæ, & motus debilior: tandem motus totaliter euanescit, & gyrationes cessant. Sic igitur intelligendum est, quod ad percussionem corporum sonantium aër in gyrum mouetur, & sonus vndique diffunditur: & in vicino quidem gyrationes sunt minores, sed motus fortior, vnde & sonus fortior percipitur: in remotis autem gyrationes sunt majores, & motus debilior, & sonus obscurius auditur: tandem autem deficit totum.*

Confirmatur: nam vt supra *num.* 6. vidimus ex Philosopho, & D. Thom. corpora concaua, bene sonant, quia intra illa magis multiplicantur noui ictus aëris, & generationes soni: ergo sonus potest realiter multiplicari secundum suum esse reale vsque ad certam distantiam: quæ major eò erit, quò violentior fuerit collisio corporum sonororum, ex qua primo genitus fuit sonus.

20 Dicendum est secundo non esse necessarium ad hoc, vt sonus percipiatur quod secundum suum esse physicum diffundatur vsque ad auditum. Hanc etiam docent Aristotel. & D. Thom. *locis proxime citatis*, admittuntque communiter Philosophi. Probatur ratione: quia sonus nequit secundum suum esse reale produci in medio, quin medium realiter moueatur, ac resiliat; sicut impossibile

est produci impulsum absque motu proiecti: sed quando Petrus v. g. loquitur, non commouet physicè totum medium, in cuius sphæra percipitur vox illius: incredibile quippe est paruam illam percussionem, quæ ad formationem vocis requiritur, habere vim ad immutandum tantum spatium aëris: ergo non est necessarium, quod sonus secundum suum esse naturale perueniat vsque ad auditum.

Confirmatur: quia si esset necessarium diffundi realiter sonum vsque ad auditum, tunc duo homines inæqualiter distantes ab altero loquente non possent simul percipere vocem illius: consequens est falsum; cum multoties experiamur vtrumque simul moueri ad vocem loquentis: ergo &c. Sequela ostenditur: quia si loquamur de generatione & diffusione physica soni, prius tempore, & sane perceptibili, commouentur partes proximiores loquenti, quam remotæ: ergo prius perciperetur sonus ab vno homine, quam ab alio, si essent aliquantulum inæqualiter distantes.

21 Dicendum est tertio sonum non solum immittere speciem intentionalem ab illa parte medij, in qua vltimo generatur, & desinit; sed etiam ab illa in qua primo genitus est à corporibus se collidentibus. Hæc est mens Aristot. *loc. supra citat. & qu. sequ.* expendendis, quem sequuntur communiter Interpretes. Probatur ratione: quia agens naturale debite applicatum passo producit necessario effectum sibi proportionatum: sed sonus statim ac in prima parte medij producitur, est proprium sensibile auditus, ac proinde est agens naturale respectu productionis speciei audibilis: ergo cùm auditus, & medium sint alias rectè dispositа, vt supponimus, non poterit non sonus prædictam speciem producere, atque audiri.

Confirmatur primo: nam ideo lux statim, ac est, producit speciem sui, quia est sensibile proprium visus, & concurrunt ex parte medij alia requisita: sed etiam sonus, vbi primo generatur, est sensibile proprium auditus; & adsunt tunc, vt supponimus alia, quæ ex parte medij, & auditus requiruntur: ergo sonus in prima parte, & statim ac generatur, potest, ac debet producere speciem audibilem. ¶ Confirmatur secundo: nam ideo non posset sonus ex illa prima parte diffundere species, quia alias esset in partibus vlterioribus tàm secundum esse intentionale per speciem diffusam, quam secundum esse reale, quod iterum generatur, vt diximus in prima assertione: atqui nullum est inconueniens, quod aliquid sit in medio secundum vtrumque esse, naturale videlicet, & intentionale, vt apparet in luce, quæ secundum vnum, & alterum esse solet in medio existere: ergo non est ratio, quare sonus non generet, ac immittat speciem ex illa parte, in qua primo generatur.

22 Hic obserua sonum non incipere instantaneè, & per primum esse, sed successiuè, & per vltimum non esse. Et ratio est: quoniam sonus, vt inquit D. Thom. *lect.* 16. *causatur ex motu, & non habet esse fixum:*

fixum : subiectum quippe illius, ex quo primo educitur, est medium resiliens, quatenus tale : vnde cùm resilientia sit quidam motus, ac proinde incipiat successiue ; idem necessario asserendum est de inceptione soni. Ex quo vlterius fit sonum, cùm primo producitur, non se diffundere intentionaliter in instanti, sed successiue : diffundit enim se sicut habet esse, quod pro tunc non est fixum. Vbi autem productus est, & aliquantulum durat, valet optime, si sit intra debitam distantiam, immutare instantaneè auditum, producendo instantaneè species: nullum quippe contrarium, aut impedimentum adest, quæ retardet subitam specierum productionem.

§. II.

Enodantur argumenta contraria.

23 COntra primam conclusionem non inuenimus sententiam, quæ probetur Auctoribus. Potest tamen illi opponi : quoniam si sonus multiplicaretur in medio, deberent omnes soni denuo geniti audiri : consequens est falsum : ergo non datur nisi vnicus numero sonus. Probatur minor : quia cùm sonus auditur, simul percipitur distantia eius : sicut cùm videtur obiectum, simul cognoscitur illius distantia : at sic est, quod solùm percipimus sonum esse in ea distantia in qua primo colliduntur corpora, & sonus generatur : ergo solum hic sonus percipitur ; & non alius.

Confirmatur : nam si per medium diffunderetur sonorum collectio, modò à nobis descripto ; sentiremus illam paulatim deficere; consequens contradicit experientiæ : ergo &c. Sequela ostenditur : quia sonus ita debet audiri, sicut habet esse in se: sed si daretur illa sonorum collectio, atque diffusio, primus sonus esset vehementior, secundus non ita vehemens, tertius languescens, & sic de alijs : ergo eodem modo, ac ordine sentiremus sonum deficere.

Respondetur obiectioni negando minorem : ad cuius probationem dicendum est auditum vtpote imperfectiorem visu, solùm percipere in confuso distantiam, in qua corpora se collidunt, & sonus generatur. Cuius signum est, quod nisi videamus corpora illa, nescimus omninò determinate, in quo situ formetur sonus. Vnde quia soni denuò geniti parùm distant à sono, qui primo productus est, & sunt minus intensi, quam ille : propterea non percipimus nisi valde confusè distantiam, in qua generantur. Sonus autem primus, & illius distantia melius cæteris percipiuntur: quia potentior est, & alij soni generantur in virtute illius.

Ad confirmationem dicendum est, quod licet sonus videatur simul deficere ; nihilominus attentè percipientibus satis apparet, quod non deficit subitò secundum se totum, sed prius secundum vnam partem, quam secundum aliam.

Cuius

Cuius signum est, tùm quod in fine audimus sonum obscurius, & sub minori intensione: tùm quod percusso corpore concauo, v. g. dolio aër intus existens ita resilit, vt causet nouos ictus ad alias partes, generétque proinde minores, ac minores sonos, vt ad sensum liquet. Si autem sonus ille postremus non sentitur, ideo est, quia ob defectum intensionis nequit manifestè discerni à præcedentibus: sicut etiam albedo solet in eodem subiecto habere partes magis, & minus intensas; & tamen quia differentia est exigua, non facilè apparet, vbi sit intensior albedo.

24 Contra secundam conclusionem sentiunt Auicenna *lib. 1. natur. cap. de Auditu*, Simplicius *in hoc libr. cap. 8.* & Albertus *in summa de Anima, tract. de Auditu*: asserunt enim requiri ad perceptionem soni, quod hic physicè diffundatur per medium vsque ad auditum; quamvis id non eodem modo explicent, ac defendant. Probatur primo hæc sententia: quia Aristot. *lib. de sensu, & sensib.* determinat, quod etsi plura animalia existant intra sphæram actiuitatis soni; nihilominus non audiunt eundem sonum secundum numerum, sed solùm secundum speciem: sed hoc non verificaretur, si sonus posset per species intentionales se diffundere vsque ad auditum: tunc enim idem numero sonus posset diuersas species ad diuersa animalia immittere; sicut idem numero color videtur à pluribus animalibus; ergo ex mente Philosophi sonus diffunditur physicè vsque ad auditum; aliàs eius determinatio falsitati foret obnoxia.

Respondetur, quod Aristot. non determinat vniuersaliter, quod nunquam plura animalia percipiant eundem numero sonum; sed solum docet, quod sæpè illum non percipiant. Huius autem ratio non est, quod sonus secundum esse physicum debeat diffundi vsque ad auditum: sed quia aër, in quo est sonus, frequenter diuiditur, & consequenter ad illius diuisionem diuiduntur soni secundum numerum. Potest autem contingere, & frequenter accidit, quod ratione diuersi situs, atque distantiæ vnus sonus audiatur ab vno animali, & non ab alio; & alter sonus audiatur ab isto, non vero ab altero: & per consequens diuersa animalia percipiant diuersos numero sonos, quin opus sit, vt sonus physicè acceptus pertingat vsque ad auditum.

25 Secundo arguitur: quia cùm ventus in contrarium flat, non percipimus illum sonum, quem in eadem distantia perciperemus, si ventus versus nos flaret: ergo signum est sonum non se diffundere per species intentionales, sed in esse physico vsque ad auditum. Probatur consequentia: nam quia color se diffundit per species intentionales visio coloris nec impeditur, nec iuuatur per ventum: ergo idem contingeret in sono, si se diffunderet intentionaliter. ¶ Respondemus negando consequentiam: quia cùm sonus secundum suum esse naturale

naturale recipiatur in aëre, potest per ventorum agitationem extrahi ab sphæra auditus, vel ad eam trahi; licet animal aliàs sit in eodem situ, atque distantia. Hæc autem ratio non militat in colore, vt ex se liquet: vnde mirum non est, quod ad illius visionem, nec conducat, nec impediat ventorum agitatio.

26 Pro opinione vltimæ assertioni contraria solent referri Caiet. *in præsenti cap.* 8. Conimbr. *ibid. quæst.* 2. & alij qui docent sonum non diffundere speciem ex illa parte, in qua habet esse naturale; sed solum ab illa, in qua jam cessat à diffusione, ac communicatione naturali: & consequenter asserunt sonum non immittere speciem statim, ac primò producitur, sed post aliquam morulam, videlicet cùm jam totus per medium physice diffusus est. Hic autem dicendi modus potest suaderi primo: quia alias quiuis sonus quantumvis directus bis, & multoties audiretur: consequens est falsum, & contrarium experientiæ: ergo sonus non immittit speciem intentionalem, vsque dùm totus productus sit, & ab illa dumtaxat parte, in qua definit esse secundum entitatem naturalem. Probatur sequela: quoniam si sonus statim, ac productus est, immittit speciem, statim audietur; & cùm rursus multiplicetur per medium, immittet diuersas species, & repetitis vicibus audietur.

Respondetur negando sequelam: quia sicut cùm calor diffunditur per aërem, omnes calores partiales, qui in eodem aëre tanquam in subiecto vno, & continuato inueniuntur, efficiunt vnum, & eundem numero calorem totalem per continuationem: ita omnes illi soni partiales, qui ex vna percussione corporum collidentium generantur, & per medium diffunduntur, efficiunt vnum sonum totalem continuatum. Quapropter non est necessarium vniuersaliter, quod audiatur per diuersas numero auditiones: sed possunt percipi per eandem continuatam. Diximus *vniuersaliter*: quia si sonus ob ventorum agitationem dissipetur, & feratur in diuersas partes, ac distantias; non est inconueniens, quod audiatur per auditiones interruptas, & numero differentes: sed tunc dantur diuersi soni: vnde non sequitur, quod idem sonus directus semel, & iterum audiatur.

27 Secundo arguitur: quia ex nostra sententia sequitur sonum audiri in primo instanti, in quo fit: consequens est falsum: ergo &c. Sequela ostenditur: nam species intentionalis, vtpote quæ caret contrario, instantaneè defertur ab obiecto vsque ad potentiam, & infert sensationem; ergo si sonus à primo instanti, & à prima parte, in quibus producitur, immittit speciem; sequitur, quod audiatur in primo instanti, in quo est. Falsitas autem consequentis euincitur experientia: quoniam si quis à longe videat hominem secantem arborem, prius percipit contactum securis ad arborem, quam sonum ibidem

cauſatum : hoc autem non contingeret, ſi ſonus audiretur ſtatim, ac eſt; ſiquidem tunc nulla intercederet morula : ergo non auditur ſtatim, ac fit, ſed poſtquam totus per medium diffunditur.

Reſpondetur negando ſequelam vel ſuppoſitum conſequentis : quia vt ſupra *num.* 22. obſeruauimus ſonus non fit in inſtanti : vnde nequit in aliquo primo inſtanti ſpeciem audibilem mittere ; ſed neceſſariò ſpectat aliquam morulam, eam videlicet, quæ neceſſaria omnino eſt ad motum, ſeu reſilientiam, medijs quibus ſonus generatur, Præterquamquod in exemplo in contrarium adducto contactus ſecuris ad lignum præcedit realiter, imò tempore ſonum genitum : quia contactus ſecuris ad lignum fit in vltimo inſtanti terminatiuo motus percuſſionis, in quo eſt verum dicere : *Nunc non eſt motus.* In illo autem inſtanti non eſt realiter motus reſilientiæ aëris, quia tunc verificatur ; *Nunc non mouetur aër, ſed immediate poſt mouebitur, & reſiliet:* & conſequenter nec tunc eſt ſonus, ſed immediate poſt erit. Vnde mirum non eſt, quod prius realiter videatur contactus ſecuris ad lignum, quam audiatur ſonus ex illo reſultans ; ſiquidem ex parte ipſorum objectorum datur ordo ille, atque præcedentia.

QVÆSTIO VI.

Qualiter generetur ſonus reflexus, ſeu echon.

AD perfectam notitiam eorum, quæ ad ſonum pertinent, reſtat diſcuſſio præſentis difficultatis, quam tamen paucis abſoluemus.

§. I.

Explicatur, & defenditur communis ſententia.

28 DIcendum eſt primo ſonum reflexum, ſiue echon cauſari per regreſſionem ſoni ſecundum ſuum eſſe reale, & naturale, quatenus aër deferens ſonum impeditus ab aliquo corpore reflectitur in contrarium. Ita docet Ariſt. *in hoc lib. text.* 80. D. Thom. *ibid. lect.* 16. B. Albert. Auerr. Auicenna, Philop. Ægid. & alij, quos refert, & ſequitur Suarez *tract.* 3. *de Anima, lib.* 3. *cap.* 20.

Probatur, & ſimul explicatur aſſertio : quoniam generatio ſoni eo proportionali modo fit, quo jacto lapillo in aquam, fiunt gyrationes orbiculares : ſed huiuſmodi gyrationes hoc ipſo, quod tangant corpus eis obſiſtens, regrediuntur in contrarium : ac proinde fiunt nouæ gyrationes reflexæ per quas aqua prius directè mota reflectitur,

tur, siue retrò resilit : ergo pariter eo ipso, quod aër prius motus directe resiliens, & deferens sonum inueniat corpus aliquod obsistens, reuerteretur in contrarium causando nouos ictus, seu gyrationes, & per consequens generabit sonum reflexum, siue echon. Consequentia videtur perspicua. Præmissæ autem non possunt aptius suaderi, aut exponi, quam verbis Angelic. Doct. quæ supra dedimus *num.* 19. adjunctis quæ sequuntur : *Sic igitur intelligendum est quod ad percussionem corporum sonantium aër in gyrum mouetur, & sonus vndique diffunditur. Si autem antequam huiusmodi gyrationes deficiant, fiat reuerberatio aëris sic moti, & sonum deferentis ad aliquod corpus; gyrationes reuertentur in contrarium : & sic auditur sonus quasi ex aduerso, & hoc vocatur echon. Quod præcipuè fit, quando illud obstans, ad quod repercutitur aër motus, est aliquod corpus concauum quasi quoddam vas determinans, & concludens aërem in sua vnitate, & ideo prohibens ipsum diuidi. Tunc enim ille aër fit vnicus, & commotus, quia non potest vlterius motum protendere propter obstans, percutit iterum aërem, à quo percutiebatur, & fit motus in contrarium, sicut accidit, quando aliquis proijcit pilam, quæ hic sphæra dicitur, & inueniens obstaculum retrò resilit.* Hæc S. Doctor, quibus nihil addendum est.

29 Dicendum est secundo posse etiam fieri echon absque productione noui soni reflexi per solam reflexionem specierum audibilium, quatenus medium deferens prædictas species impeditur ab aliquo corpore obsistente, & trahit iterum species ad nos : atque ideo posse eandem vocem iterum audiri. Ita Suarez *loco citato*, Bannez 1. *parte quæst.* 78. *art.* 3. *dubio vltim.* vbi optime obseruat hanc assertionem minime opponi doctrinæ D. Thom. proxime traditæ : quia licet echon frequenter fiat per generationem physicam noui soni, quod asserit S. Doct. potest etiam alio modo fieri, nimirum per solam reflexionem specierum audibilium, vt nunc statuimus.

Fundamentum huius assertionis desumitur ex similitudine, quæ intercedit inter visum, & auditum, ac proinde inter species visibiles, & audibiles : quoniam potest dari visio reflexa per solam regressionem specierum visibilium ab speculo ad oculos, quin ibi producatur nouus color, aut multiplicetur visibile : ergo pariter poterit fieri auditio reflexa, qualem echon importat, per solam reflexionem specierum audibilium à corpore obsistente vsque ad auditum, quin ad hoc sit necessaria productio noui soni physicè sumpti : ergo echon non solùm fit modo in priori assertione descripto, sed etiam fieri valet modo, quem nunc descripsimus. Eò vel maxime, quod in hoc modo nulla apparet repugnantia, aut contradictio, vt ex statim dicendis magis apparebit.

§. II.

Extricantur aliquæ difficultates.

30 SVnt tamen aduersus vtramque assertionem nonnullæ obiectiones ; quas si diluamus, magis constabit veritas doctrinæ hactenus stabilitæ. Primò igitur aduersus primam conclusionem obijcies : quia semper adest corpus obsistens, atque impediens, ne aër deferens sonum vltra progrediatur : semper enim ille aer in fine motus habet virtutem debilem, ac remissam ad impellendum aliam partem eiusdem aeris, ac proinde impeditur ab illa, ne moueatur vlterius, & consequenter aliquantulum retro resilit : sed hoc non obstante, nullus sonus reflexus, aut echon generatur ; alias in quocumque sono audiremus echon : ergo ad istius generationem non sufficiunt ea, quæ in assertione prima explicuimus.

Respondetur concedendo majorem, & negando minorem quoad primam partem : nam in omni productione soni directi interuenit etiam aliqualis sonus reflexus ; non tamen semper sentitur ab illius debilitatem. Quam doctrinam expresse tradit Aristot. *text.* 80. illis verbis : *Videtur semper fieri echon, sed non certus* &c. Quæ D. Thom. illustrat in hunc modum : *Ostendit, quomodo diuersimodè echon fit, & dicit, quod videtur semper fieri echon, sed non semper fit certus, id est, manifeste perceptibilis, & hoc ostendit per simile. Dicit enim quod accidit in sono, sicut in lumine : lumen enim semper repercutitur ; sed quandoque quidem est manifesta repercussio luminis, quandoque autem non. Manifesta quidem est repercussio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore fulgido ; ita quod cum quadam claritate fiat luminis repercussio simili modo primæ luminis emissioni. Immanifesta autem est repercussio luminis, quando repercutitur ab aliquo corpore opaco : quia huiusmodi percussio fit sine claritate, & radiorum emissione. Similiter autem quando repercussio soni fit ad corpus concauum, in quo natus est multiplicari sonus, fit echon certus, idest manifeste comprehensibilis. Quando autem ad alia corpora fit reuerberatio soni, quæ non sunt apta multiplicare sonum, non fit echon manifestus.*

31 Secundo obijcies : quia si sonus reflexus generaretur modo dicto, nec esset idem numero cum sono directo ; siquidem fieret per motum contrarium illi per quem motus directus generatur ; neque distingueretur numero ab illo ; cùm recipiatur in eodem numero subiecto, nimirum in aëre retro resiliente, qui etiam est subiectum proprium soni directi : ergo generatio soni reflexi non fit sicut explicuimus. ¶ Respondetur negando antecedens quoad secundam partem : quia licet sonus reflexus, & directus recipiantur in eodem subiecto ; nihilominus non continuantur inter se : sed ad destructionem vnius, nempe directi, incipit alius, videlicet reflexus : cuius signum est, quod jam est finita

finita auditio primi soni, quando primo auditur echon.

32 Objicies tertio: quia res inanimatæ; & carentes instrumento, qualia sunt plura corpora concaua, nequeunt efficere sonum articulatum, & distinctum in syllabas: at sic est, quod in sono reflexo, siue echo sæpe audimus voces integras & articulatas: ergo prædictus sonus reflexus non fit per solam collisionem aëris ad corpora subsistentia. ¶ Confirmatur: nam ideo tuba, quatumcumque à lingua moueatur, nequit distinctè formare vocem articulatam, quia est aliquid inanime: sed hæc ratio etiam militat in corpore concauo obsistente: hoc igitur nequit efficere vocem distinctam, & articulatam, qualem in sono reflexo solemus experiri.

Respondetur sonum dearticulatum non fieri à corpore obsistente, sed ab aëre, qui ab animali commouetur. Aër autem, quamvis nequeat virtute propria sonum articulatum efficere, cum inanime quid sit, & carens debitis instrumentis ad dearticulandas voces, nihilominus in virtute animalis à quo mouetur, & per subordinationem ad ipsum, valet efficere instrumentaliter vocem articulatam: sicut omnia alia instrumenta se extendunt in virtute causæ principalis ad attingendos effectus, quos ex se non valent efficere. Verum quidem est, quod vox articulata, quam in echo solemus percipere, nunquam pertingit ad perfectionem vocis, quæ immediatò profertur ab animali, vt ipsa experientia testatur. ¶ Ad confirmationem respondemus vocem directam, seu quæ immediatè profertur ab animali debere fieri illis instrumentis, quæ ei contulit natura, videlicet labiis, lingua, dentibus, & palato: vnde quia horum vsus impeditur per appositionem tubæ; idcirco non valemus proferre per tubam voces perfectè articulatas. Sonus autem reflexus supponit jam factum sonum directum, & quod aër est determinatus, & quasi eleuatus per illum ad formandos alios sonos ei aliquo modo similes: vnde fieri potest instrumentaliter ab ipso aëre.

Dices aër directe motus amittit per collisionem ad corpus obsistens illam, vt sic dicamus figuram, & dearticulationem, quam accepit ab animali: ergo non poterit efficere vllum sonum dearticulatum. ¶ Respondetur, quod aër per collisionem ad corpus obsistens non amittit totaliter illam primam figuram, & impressionem; sed tantum ex parte, & quoad modum perfectionis: vnde non impeditur efficere alium sonum articulatum, saltem minus perfectè, ac primo formatus est.

33 Objicies quartò: quia causa debet coexistere suo effectui: sed sonus directus prius desinit esse, quam fiat sonus reflexus; siquidem echon auditur postquam vox directa desinit audiri: ergo sonus directus non potest efficere sonum reflexum, & consequenter hic non generabitur per regressionem illius. ¶ Respondetur negando minorem: quia sonus directus existit, quando impellit, & percutit partem aëris,

ex qua collisione generatur sonus reflexus: quod satis est, vt causa dicatur coexistere suo effectui, quia sufficit existere, quando imprimit virtutem, & motum, ex quibus deriuatur effectus; sic enim habet existere saltem virtualiter, quando effectus resultat. Et hinc prouenit, quod prius desinat audiri sonus directus, quam incipiat audiri sonus reflexus: quia sonus directus vltimò euanescit in vltimo instanti terminatiuo collisionis: sonus autem reflexus incipit intrinsece in tempore subsequenti. Hæc autem verificantur communiter loquendo, non autem vniuersaliter: quia si sonus directus maximo impetu formetur, & corpus obsistens sit prope locum, in quo ille sonus generatur, tunc non desinit sonus directus quando auditur echon; sed illi duo soni simul confusi sunt in diuersis partibus medij: quod in causa est, vt solum confuse percipiantur, ac discernantur.

34 Quinto, & vltimo obijcies contra secundam assertionem: quoniam si echon posset fieri per solum regressum, siue reflexionem specierum intentionalium ad auditum; fieret inde, quod sonus non perciperetur vt existens prope corpus obsistens, & remittens species, sed quasi existens post vel vltra illud: consequens est contra experientiam: ergo echon nequit fieri per solam regressionem specierum audibilium, & absque productione noui soni. Sequela probatur, & declaratur exemplo: nam obiectum visum in speculo apparet esse intra, vel vltra speculum, eò quod species reflexæ repræsentant obiectum oppositò modo, ac repræsentarent species directæ: vnde sicut per visionem directam videtur obiectum vt existens ante speculum, & in tanta distantia ante illud; ita è conuerso per visionem reflexam videtur vt existens vltra, vel post speculum in eadem proportionali distantia. Idem ergo contingeret in sono, si posset fieri auditio reflexa per solam reflexionem specierum audibilium ad potentiam.

Respondetur negando sequelam, & ad illius probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia: & ratio disparitatis est, quod sicut species visibiles excedunt in perfectione species audibiles in modo repræsentandi obiectum; ita etiam excedunt in modo repræsentandi distantiam obiecti. Vnde species visibiles reflexæ perfectè repræsentant distantiam obiecti ab speculo, quamvis inuerso modo, ac repræsentant species directæ: & ideo repræsentant obiectum velut existens vltra, siue post speculum. Cæterum species audibiles, quippe deficientes ab huiusmodi perfectione, non repræsentant sonum sub illa formalitate existendi vltra corpus obsistens; sed repræsentant sonum absolute, vel quatenus existit iuxta illud corpus.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

Quodnam sit organum, & subiectum auditus?

VT cum majori luce hanc difficultatem determinemus, oportet breuiter describere auditus officinam. In qua primo occurrunt aures, quas natura instituit ad auditus defensionem, sicut supercilia ad oculorum munimentum. Ob quam etiam causam via per quam tenditur in auditum, plena est anfractibus ad instar labyrinthi: vt aër ad auditum penetrans his obliquitatibus refrangatur, nullumque ipsi aliqua violenta commotione inferat nocumentum. Propter eundem finem prædicta via repleta est quodam humore viscoso, quo bestiolæ præpediuntur, ac detinentur; si quæ ad intimum auditus penetrare præsumunt. Huiusmodi autem via desinit in quandam concauitatem quasi orbicularem, plenam substantia aërea, siue spiritosa, & animata, quæ solet vocari aër insitus. Et vt hæc substantia (quæ alias posset, vtpote valde subtilis, facile dissipari) indemnis conseruetur, prouidit natura quandam pelliculam, qua operitur illa medietas prædictæ substantiæ, quæ existit versus exteriorem partem aurium: quæ pellicula solet vocari myringa, seu timpanum, quia ad instar timpani formata est & sustinetur supra tria ossicula diuersæ figuræ. Porro à cerebro descendit quidam neruus, qui in alios duos diffinditur, quorum vnus ad partem dextram, alter ad sinistram tendit: & terminatur ad illam concauitatem, vbi residet substantia aërea, siue spiritosa. Deseruiunt vero huiusmodi nerui, vt per eos descendant spiritus animales à cerebro vsque ad auditum. Eæ sunt partes principales, quas inuenimus in auditus officina: videndum nunc est, in quanam earum resideat potentia auditiua tanquam in organo, atque subiecto.

§. I.

Resolvitur dubium duabus assertionibus.

35 DIcendum est primo auditum subiectari in substantia aërea, & spiritosa proximè explicata. Ita Aristot. *in præf. text.* 82. vbi inquit: *Auditus autem connaturalis est aëri: propter id autem, quod in aëre est, &c.* Vbi D. Thom. *lect.* 17. *Ostendit*, (inquit) *quod aër appropriatur organo auditus: dicit ergo primo, quod aër connaturalis est in aëre: ita quod sicut humidum aqueum conuenit instrumento visus, ita aër conuenit instrumento auditus.* Idem repetit Philosophus *lib. de sensu, & sensib.* vbi D. Thom. *lect.* 5. Eandem sententiam docent Galenus *lib.* 4 *de vsu partium cap.* 6. Caiet. in præsenti *cap.* 8. *quæst. vlt.* Suarez *tract.* 3. *de anima lib.* 3. *cap.* 22. & communiter Philosoph.

Fundamentum ex Aristot. desumptum potest ad hanc formam reduci.

teduci : quoniam organum auditus & medium illius debent, quantum fieri poteſt, habere eaſdem diſpoſitiones: ſed præcipuum medium auditus eſt aër, vt conſtat ex ſupra dictis *qu.* 3. ergo organum auditus debet habere diſpoſitiones ſimiles diſpoſitionibus aëris : huiuſmodi autem diſpoſitiones inueniuntur in illa ſubſtantia aërea, & ſpiritoſa, quam ſupra deſcripſimus : hæc igitur eſt organum, ſiue ſubiectum auditus. Cætera conſtant, & major ſuadetur : nam ideo tale medium, & non aliud habet aptitudinem ad recipiendum ſpecies audibiles, quia habet tales, vel tales diſpoſitiones: ergo illud ſubiectum erit aptum vt ſit ſubiectum, in quo ſiſtant, quod habuerit diſpoſitiones ſimiles diſpoſitionibus medij ; at ſubiectum, in quo ſiſtunt ſpecies audibiles, eſt organum potentiæ auditiuæ : ergo organum auditus, & illius medium debent, quantum fieri poteſt, habere ſimiles diſpoſitiones.

Confirmatur primo : quia animal exiſtens ſub aquis tandiu poteſt audire, quandiu aqua non penetrat vſque ad illam ſubſtantiam aëream ; vbi autem illuc ingreditur, nequit animal audire : ergo ſignum eſt prædictam ſubſtantiam aëream eſſe ſubiectum, ſine organum auditus : alias non eſſet ratio, cur ſtante illæſa illa ſubſtantia ; poſſet audire ; ea vero deſtructa, vel læſa, impediretur auditio. ¶ Confirmatur ſecundo : quia illud debet eſſe organum auditus, quod eſt expers omnis ſoni, vt ſic valeat omnium ſonorum differentias percipere : ſed ſubſtantia ſpiritoſa, & aërea eſt expers omnis ſoni : ergo eſt apta, vt ſit organum, atque ſubiectum auditus. Probatur minor : quia vt aliquis aër poſſit habere ſonum in eſſe phyſico, debet eſſe in tali diſpoſitione, vt poſſit à corporibus collidentibus comprimi, & contundi : ſed ſubſtantia illa ſpiritoſa non eſt in tali diſpoſitione ; ſed potius in diſpoſitione contraria : nam habet eſſe à natura vndique vallatam ac firmiter ædificatam in auribus, ne tangatur & comprimatur à corpore externo, vt conſtat ex ſupra dictis : ergo &c.

36 Dicendum eſt ſecundo potentiam auditiuam non ſolum ſubiectari in ſubſtantia ſpiritoſa ; ſed etiam in illis neruis à cerebro procedentibus, & ad prædictam ſubſtantiam terminatis, quos ſupra explicuimus. Hæc aſſertio eſt omnino conſona iis, quæ ſupra agentes de organo viſus ſtatuimus, defenditurque ab omnibus fere Auctoribus, qui doctrinam ibi traditam admittunt : quibus præluxit Angelic. Doct. *opuſc.* 43. *cap.* 3. vbi inquit: *Auditus eſt vis ordinata in neruis mollibus à cerebro procedẽtibus ad percipiendum ſonum cauſatum ex aëris cõmotione conſtricti inter percutiens & percuſſum.* Nec neceſſum eſt noua cudere fundamenta ad perſuadendum hanc aſſertionem præter illud quod ſupra *diſp.* 9. *qu.* 4. expendimus, poteſtque breuiter præſenti materiæ applicari ſub hac forma : quoniam in animali non datur niſi vnus numero auditus : ergo non poteſt dari niſi vnum organum adæquatum auditus : hoc autem ſaluari non valet, niſi dicamus prædictum organum conſiſte-

consistere in substantia aërea existente in vtraque aure, quatenus continuatur cum neruis à cerebro descendentibus, & coniungitur in vna communi radice: ergo ita asserendum est; ac proinde subiectum adæquatum auditus consistet tum in substantia spiritosa, tum in neruis illis.

§. II.

Occurritur aliquibus obiectionibus.

37 SEd obijcies primo aduersus fundamentum primæ assertionis: quoniam medium visus est aër, & tamen organum visus non est aëreum, sed aqueum: ergo ex eo, quod medium præcipuum auditus sit aër, non rectè colligitur, quod illius organum debeat esse aëreum. ¶ Respondetur negando consequentiam: quia organum potentiæ, & illius medium petunt similes dispositiones, quantum fieri potest, seruata natura ipsius potentiæ, vt in illa ratione innuimus. Organum autem visus petit esse in parte externa, vt sic possit videre obiecta; ex quo fit, quod pateat pluribus iniuriis: vnde non fuit conueniens, quod consisteret in substantia aërea, quæ facillimo negotio dissipatur; sed in substantia aquea, quæ spissior est, & non ita facile dissipabilis. Insuper organum visus debet reflectere species visibiles, quod nequit fieri in humore aëreo, bene autem in aqueo. Quamobrem non debuit organum visus habere dispositiones similes medio, nempe aëri. At auditus non sic obnoxius est iniuriis externis, cum habeat omnia illa propugnacula, quæ supra *num.* 34. exposuimus, nec debet reflectere species audibiles. Et ideo nihil est, quod impediat illius similitudinem cum medio; sed debet reipsa illi assimilari.

38 Secundo obijces: nam medium auditus respectu piscium est aqua: ergo si nostra ratio conuincit, probat vtique organum auditus in piscibus non consistere in substantia aërea, sed in aquosa. Hoc autem opponitur doctrinæ traditæ: nam sicut auditus piscium, & aliorum animalium est eiusdem rationis, ita petit organum eodem modo dispositum. ¶ Respondetur negando cõsequentiam: quia licet pisces petant naturaliter audire media aqua, sub qua illos natura constituit; nihilominus medium præcipuum etiam respectu eorum non est aqua, sed aër, eò quod sonus secundum suum esse reale nequit recipi nisi in aëre, vt supra statuimus *numero* 13. deberque insuper intentionaliter diffundi per aliquam partem aëris. Vnde pisces nequeunt audire cum sola aqua; queunt tamen cum solo aëre, si supra aquam aliquantulum eleuentur: quod satis euincit medium præcipuum etiam respectu piscium non esse aquam, sed aërem. Quocirca non oportet, quod organum auditus in eis sit aqueum, sed debet esse aëreum.

39 Tertiò obijcies aduersus secundam confirmationem: quoniam aër auribus insitus mouetur, exteriori

aëre moto, vt docet Aristot. *in præs. text.* 82. ergo falsum est, quod aër insitus sit ita à natura constitutus, vt nequeat commoueri, vel comprimi ab extrinseco. ¶ Respondetur cum D. Thom. aërem insitum, quantum est de se, esse immobilem; moueri tamen per accidens ob aliquam prauam dispositionem auditus. Quod satis expressit Philosophus, nam postquam dixit aërem internum moueri, statim adiecit: *Verum ipse sonus alienus est, & non proprius.* Quod autem solum per accidens moueatur, nihil obest doctrinæ nostræ: quia in designandis obiectis mediis, & organis potentiarum attendimus ad ea quæ sunt per se.

40 Vltimo oppones aduersus omnia, quæ hactenus diximus: quia licet obseruationibus & incisionibus anotomicis inueniantur illi nerui, & illa pellicula, siue tympanum, quæ supra explicuimus, nunquam tamen inuenitur illa substantia aërea quam diximus esse sensorium auditus. Quod inter alios Medicos testatur Besalius *lib. 1. de fabrica cap. 8.* Quod si non datur prædicta substantia, corruunt proculdubio, quæ hactenus statuimus. ¶ Respondetur, quod si statim, ac animal moritur, fieret inuestigatio per artis anotomicæ vsum, proculdubio inueniretur illa substantia aërea. Si autem multoties inuenta non est; id forte contigit, vel quia animal habuit læsum auditum, vel quia (quod magis placet) non ita citò facta est inuestigatio anotomica. Cum enim illa substantia aërea sit valde tenuis, ac subtilis; breui interuallo temporis dissipatur.

DISPVTATIO XI.

De Odoratu,

ODORATVS cedit in perfectione visui, & auditui excedit vero gustum, & tactum, vnde post notitiam visus, & auditus, agendum est de odoratu, priusquam de gustu, & tactu tractemus.

QVÆ

QVÆSTIO I.

Quid sit odor.

AD perfectam odoratus cognitionem, prius oportet explicare obiectum illius, nempe odorem. Cuius existentia, quia satis nota est, prætermissa, ad eius naturam exponendam accedimus.

§. I.

Dirimitur difficultas iuxta mentem Aristot.

1 DIcendum est odorem esse *qualitatem secundam causatam ex temperamento primarum, in quo siccum comprehendit humidum.* Hæc odoris descriptio traditur ab Aristot. *in hoc lib. cap. 9. & lib. de sensu, & sensib. cap. 5.* quem sequuntur D. Thom. & communiter omnes Philosophi, quos proinde superuacaneum foret recensere. Aptior autem via ad ostendendam bonitatem definitionis istius, ac proinde veritatem conclusionis, erit singulas illius particulas breuiter explanare: quod jam subijcimus.

Dicitur *qualitas*, vt designetur tum conuenientia odoris cum aliis qualitatibus, tum distinctio eius à substantia. Cum enim substantia non sit per se sensibilis; odor autem sit sensibile proprium odoratus: necessario sequitur, quod odor non sit substantia, sed quædam qualitas reponenda in tertia qualitatis specie, vt statuimus *in Log. disp. 15. q. 4.* Additur *secunda*, vt significetur distinctio odoris à primis qualitatibus. Per quod etiam denotatur odorem esse qualitatem propriam mixtorum, non vero elementorum: hæc quippe, quandiu suam puritatem conseruant, nullum habent odorem: vbi autem odorem emittunt, satis conuincitur aliquam commixtionem habere, vt docet Aristot. *lib. de sensu & sensib.* Et ratione etiam suadetur: quia si odor non exigeret mixtionem, non diuersificaretur iuxta mixtorum diuersitatem: atqui experimur, quod iuxta diuersas mixtiones, ac temperamenta, resultant diuersi odores: ergo odor petit mixtionem primarum qualitatum, & consequenter est qualitas secunda.

Ponuntur præterea illæ particulæ: *causatæ ex temperamento, in quo siccum humidum comprehendit.* Quibus significatur non quamvis mixtionem primarum qualitatum sufficere ad odorem; sed illam desiderari, in qua siccum comprehendat, hoc est, excedat humidum. Quod non solum traditur ab Arist. *lib. de sensu, & sensib. cap. 5.* & à D. Thom. *ibid. lect. 10.* sed etiam experientia suadetur: videmus enim corpora arefacta fieri odorabilia ex admixtione humidi, vt contingit in terra valde arida per longam temporum siccitatem, quæ si postea respergatur aqua pluuiali; statim redolet: ergo signum est ad odorem requiri aliquam humiditatem. Quod autem siccitas debeat esse major humiditate, & illam com-

prehendere, liquet eodem exemplo: nam si terra ita madefiat, vt in omnibus suis partibus comprehendat siccum, jam non spirat odorem. Qua de causa videmus res odoriferas igni applicatas maiorem odorem emittere, quia per calorem resoluitur humidum, & excitatur, atque augetur siccum. Similiter in æstate, vbi plus siccitatis viget, solent corpora odorifera magis redolere. Rosa etiam sereno, & ardenti die collecta fragrantius spirat; quam si mane, cum ros incubat, colligatur. Quæ satis suadent ita ad odorem requiri mixtionem humidi, & sicci, quod tamen siccum debeat humidum excedere.

Et quia hoc prædominium sicci supra humidum, regulariter loquendo, non fit, nisi accedat calor, qui humiditatem decoquat, & attenuet; consequens est, vt generatio odoris tribuatur colori tanquam causæ efficienti, seu virtuti proximè actiuæ. Quamobrem, vt bene obseruauit Cantarenus *lib.* 5. de elementis, rosæ consitæ iuxta allia sunt magis odoriferæ: quia allia suo calore terram calefaciunt & exsiccant: quod in causa est vt rosæ participent plus siccitatis, ac proinde habeant iucundiorem, ac excellentiorem odorem. Qua etiam ratione Alexander Macedo suauem odorem spirabat, vt Plutarch. refert in eius vita: quia erat perferuidæ complexionis, ac proinde ita extenuabat humiditatem, vt siccitas illam comprehenderet: vnde illius temperamentum radicabat prædictum odorem.

2 Ex quibus apparet, quod descriptio odoris ab Aristot. tradita sit tanquam legitima admittenda: quia importat conceptum communem qualitatis, in quo conuenit odor cum aliis qualitatibus; deinde explicat principia propria odoris, per quæ distinguitur ab omni alio, quod odor non est, vt constat ex hactenus dictis: ergo prædicta definitio, seu descriptio est legitima. Quod magis constabit ex dicendis.

§. II.

Diluuntur aliquæ obiectiones.

3 SEd quamvis prædicta odoris definitio communiter admittatur; habet tamen aduersus se aliquas obiectiones, quibus opus est satisfacere. Primò ergo oppones aduersus primam illam particulam, *qualitas*: quoniam odor est substantia: ergo non est qualitas. Suadetur antecedens: tum quia vapor, seu exhalatio habet rationem substantiæ: & ideo absque adminiculo alterius substantiæ sustentantis sursum ascendit: *sed natura odoris vapor quidam, & exhalatio est*, vt inquit Aristot. *sect.* 13. *Problem. quæst.* 15. ergo odor est substantia. Tum etiam, quia sola substantia nutrit: sed quædam partes animalis, tenues videlicet, & aëreæ, nutriuntur odoribus, vt docet Galen. 2. Aphorism. ergo odor habet rationem veræ substantiæ.

Respondetur negando antecedens: ad

ad cuius primam probationem dicendum est, odorem dici exhalationem, seu vaporem non in sensu formali; sed in sensu causali, & materiali: quia videlicet fumalis euaporatio à corpore odorifero spirata est id, in quo odor secundum suum esse reale recipitur, & per medium defertur, vt docet D. Th. de sensu, & sensato *lectione* 5. ¶ Ad secundam neganda est minor cum Aristot. *lib. de sensu, & sensib.* quem sic exponit D. Thom. *ibidem lect.* 14. *Dicit, quod in omnibus animalibus est aliquis locus, in quo primo recipitur cibus scilicet stomachus, vnde deriuatur ad singulas partes corporis. Quia vero animalia plurima respirando odorant, si consideremus ipsum odorabile, manifestum est, quod sentitur organo circa cerebrum existente, vt supra dictum est. Ipse autem aer respiratus, cum quo odor attrahitur, vadit ad locum respiratiuum, id est, ad pulmonem. Manifestum est autem, quod in animalibus neque cerebrum, neque pulmo est locus recipiens cibum. Vnde manifestum est, quod odor non nutrit. Confortat autem propter immutationem, quæ est à calido, humido, & sicco, & propter delectationem, sicut & malus odor corrumpit, vt supra dictum est.*

4 Secundo obijcies aduersus illam particulam *secunda*: quoniam vna secunda qualitas non producit aliam secundam qualitatem, vt patet inductiue in omnibus secundis qualitatibus: at sic est, quod odor producit odorem: ergo odor non est qualitas secunda. Probatur minor: tùm ex Philosopho *in hoc libro textu* 127. vbi docet, quod eodem modo patitur aër ab odore, & à sono: constat autem ex supra dictis *disputatione* 10. *quæst.* 6. quod aer patitur à sono recipiendo non solum species intentionales, sed etiam participando alium sonum naturalem, & entitatiuum: ergo pariter recipiet ab odore alium odorem. Tum etiam, quia si corpus non odoriferum ponatur juxta odoriferum, fit etiam odoriferum; & aër, qui perflat per hortos rosis, & floribus plenos, optimè olet: hoc autem satis indicat odorem esse productiuum odoris: ergo &c.

Respondetur negando minorem, quæ neutra probatione euincitur: non quidem prima, quia Philosophus, cùm comparat odorem, & sonum, in ordine ad immutandum aërem; non loquitur de immutatione in esse physico, & quoad entitatem, sed de immutatione intentionali, & quoad species: nam cùm obiecisset, quod si aer patitur ab odore, quod percipiet odorem, respondet juxta interpretationem D. Thom. *Quod odorare est sic aliquid pati ab odore, quod sentiat odorem: aer autem non sic patitur, vt sentiat*, &c. Prædicta vero obiectio, si procederet de receptione odoris in esse naturali, nullam nec apparentem difficultatem haberet, & indigna foret responsione: quia organum sentiens solùm immutatur per species intentionales: de quibus proinde intelligendus est Philosophus loqui. ¶ Ad secundam dicendum est nullum in illis exemplis produci nouum odorem; sed prædicta corpora fieri

odorifera, quia exhalationes odoriferæ ab vno corpore emissæ recipiuntur intra poros alterius corporis, quod vel prope est, vel iuxta perflat.

5 Tertio obijcies aduersus illas particulas, *in quo siccum comprehendit humidum*: quia corpus odoriferum potest excellere in humiditate: ergo non requiritur ad odorem, quod siccum excedat humidum. Probatur antecedens: tùm quia eadem res est simul sapida, & odorifera, vt patet in pluribus cibis, qui simul sunt suauissimi saporis, & odoris: sapor autem petit prædominium humidi: supra siccum, vt docet Philosophus in hoc *libr. text.* 100. ergo res odorifera valet in humiditate excellere. Tùm etiam, quia hydrosata v. g. est valde odorifera: & tamen est valde humida, vt ad sensum liquet: ergo.

Respondetur negando antecedens: cuius prima probatio parùm vrget, quia cibus non habet secundum vnam, & eandem partem saporem, & odorem, sed secundum diuersas partes inter se commixtas, & confusas. Quod optime explicat D. Thom. *in hoc 2. lib. text.* 19. his verbis: *Sciendum est, quod quædam habent proportionalem odorem, & saporem, scilicet dulcem odorem, & dulcem saporem: quædam vero per contrarium, scilicet suauem saporem, sed non suauem odorem, vel è conuerso. Cuius ratio est: quia sapor consistit in humido aqueo aliqualiter digesto: odor autem consistit in sicco aereo aliqualiter contemperato. Contingit autem quandoque vtramque substantiam, scilicet subtilem aeream, & aqueam grossiorem secundum debitam proportionem commixtam esse, & sic est suauitas saporis, & odoris. Si vero sit debita proportio in vno, & non in altero erit in vno suauitas, & in alio non.* ¶ Ad secundam probationem respondemus aquam stilatitiam suauis odoris habere prædominium ficciratis: sicut etiam solet habere excellentem calorem, virtute cuius solet occurrere ægritudinibus ex frigore prouenientibus. Quod autem liquida sit, quod sensu experimur, nihil suadet: nam etiam aqua naturalis, cùm igni applicata feruet, est liquida: & nihilominus certum est, quod sicut tunc habet calorem prædominantem frigiditati; ita etiam habet ficcitatem supra humiditatem: quod etiam in alijs liquoribus valde siccis, & calidis ostendi potest.

6 Vltimò obijcies: quia si calor est causa odoris, debuit in istius definitione dici, quod causatur ex prædominio caloris supra humiditatem, sicut dicitur, quod in eius proprio temperamento siccum comprehendit humidum: nam per actionem caloris non crescit in mixto ficcitas, quin calor etiam crescat in eadem proportione: ergo cùm hoc fuerit in prædicta definitione prætermissum, sequitur, quod sit diminuta. ¶ Respondetur negando antecedens: quia licet ad odorem requiratur non solum siccum, sed etiam calidum; nihilominus hæc duo respectiuè ad odorem ita inter se comparantur, quod calor desideretur propter ficcitatem, & non è conuerso: vnde potius debuit natura odoris explicari per siccum, quam per calidum. Nec fuit neces-

sarium

sarium vtrumque expressè adducere, cùm calidum satis intelligatur comprehendi nomine sicci excellentis.

QVÆSTIO II.

Quomodo odor diffundatur per medium?

7 PRo tituli, & quæstionis intelligentia supponendum est primo ad perceptionem odoris necessarium esse aliquod medium inter odoratum, & odorem, eò quod sensibile positum supra sensum impedit sensationem, vt constat ex supradictis *disp. 8. qu. 2.* quæ non oportet repetere in singulis quæstionibus. Secundò supponendum est medium hoc in ordine ad immutationem odoratus esse aërem, & aquam, vt statuit, & bene probat Aristot. *in hoc lib. text. 79.* vbi D. Thom. *lection. 20.* hæc habet *Dicit, quod sensus olfactus immutatur ab odorabili per medium, scilicet aërem, aut aquam: & quod aer sit medium in olfactu manifestè apparet, quia nos per aerem odoramus. Vnde oportuit manifestare aquam esse medium in olfactu: quod quidem ostendit per hoc, quod animalia aquatica odorem sentiunt, non solùm illa, quæ habent sanguinem, sed etiam illa, quæ sanguine carent, sicut & animalia, quæ viuunt in aere. Quod apparet ex eo, quod quadam eorum de longinquo veniunt ad alimentum: quod non posset esse, nisi in quantum prouocantur ab odore.*

Tertio supponimus odorem non diffundi in esse naturali, nisi media illa fumosa exhalatione, quæ à corpore odorifero emittitur, vt constat ex quæstione præcedenti. Et insuper suadetur experientia: quia res odorifera inclusa vase cooperto retinet per longum tempus suum odorem; illum vero facilè amittit, si vas discoopertum sit: hoc autem non contingeret, si odor se communicaret præcisè vel per species intentionales, vel producendo alium odorem: vnde necessario admittenda est illa fumosa euaporatio, per quam partes subtiliores rei odoriferæ exhalentur. Dubium autem est, vtrum ad perceptionem odoris sufficiat diffusio illius, medijs speciebus intentionalibus, per medium vsque ad olfactum; an vero requiratur, quod se diffundat in esse naturali, saltem per aliquam partem medij, & vsque ad certam distantiam.

§. Vnicus.

Duabus conclusionibus resoluitur difficultas.

8 DIcendum est primo non esse necessarium, quod odor, media exhalatione fumosa, diffundat se naturaliter vsque ad odoratum. Ita Aristot. *in hoc lib. text. 79.* vbi D. Thom. *lect. 20.* nostram assertionem ita confirmat: *Cum enim odor cadaueris vsque ad quingenta milliaria, vel amplius à vulturibus sentiatur, impossibile est, quod aliqua corporalis euaporatio cadaueris vsque ad tantum spatium*

ſpatium diffundatur, præcipue cùm ſenſibile immutet medium vndique ſecundum eandem diſtantiam, niſi impediatur. Non autem ſufficeret ad occupandum tantum ſpatium, etiam ſi totum cadauer reſolueretur in fumalem euaporationem; cùm ſit certus terminus rarefactionis, ad quem corpus naturale peruenire poteſt, qui eſt raritas ignis, & præcipue cum per huiuſmodi odorem cadauer non appareat ſenſibiliter immutatum. Quæ ratio eſt adeò efficax, vt opus non ſit ad aſſertionem ſtabiliendam aliquid roboris illi adijcere.

9 Dicendum eſt ſecundo non eſſe abſolutè neceſſarium ad hoc, vt odor percipiatur ipſum diffundi per medium media exhalatione fumoſa, & ſecundum eſſe naturale; ſed ſufficere diffuſionem intentionalem, quæ fit medijs ſpeciebus ſenſibilibus. Ita Ariſtot. & D. Thom. *locis proximè citatis*, quos ſequuntur Caiet. *c.* 8. *q. vn.* Flandr. *ad lect.* 20. D. Thom. Ferrar. *quæſt.* 17. Zanard. *qu.* 42. & alij plures. Et ſuadetur ratione ſatis efficaci: quoniam corpus odorabile aquis immerſum, & ſub illis exiſtens ſolet percipi ab animalibus exiſtentibus tam intra, quam extra aquas: & nihilominus corpus ibidem exiſtens nullam emittit fumoſam euaporationem, vt ad ſenſum liquet: ergo ad perceptionem odoris non requiritur vniuerſaliter, quod hic ſe diffundat in eſſe naturali; ſed ſufficit communicatio in eſſe intentionali.

10 Sed obijcies primo contra primam concluſionem: & præcipue aduerſus fundamentum illius: quoniam tempore peſtis contingere ſolet, quod corruptio peſtifera perueniat ad locum valde remotum ab illa regione, in qua graſſatur peſtis; eo quod ventus defert ab vno in alium locum exhalationes peſtilentia, & eius odore infectas: ſed idem poſſet dici de odore cadaueris perueniente ad locum vulturum: ergo ratio D. Thom. nulla eſt; ac proinde non manet ſatis conuictum, quod non requiratur communicatio naturalis odoris vſque ad olfactum, vt poſſit percipi.

Reſpondetur negando minorem: quia ratio D. Thom. ſi bene perpendatur, conuincit, quod ſi ſemel ad perceptionem odoris eſſet neceſſaria diffuſio illius in eſſe phyſico; non ſolùm odor deferretur ad vultures modo in obiectione deſcripto; ſed eſſet actu diſperſus per totum medium: quod proculdubiò abſurdum eſt, vt bene probat S. Doct. Cùm enim vultures perueniant ductu odoris ad cadauer, opus eſt, quod in tota via, & ſpatio medio percæperint ipſius odorem: alias non eſſet major ratio perueniendi ad locum cadaueris, quam ad alium diſparatè ſe habentem, vt conſideranti conſtabit: vnde oportet, quod cadaueris odor diffundatur per *totum* illud ſpatium inter cadauer, *& vultures.*

11 Secundo aduerſus eandem aſſertionem obijcies: quia plura animalia indigent reſpiratione prævia ad ſentiendum odorem, vt patet in hominibus, qui hac de cauſa non olfacimus, ſi halitum omninò detineamus: hoc autem non contingeret, ſi ad perceptionem odoris non eſſet neceſſaria diffuſio naturalis.

lis illius vsque ad olfactum : hac quippe de causa alij sensus non indigent respiratione ; quia nimirum non attrahunt objecta in esse naturali, sed solum per species intentionales, quæ instantaneè perueniunt ad sensum ; quin necessarium sit respirationis subsidium : ergo vt odor percipiatur debet in esse naturali penetrare vsque ad olfactum.

Respondetur ex Aristotel. *in hoc libro textu* 100. & D. Thom. *ibidem lectione* 20. *& libr. de sensu & sensato* plura esse animalia, nimirum omnia aquatilia, quæ non indigent respiratione ad percipiendum odorem : quod satis euincit non esse necessariam attractionem odoris in esse physico vsque ad olfactum. Alia vero non ideo indigent respiratione ad olfaciendum, quia respirando attrahant physice odorem : sed vt possint aditum præbere speciebus intentionalibus : nam via, per quam species penetrant ad olfactum, est de se arctissima, & valde occlusa ; & per respirationem dilatatur. Vnde sicut dilatatio siue apertio palpebrarum est necessaria, vt species visibiles perueniant ad visum ; non vero ad hoc, vt color physice attrahatur ; ita respiratio, siue dilatatio illius viæ, quæ respirando aperitur, est necessaria, non vt odor in esse physico ingrediatur ad olfactum, sed vt species intentionales ingredi possint ad illum. Neque hinc fit, quod odoratus animalium respirantium, & non respirantium distinguantur specie : quia illa diuersitas percipiendi odorem est pure materialis, & se tenens ex parte organi ; non vero formalis, & constituens diuersam rationem obiectiuam. Illa autem quibus Galenus, & alij impugnant doctrinam Aristot. in hac solutione explicatam, procedunt ex defectu intelligentiæ : quia existimant Philosophum asseruisse esse aliquam tunicam supra olfactum ad eum modum, quo palpebræ contegunt oculos : quod prorsus alienum est ab eius mente ; solum enim intendit viam, qua patet aditus ad olfactum, esse de se constrictam, & dilatari, cum respiramus.

12 Tertio obijcies : quia vehemens, aut pessimus odor solet lædere sensum statim, ac sentitur : ergo odor in esse naturali sumptus peruadit vsque ad olfactum. Probatur consequentia : quia species intentionales, vtpote habentes esse diminutum, nequeunt inferre nocumentum naturale. ¶ Hæc obiectio potest dilui ex ijs, quæ supra diximus *disp.* 8. *quæst.* 3. quibus addimus, quod licet ad perceptionem odoris non sit necessaria diffusio illius in esse naturali vsque ad olfactum : nihilominus multoties contingit fumosam illam exhalationem penetrare vsque ad cerebrum : & tunc ratione vel intensionis, vel alicuius nociuæ qualitatis ipsam exhalationem comitantis infert læsionem physicam.

13 Quarto obijcies contra secundam conclusionem : quia videtur aliena à mente D. Th. nam S. Doct. vbicumque agit de distincto modo, quo immutantur sensus externi, semper petit immutationem, ac

ac resolutionem naturalem ex parte rei odorabilis, vt valeat percipi per olfactum. Vnde *lib. 3 huius operis lect. 1. in fine*, inquit: *Alio modo immutantur sensus per medium, & hæc quidem immutatio aut est cum alteratione sensibilis: & sic odor immutat sensum cum aliqua resolutione odorabilis.* Idemque tradit pluribus alijs in locis, quæ lector facilè offendet.

Respondetur S. Doct. minimè intendere, quod euaporatio fumalis, & physica sit necessaria ad percipiendum absolute odorem, sed solùm, vt melius percipiatur. Vnde sicut animal conjunctum rationali habet esse perfectius; & tamen absque illo saluatur absolutè tota essentia animalis: ita odor multoties percipitur perfectiùs media fumosa exhalatione; sine qua tamen potest percipi absolutè. Quæ solutio conformis est D. Thom. intentioni; eò quippe collimabat, vt tribueret minorem immaterialitatem odoratui, quam auditui: quod optimè saluatur in nostra sententia; siquidem odoratus indiget diffusione physica, saltem ad meliorem perceptionem illius: auditui autem nihil confert, aut parum quod eius obiectum physicè transmutetur.

14 Vltimo eidem assertioni oppones: quoniam obiecta, quæ se communicant solùm intentionaliter, non se impediunt in eodem medio vt patet in diuersis coloribus, qui possunt, medijs speciebus intentionalibus, per idem medium videri: at sic est, quod odores se impediunt, & confundunt circa idem medium; & ideo si duo corporà odorabilia ponantur aliquantulum inter se distantia, neutrius odor determinate percipitur. sed solum quidam odor mixtus, & confusus ex vtroque: ergo odor diffunditur per medium nedùm in esse intentionali, verum etiam in esse physico. ¶ Confirmatur quia specierum diffusio nec impeditur, nec iuuatur per agitationem ventorum: sed vento flante versus nos percipimus odores, quos alias non perciperemus; & è conuerso si flat in contrariam partem, illos non percipimus: ergo signum manifestum est, quod odor se diffundit per medium non solùm intentionaliter, sed etiam physice.

Respondetur ad obiectionem, quod solùm conuincit odorem se frequenter diffundere physice, & media exhalatione fumosa; quod nos minime negamus. Hinc enim prouenit, quod duo odorabilia soleant se confundere in eodem medio: quia videlicet vnumquodque spirat suam euaporationem, & mutuo se permiscent, & confundunt. Hoc autem nec contingit vniuersaliter, nec est necessarium ad percipiendum odorem absolutè. ¶ Ad confirmationem eodem modo respondendum est, præterquam quod res odorifera multoties est extra sphæram actiuitatis olfactus: vnde opus est, quod aliqua fumalis euaporatio exhaletur, quæ medio impulsu ventorum constituatur in debita distantia respectu odoratus, vt sic valeat species intentionales ad eum immittere.

QVÆ

QVÆSTIO III.

De subiecto, seu organo odoratus.

15 POst obiectum inuestigamus subiectum odoratus. In qua difficultate duo breuiter præmittere oportet. Primum sit organum odoratus debere esse iuxta cerebrum. Quod statuunt, & probant Aristotel. *in hoc libr. text.* 100. & D. Thom. *ibidem, & lib. de sensu, & sensato, lection.* 5. *Quia odor*, inquiunt, *fundatur in sicco, sicut sapor in humido: organum autem odoratus oportet esse in potentia ad odorem, & ad siccum: vnde oportet, quod substantia, & essentia organi odoratus sit id, quod est actu frigidum, & humidum, quod præcipue est in loco circa cerebrum. Vnde organum odoratus est circa cerebrum, quia cerebrum inter omnes partes corporis est humidius, & frigidius: & ita habet naturam aquæ, quæ est naturaliter frigida, & humida: & sic congruit organo odoratus, quod debet esse calidum in potentia, vt sit in prædicto loco.* ¶ Secundum sit, plura in organo, vel circa organum odoratus inueniri: nam in primis occurrit nasus, cuius pars superior est ossea, inferior autem cartilaginea, & in duo foramina definit. Deinde ad radicem nasi inuenitur quoddam os foraminibus quibusdam distinctum, quod appellatur cribrum, deseruitque ad excrementa capitis emungenda. Dantur præterea quædam canales à cerebro vsque ad narium foramina descendentes, per quas descendunt etiam duo nerui, qui progrediuntur ab anteriori parte cerebri, & terminantur ad partem internam narium, deseruiuntque ad deferendum species intentionales odoris. Tandem inueniuntur in hac officina duæ carnositates molles, spongiosæ, & similes capitibus mamillarum, qua de causa processus mamillares dicuntur; affiguntur autem prædictis neruis, & cum illis continuantur. Dubium ergo est in quanam ex partibus recensitis odoratus proxime subiectetur.

§. vnicus.

Præfertur communior opinio.

16 DIcendum est subiectum proximum odoratus esse processus mamillares, quatenus cum duobus neruis continuantur, ac vniuntur in vna communi radice. Hanc sententiam alijs dicendi modis præferimus, quia est valde communis inter Philosophos: illam enim tuentur non solùm Aristot. & D. Thom. sed etiam D. Gregor. Nissen. *lib.* 4. *de viribus animæ, cap.* 5. B. Albert. 2. *parte summæ de homine tract. de Olfactu*, vbi citat Algacel. Auicenn. *fen.* 3. *can.* 1. & communiter Interpretes *in præf.* Bannez 1. *p. q.* 78. *art.* 3. *tract. de Odoratu dubio* 2.

Fundamentum est: quia prædicti

ceſſus mãmillares habent diſpoſitiones requiſitas, vt ſint ſubiectum, ſeu organum odoratus: nam in primis ſunt iuxta cerebrum: deinde ſunt ſpongioſæ, & facilè dilatantur per reſpirationem, & per illius retentionem conſtringuntur, vt ita pateat, vel præcludatur aditus ſpeciebus odoris: præterea nihil in officina odoratus inuenimus, quod maiorem præ ſe ferat aptitudinem ad olfaciendum, quam prædictæ mammillæ: ergo de facto ſunt ſubiectum, ſiue organum odoratus. Oportet autem, quod organum olfactus ſit vnum, ſicut ipſe odoratus vnus eſt, vt conſtat ex ſupra dictis *diſput. 9. quæſt. 4.* ergo prædicti proceſſus mammillares ſunt organum odoratus, non quatenus ſe habent vt plura; ſed quatenus continuantur cum neruis, & vniuntur in vnica, & ſibi communi radice: vnde opus eſt, quod ipſi etiam nerui pertineant ad organum adæquatum odoratus. Videantur quæ diximus *loco citato.*

17 Sed obijcies primo: quia organum odoratus debet eſſe igneum: ergo nec eſt frigidum, & humidum, nec exiſtit iuxta cerebrum: ergo ex eo quod proceſſus mammillares habeant prædictas conditiones, non recte infertur, quod ſint organum odoratus. Vtraque conſequentia cõſtat ex dictis. Antecedens autem videtur expreſſum Ariſt. *libr. de ſenſu & ſenſato*, vbi docet vnumquemque ſenſum vni elemento attribuendum eſſe, *oculi quidem viſiuum aquæ, aëris vero ſonorum ſenſitiuum, ignis autem odoratum.* Vbi D. Th. *lect. 5.* inquit: *Exiſtimandum eſt, quod viſiuum oculi attribuendum ſit aquæ, igni vero odoratiuum.* ¶ Confirmatur: quia viſus, & odoratus debent habere organa diuerſæ rationis, cùm ſint diuerſæ potentiæ, ſed organum viſus eſt aqueum: ergo organum odoratus non eſt aqueum; ac proinde nec erit frigidum, & humidum.

Ad obiectionem negatur antecedens, ad cuius probationem dicendum eſt Ariſtot. non loqui de organo odoratus quatenus eſt in potentia ad percipiendum odorem, ſed quatenus reducitur ad actum ſecundum percipiendi odorem. Ad quod præſtandum, etſi non ſemper deſideretur alteratio præuia facta per calorem, & ſiccitatem; attamen multoties prædicta alteratio eſt ſatis conueniens: eò quod organum odoratus ob affinitatem ad cerebrum, & propter iſtius diſtillationes ſolet eſſe nimis frigidum, & humidum: & ideo oportet, quod per alterationes, ac diſpoſitiones contrarias temperetur. Quam ſolutionem tradit Angel. Doct. *ibid.* his verbis: *Dicendum, quod id, quod eſt odoratus, poteſt accipi dupliciter: vno modo ſecundum potentiam; alio modo ſecundum actum. Et ſic eſt verum, quod hic dicitur: & ideo ſignanter non dixit odoratiuum eſſe ignis, ſicut dixerat ſenſitiuum ſonorũ eſſe aëris, & viſiuum oculi eſſe aquæ, ſed dicit odoratum eſſe ignis. Odoratiuum enim dicitur ſecundum potentiam; ſed odoratus ſecundum actum.* ¶ Confirmationem diluit S. Doct. *loco nuper citato* his verbis: *Dicendum eſt autem, quod organum odoratus eſt aquæ, in quantum aqua eſt potentia calidum, quod eſt ignis: organum autem*

autem visus est aqua, in quantum est perspicua, & per consequens lucida in potentia. Quod satis est, vt visus, & odoratus habeant organa diuersæ rationis.

18 Secundo obijcies: quia organum odoratus debet esse eiusdem rationis in omnibus habentibus odoratum: atqui plura sunt animalia, quæ carent carne illa spongiosa, quam vocamus processus mammillares: ergo prædicti processus mammillares non sunt proprium organum odoratus. ¶ Respondetur, quod licet aliqua animalia careant illa carne spongiosa, habent tamen aliquam partem prædictæ carni similem. Quod sufficit, vt organum odoratus sit eiusdem rationis formaliter in omnibus animalibus: alia quippe diuersitas, quæ iuxta varias animalium species inuenitur, est purè materialis: & nos nomine processuum mammillarium illam partem intelligimus, siue carnea sit, siue alterius materiæ carni similis.

DISPVTATIO XII.

De Gustu.

ORDO istius ad præcedentes disputationes satis liquet ex iis, quæ in eorum introductione diximus. Ex quibus etiam apparet, quod oporteat prius agere de obiecto gustus, quod est sapor, quam de ipso gustu.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit sapor.

OMittimus quæstionem *an est*: quia existentia saporis est satis manifesta. Inuestigamus autem naturam, & species illius, quarum notitia non ita facile occurrit.

§. I.

Deciditur prima quæstionis pars.

1 DIcendum est saporem esse *passionem factam à sicco terrestri in humido aqueo, alteratiuam gustus secundum potentiam in actum.* Ita definit Aristot. saporem *in lib. de sensu, & sensato.* Quam definitionem admittunt D. Thom. *ibid lect.* 10. & communiter Interpretes. Efficacior autem nostræ assertionis probatio in eo sita est, quod prædictæ definitionis verba singillatim explicemus, hinc enim illius bonitas liquidò constabit. Per illam igitur particulam, *passio* significatur saporem esse qualitatem tertiæ speciei, quæ est passio, vel passibilis qualitas. Per illas autem, *factam à sicco terreo in humido aqueo*, duo designantur: primum est saporem esse qualitatem secundam resultantem ex commixtione primarum, & præcipuè ex humido, & sicco. Secundum verò est, facta comparatio inter humiditatem, & siccitatem, sapor illi potius, quam isti attribuendus est: in quo differt ab odore, hic enim potius prouenit ex sicco, quam ex humido. Vnde D. Thom. *supra lect.* 9. sic interpretatur Philosophum: *Dicit autem saporem & odorem esse eandem passionem: quia vtrumque causatur ex permixtione humidi, & sicci secundum aliqualem terminationem à calido. Non tamen vtrumque eorum est omnino in eisdem, quia odor magis sequitur siccum, & ideo principalius est in fumali euaporatione: sapor autem magis sequitur humidum.* Consulto additur, *à sicco terreo, & in humido aqueo:* quia cum sapor pertineat ad nutrimentum animalis, non debet fundari in sicco igneo, nec in humido aëreo, quæ materiam valde tenuem, & euanidam important: sed debet importare siccitatem terræ, & humiditatem aquæ, eò quod elementa hæc magis crassa, ac proinde magis nutrimentalia sunt. Tandem ly *alteratiuam gustus secundum potentiam in actum*, additur ad differentiam odoris & quarundam aliarum passionum, quæ causantur ab humido, & sicco per actionem calidi; quæ tamen non sunt immutatiua gustus, sed aliorum sensuum, vt recte exponit D. Thom. *loco citato.* Ex quibus liquet prædictam definitionem esse legitimam: explicat enim tum conceptum genericum saporis, tum peculiarem differentiam, & specialia principia, per quæ differt ab omni eo, quod non est sapor.

2 Sed obijcies primo: nam id, quod pertinet ad duos ordines diuersos,

uersos, nequit secundum quod ad vtrumque spectat, vnica definitione recte definiri: sed sapor in præsenti definitur sumptus simul in esse rei, & in esse obiecti sensibilis: primum enim significatur per ly *facta ex sicco &c.* secundum vero per ly *alterativa gustus: &c.* ergo hæc definitio nequit esse legitima. ¶ Respondetur negando minorem: quia in præsenti solum definitur sapor sumptus in esse rei. Ad subinductam vero probationem respondemus, quod ly *alterativa gustus* non designat potentiam proximam, sed vim radicalem ad immutandum sensum. Quamvis autem sapor sumptus secundum potentiam proximam ad immutandum sensum, spectet ad ordinem obiecti; attamen secundum potentiam radicalem acceptus pertinet ad genus rei, ac proinde habet rationem vnicæ rei definitæ.

3 Obijcies secundo: quia si sapor humido potius, quam sicco attribueretur; deberet humidum siccum in intentione excedere, siue comprehendere, vt constat ex definitione odoris: consequens est falsum; siquidem dantur aliqui sapores orti ex magna, & valde intensa siccitate, vt videre liquet in pluribus cibis medicinalibus, qui deseruiunt ad medendas ægritudines ex superflua humiditate prouenientes: ergo &c. ¶ Respondetur negando sequelam: quia prædominium humiditatis supra siccitatem in temperamento radicante saporem non consistit in eo, quod illa sit intensior, quam hæc: sed in eo, quod licet siccitas sit æquè, aut magis intensa, quam humiditas; nihilominus sapor potius sequatur ad humiditatem, quam ad siccitatem. Cuius signum est; quod ad perceptionem saporis requiritur vel rem sapidam esse actu humidam, vt vinum, vel esse rem humectabilem, sicut cibus: ad quod deseruit saliua, vel aliquid simile saliuæ in omnibus animalibus. Vnde sicut res fit actu visibilis per lumen; ita sapor fit actu sapidus per humidum: quod satis euincit humiditatem absolutè acceptam esse præcipuam radicem saporis, quidquid sit de intensione illius. Ex quibus etiam liquet, quod etsi alias in esse rei siccum comparetur vt agens, & humidum vt resipiens; & agens sit nobilior patiente: nihilominus si consideretur sub præciso munere radicandi saporem; non sicco, sed humido primatum deferre debemus.

§. II.

Resolutio quæstionis quoad secundam partem.

4 Dicendum est secundò septem esse species saporis, ad quas possunt omnes aliæ reduci nempe dulce, vt reperitur in melle; amarum, vt in absynthio; pingue, vt in medulla; salsum vt in sale; aceto-sum, vt in aceto; austerum, vt in fructibus immaturis; ponticum, vt in limoniis. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 105. vbi D. Thom. *lect.* 21. hæc habet *Determinat de speciebus saporum, & dicit, quod in saporibus simplices sunt dulce, & amarum: species autem saporum habitæ, id est immediatè*

mediatè consequentes simplices species, sunt pingue, quod sequitur dulce, & salsum, quod sequitur amarum: media autem horum sunt acetosum, & austerum, & ponticum. Eandem sententiam amplectuntur Caietanus *in præsenti cap.* 1 c. & alij plures.

Ratio est: quoniam homo inter omnia animalia habet perfectissimum gustum: sed homo percipit septem illas species, & diuersimodè ab eis immutatur: ergo dantur prædictæ septem species saporis: nullus autem sapor est, qui non possit ad illas reduci ob similitudinem, quam habet cum ipsis, vt eodem gustu discernimus: tot ergo, & non plures sunt saporis species. Videatur D. Thom. de sensu, & sensato *lect.* 11. vbi bene obseruat prædictas species solum esse subalternas, sub quibus aliæ plures infimæ comprehenduntur.

5 Sed obijcies cum Galeno 4. simplicium; quia sapor insipidus, qualem sentimus in albugine oui est obiectum gustus, perindeque vera species saporis: ergo dantur aliæ species præter eas quas recensuimus. ¶ Respondetur negando consequentiam: quia sapor insipidus reducitur ad dulce imperfectum, & remissum.

6 Dicendum est tertio species extremas saporis, ad quas omnium aliarum contrarietas reducitur esse dulce, & amarum. Ita Aristot. loco supra citato D. Thom. *ibid. & de sensu, & sensib. lect.* 11. Auerr. *lib. 5. collect. c.* 27. Caiet. *cap.* 19. Iauel. *q.* 27. Tolet. *q.* 2. & alij plures. Probatur ratione: nam ideo, & album, & nigrum constituunt species extremas coloris, ad quas omnium aliorum contrarietas reducitur, quia omnes alij colores resultant ex commixtione albi, & nigri sumptorum vel secundum se, vel secundum suas causas: atqui omnium saporum differentiæ generantur ex permixtione dulcis, & amari sumptorum vel secundum se, vel secundum suas causas, nempe primas qualitates, ex quibus resultant, vt ipsa experientia suadet: ergo dulce, & amarum sunt species extremæ saporis.

7 Obijcies primo: nam extrema sensibilia lædunt sensum: at dulce, quantumuis intensum, non lædit sensum, sed magis oblectat: ergo non est sapor extremus. ¶ Respondetur negando minorem: quia sapor nimis dulcis potest excedere proportionem sensus, eique nocumentum inferre: vnde frequenter ingenerat fastidium. Quod si aliqui hoc non reportant, est quia eorum gustus habet sufficientem proportionem cum sapore adeo intenso, sicut aquilarum oculi cum solis luce.

8 Secundo obijcies: quoniam illæ sunt species extremæ saporis, quæ magis accedunt ad primas qualitates extremè oppositas: at hoc non conuenit dulci, & amaro; sed magis sapori acuto, & pontico; siquidem ille causatur ex vehementi calido subtili, iste vero ex vehemente frigido grosso, vt Medici communiter docent: ergo &c.

Respondetur cum D. Thom. *in hoc lib. lect.* 21. vbi ait: *Considerandum est autem circa has species, quod quamuis sapores causentur à calido, & frigido, & humido, & sicco, & contraria*

traria sint, quæ maximè distant: non tamen secundum maximam distantiam calidi, & frigidi, & humidi, & sicci attenditur contrarietas in speciebus saporum; sed secundum ordinem ad gustum, prout natus est immutari à sapore, vel cum horrore, vel cum suauitate. Vnde non est necessarium, quod dulce, vel amarum sit maxime vel calidum, vel frigidum, vel siccum; sed maxime se habeat in tali dispositione, per quam comparatur ad sensum gustus. Itaque contrarietas, quæ attenditur penes frigidum, & calidum, est contrarietas purè subiectiua, & præsuppositiuè se habens ad saporem, vt sapor est: posterior vero, quæ sumitur penes modos extreme oppositos immutandi gustum, est contrarietas pertinens formaliter, & per se ad lineam saporis. Et ratio est; quoniam sicut albedo modo procedit à frigido, vt in niue; modo vero à calido, vt in calce: ex quo satis euincitur contrarietatem extremam inter albedinem, & nigredinem non fore desumendam ex calido, & frigido, quæ contingenter se habent ad ipsas; sed ex modo extremè opposito immutandi visum. Ita amaritudo quandoque prouenit ex calore, vt in oppio; quandoque autem ex frigiditate vt in radice peponis. Quamobrem non ex oppositione inter primas qualitates, quæ supponuntur ad sapores, horum extrema contrarietas venanda est: sed ex diuerso modo, quo comparantur ad gustum.

QVÆSTIO II.

Quod sit medium, & subiectum gustus.

PRo intelligentia prioris difficultatis, animaduertendum est duplex dari medium; aliud videlicet extrinsecum, siue extraneum, quod non est pars, nec pertinet intrinsecè ad animal sentiens, vti se habet aër ad sensum visus. Aliud medium est intraneum, siue coniunctum, illud nimirum, quod est pars animalis medians inter sensum, & obiectum illius, quo pacto se habet caro ad sensum tactus: mediat enim inter ipsum, & obiectum tangibile. His suppositis,

§. I.

Respondetur primæ parti quæstionis.

9 DIcendum est primo medium gustus non esse extrinsecum, sed intraneum, nempe illam partem, qua tegitur neruus gustatorius. Ita Aristot. *in hoc lib. text. 101.* vbi etiam D. Thom. *lect. 21.* Quos sequuntur communiter Philosophi. Probatur ratione: quia ita proportionabiliter se habet gustus ad suum obiectum, sicut tactus ad suum: isti enim sensus sunt satis affines in materialitate, ac proinde in modo percipiendi sua obiecta:

at medium tactus non est aliquid extraneum, sed quid coniunctum, nempe caro: ergo idem de gustu dicendum est. ¶ Confirmatur: quia, vt experientia liquet, non indigemus medio externo ad percipiendum sapores; sed eos sentimus, quamvis linguam immediatè attingant: ergo medium gustus non est extraneum, sed coniunctum.

10 Obijcies primo: nam gustus sentit saporem aliquantulum distantem; si enim aquæ infundatur aliquid mellis, percipimus illius saporem, etsi gustum melli non applicemus; sed partibus aquæ distantioribus: ergo medium gustus non est determinate aliquid intraneum. ¶ Respondetur negando antecedens: quia in prædicto casu tota aqua imbibit saporem mellis, & non sentimus mel, vel partes aquæ remotas; sed illas, quibus lingua tangitur immediatè.

11 Obijcies secundo: quoniam inter saporem, & gustum mediat saliua: sed hæc est corpus extraneum, & omnino diuersum ab animali: ergo medium gustus est extrinsecum, & separatum. ¶ Respondetur saliuam non esse medium gustus: sed esse quasi condimentum, quo omnes sapores disponuntur, vt sentiantur.

12 Obijcies tertio: quia caro est medium tactus: ergo si caro est etiam medium gustus, sequitur hos sensus habere idem medium, ac proinde non esse sensus realiter diuersos. ¶ Respondetur negando consequentiam. Primo quia vt docent D. Thom. *Manifestum est, quod sapor, qui est obiectum gustus, non est aliqua qualitas de qualitatibus simplicium corporum, ex quibus animal constituitur, quæ sunt propria obiecta sensus tactus; sed causatur ab eis, & fundatur in aliquo eorum, sicut in materia, scilicet in humido. Vnde manifestum est, quod gustus non est idem, quod sensus tactus.* Secundo quia, vt tradit idem D. Thom. *lect.* 22. *Sentimus per linguam omnia tangibilia, quæ sentimus per alias partes corporis, & vlterius per ipsam sentimus saporem, quem non sentimus per aliquam aliam partem corporis. Vnde apparet, quod gustus, & tactus sunt duo sensus. quia non conuertuntur adinuicem: non enim per quamcumque partem fit sensus tactus, fit & gustûs.* Identitas autem illa medij nihil obest ad hanc distinctionem; sicut nec refert ad diuersitatem visus, & auditus, quod per eundem aërem sua obiecta percipiant: quia cum illa identitate materiali stat formalis distinctio; siquidem gustus habet pro medio carnem, vt prius saliua humectandam, à quo tamen abstrahit tactus.

§. II.

Satisfit secundæ difficultati.

VT secundam difficultatem dubij absoluamus, supponendum est cum Aristot. *lib. de sensu, & sensato*, & D. Thom. *ibid. lect.* 5. organum proprium gustus debere esse siccum. Tum, quia sensus est in potentia illud, quod eius obiectum est in actu: sapor autem est actu humidus: vnde organum gustus debet

debet esse humidum in potentia, ac proinde siccum in actu. Tum etiam, quia priusquam gustus percipiat saporem, debet illius organum humectari, vt experientia constat: hoc autem satis indicat organum gustus esse de se siccum in actu, & humidum solum in potentia. Quo supposito,

13 Dicendum est secundo organum gustus esse linguam secundum quendam neruum mollem à cerebro descendentem, & per ipsam sparsum: ita vt licet præcipuè vis gustatoria vigeat in cuspide linguæ, se etiam extendat vsque ad palatum. Hanc docent Aristot. *cap.* 11. *de historia animal. & lib.* 4. *de partibus animal.* D. Thom. *opusc.* 43. & communiter omnes Philosophi. Fundamentum præcipuum assertionis innititur experientiæ; nam sapor applicatus linguæ sentitur; & si applicetur cuspidi linguæ melius gustatur; ac tandem cum cibus deuoluitur ad radicem linguæ, etiam ibi sentitur, quamvis non ita delectet: cum autem caro linguæ non sit organum, sed medium; sequitur rationem organi conuenire neruo sub carne sparso, vel linguæ ratione prædicti nerui.

14 Obijcies: quoniam saliua plurimum ad gustandum deseruit, vt docet Aristot. *in hoc lib. cap.* 10. sed saliua præcipuè abundat in radice linguæ, non in cuspide: ergo gustus non in cuspide, sed in radice linguæ debet vigere. ¶ Confirmatur: quia organum gustus est neruus gustatorius: sed prædictus neruus est maior in radice, quam in culmine linguæ: ergo ibi habet majorem vim ad gustandum.

Respondetur obiectioni negando consequentiam: quia licet saliua disponat ad perceptionem saporis; nihilominus non ibi debet magis vigere gustus, vbi major saliuæ copia redundat: nam ipsa nimia copia humiditatis gustum obtundit, impeditque, ne ita perfecte gustet. ¶ Ad confirmationem etiam negamus consequentiam: nam magnitudo organi solum conducit ad perfectiorem perceptionem obiecti, quando cætera sunt paria, quod in præsenti non contingit: quia neruus gustatorius in cuspide linguæ est meliùs attemperatus, quam in radice, vbi præ nimia copia saliuæ aliquo modo hebetatur.

DISPVTATIO XIII.

De Tactu.

VLTIMVM locum damus tactui, quia inter omnes sensus imperfectior est. Obiectum autem tactus supponimus esse primas qualitates, vt calorem, & aliquas secundas, vt duritiam, quarum differentia habetur ex dictis *in lib. de Generat.* Vnde in præsenti alia, quæ nouam difficultatem importent, tractanda sunt.

QVÆSTIO I.

Quænam qualitas sentiatur per tactum.

PLures qualitates interueniunt, cum exercetur sensatio per tactum: nam in primis ipsum organum tactus disponitur per primas qualitates ex se tangibiles, quibus præparatur ad recipiendum prædictum sensum. Deinde cum tangit, solet nouas alias qualitates recipere, vel saltem maiorem aliquam intensionem: & ita quando tangit calidum, calefit. Præterea ex parte obiecti tangibilis etiam reperiuntur qualitates; siquidem in calido inuenitur calor, & in frigido frigiditas, & sic de alijs. Dubium ergo est: an tactus solum percipiat qualitatem existentem in obiecto, quod est manifestum, & ab omnibus admittitur; an vero percipiat illam, quæ existit, & recipitur in ipso organo; an denique ambas.

§. I.

Communis sententia duabus assertionibus explicatur.

1 DIcendum est primo qualitatem tangibilem organo inhærentem non sentiri ab illa parte cui immediatè inhæret. Ita Aristot. & D. Thom. locis supra citatis *disp. 8. quæst. 2.* quos sequuntur Doctores ibidem relati, & alij plures. Et ratio fundamentalis desumitur ex his, quæ in prædicto loco statuimus:

tuimus: quoniam intimius conjungitur sensui, ipsumque immediatius afficit sensibile inhærens; quam sensibile contiguum, siue immediate positum supra sensum, vt ex se liquet: at sensibile positum supra sensum non sentitur, sed impedit sensationem: ergo idem à fortiori dicendum est de sensibili sensui inhærenti: qualitas ergo tangibilis non sentitur ab illa parte organi, cui inhæret.

2 Secundo probatur alia ratione: quoniam qualitas tangibilis debet prius immutare physice organum tactus, quam immutet intentionaliter, vt infra ostendemus *num.* 14. sed qualitas inhærens nequit immutare physice partem, quam immediate afficit: nam calor v. g. vt duo, nequit in eadem parte producere calorem vt duo, ne duo accidentia solo numero diuersa inueniantur simul in eodem subiecto: nec valet producere calorem vt tres, alias ageret vltra suam virtutem; nec denique potest efficere calorem, vt vnum, cùm subiectum supponatur calidum vt duo: ergo non valet immutare intentionaliter partem cui inest, ac proinde non poterit per illam sentiri.

3 Dicendum est secundo qualitatem tangibilem inhærentem vni parti organi posse sentiri per aliam partem organi aliquantulum distantē. Hæc assertio apertè colligitur ex his, quæ in loco supra cit. diximus, in hac etiam *disput.* statuemus; admittiturque communiter à Doctoribus, quos proinde non referimus. Fundamentum est: quoniam ad sensationem tactus solum desideratur, quod obiectum tangibile sit magis intensum, quàm qualitates se tenentes ex parte tactus, & ei debitè approximetur, & quod detur aliquod medium internum, ac denique quod præcedat aliqua immutatio physica: at sic est, quod omnes eæ conditiones possunt interuenire in casu assertionis: ergo &c. Major est certa: quoniam hoc ipso, quod adsint omnes illæ conditiones, obiectum immutat intentionaliter; nec enim apparet, quid amplius desideretur: sed ad immutationem intentionalem sequitur sensatio: ergo illæ conditiones sufficiunt ad sensationem tactus. Minor etiam liquet: quia calor v. g. inhærens vni parti organi, est eiusdem rationis cum calore externo, quod est obiectum tangibile: deinde potest esse intensior, quam calor existens in alia parte distanti: præterea valet illi parti debite applicari non minus ac obiectum extrinsecum: porrò inter vtramque partem mediat aliquid intrinsecum, cùm sint aliquantulum distantes: tandem potest dari alteratio physica; siquidem vna pars est intensior alia: ergo omnes conditiones ad sensationem tactus desideratæ possunt in casu assertionis interuenire: potest igitur qualitas existens in vna parte organi sentiri per aliam eiusdem organi partem.

§. II.

Diluuntur argumenta contraria.

4 VAlles. *lib. 2. controuers. medic. capit. penultim.* & Tolet. 3. *huius operis capit. 2.* asserunt absolute qualitatem inhærentem organo tactus posse ab eodem, & secundum eandem partem sentiri. Quod probant primo: nam si corpus poneretur iuxta solem, sentiret calorem, imo & dolorem, & distemperamentum: sed non sentiret calorem solis; quandoquidem sol non est formaliter calidus, sed tantum virtualiter, & nullus sensus percipit nisi illud, quod formaliter participat rationem sui obiecti: ergo tactus solùm sentiret calorem formalem in suo organo residentem & à sole impressum. ¶ Confirmatur: quia febricitantes sentiunt calorem febris: sed prædictus calor inhæret tactui: ergo qualitas inhærens organo tactus valet ab illo sentiri.

Respondetur obiectioni negando consequentiam intellectam in sensu, quem Auctores illi intendunt: quia licet tactus in prædicto casu non perciperet calorem inhærentem soli, sed ipsi animali: nihilominus ex hoc non concluditur, quod perciperet ipsum calorem secundum illam partem, quæ immediate afficeretur: quia essent alia plura, quæ habeant calorem formalem, & valeant per tactum sentiri: Nam in primis ex partibus ipsius organi quædam essent magis calidæ, videlicet proximiores soli; quædam vero minus, nempe remotiores ab illo: vnde istæ possent alterari per illas, & consequenter sentirent calorem. Deinde sanguis nutrimentalis, qui per totum fere animal dispergitur, non est pars eius, neque pertinet ad organum tactus: prædictus autem sanguis esset formaliter calidus; ac proinde posset per tactum sentiri, quin recurramus ad calorem inhærentem vel soli, vel organo tactus. Tandem caro non est organum tactus, vt infra ostendemus: hæc autem esset immediatior soli, quam tactus, ac proinde reciperet majorem calorem: vnde optime posset tum physice, tum intentionaliter tactum immutare. Per quæ dissoluitur confirmatio: quia habet eandem fere difficultatem.

5 Secundo arguitur: quia calor existens in manu est eiusdem rationis cum eo, qui existit in obiecto externo tangibili: & alias est magis conjunctus; cùm inhæreat, alter vero solum sit contiguus: ergo sentitur, & melius sentitur. Probatur consequentia: quia in sensibus petentibus conjunctionem physicam cum obiecto, *nequit* major conjunctio impedire; sed potius debet juuare ad perfectiorem sensationem. ¶ Respondetur negando consequentiam: quoniam licet in tactu requiratur conjunctio physica cum obiecto; hæc tamen debet esse talis rationis, vt non impediat transmutationem physicam, quæ prærequiritur ad sensationem. Nulla autem

autem qualitas valet physice agere circa partem illam, quam immediate afficit; & ideo nequit ab illa sentiri; quamvis aliàs sit obiectum per se tangibile, & sentiatur per alias partes.

6 Aduersus secundam conclusionem potest opponi, quod si vna pars interna posset sentiri per aliam, esset animal in continua sensatione; siquidem applicatio obiecti, nempe partis ad partem continuò duraret: consequens est absurdum, & experientiæ contrarium: ergo qualitas existens in vna parte organi: nequit sentiri per aliam eiusdem organi partem. ¶ Respondetur negando sequelam: quia licet conjunctio, siue applicatio partis ad partem esset continua; tamen ipsa sola non sufficit ad sensationem; sed insuper obiectum, quod sentitur, debet esse intensius: quod tamen non semper contingit in prædictis partibus, quippe quæ frequenter possunt habere calorem æqualem. Multoties vero fiet prædicta sensatio, quin aduertamus, vel experiamur contrarium, eò quod vel sensatio est valde remissa, vel attendimus ad alia.

QVÆSTIO II.

An tactus percipiat solas excellentias obiecti?

EX dictis *quæstione præcedenti*, constat posse tactum sentire qualitatem tangibilem se tenentem ex parte obiecti debite applicati. Sed quia ex parte organi tactus solent inueniri qualitates eiusdem rationis cum illis, quæ se tenent ex parte obiecti; dubium est, vtrum tactus percipiat qualitates obiecti solùm quoad gradus magis intensos, in quibus supereminent qualitates ipsius tactus; an vero etiam percipiat gradus æquales, vel etiam inferiores. Quod in præsenti determinandum est.

§. I.

Asseritur sententia Aristot. & D. Thomæ.

7 DIcendum est tactum solùm sentire exuperantias, siue excellentias obiecti, non vero gradus æquales, aut inferiores. Ita Philosophus *in hoc libro textu* 117. D. Thom. *ibidem, lect.* 23. vbi ait: *Non enim sentimus id, quod est calidum, aut frigidum, durum, aut molle, secundum illum modum, quo hæc insunt organo tactus: sed sentimus excellentias*

excellentias tangibilium, quasi organo tactus constituto in aliqua medietate inter contrarias tangibiles qualitates. Idem docent Flandria, Caietanus, Rubio *in præsenti*, & alij plures.

Probatur ratione: quia organum tactus debet esse in potentia ad qualitates tangibiles, quas percepturum est; siquidem patitur ab illis, & vnumquodque patitur, secundum quod est in potentia: at sic est, quod organum tactus non est in potentia ad gradus æquales, vel inferiores, ac sunt illi, qui in eodem organo præexistent: ergo non potest sentire prædictos gradus, sed solas exuperantias obiecti. ¶ Confirmatur primo: quia ad immutationem intentionalem tactus requiritur, quod præuiè immutetur physicè: sed nequit organum tactus immutari physicè ab obiecto eiusdem vel inferioris virtutis: & insuper debet carere illa forma, quam recipit vt statuimus *in lib. de Generatione, disput. 8. quæst. 1.* ergo tactus nequit percipere illos gradus qualitatis, qui præexistunt in organo ipsius. ¶ Confirmatur secundo ab experientijs manifestis; etenim manus magis calida non percipit minorem calorem alterius, sed majus frigus illius: & quæ est magis mollis, non sentit alterius mollitudinem, sed solùm majorem eius duritiem: ergo signum est, quod tactus non percipit obiectum quoad gradus æquales, aut inferiores, sub quibus organum tactus præexistit, sed solum quoad excellentias, siue exuperantias, ad quas est in potentia physica.

Quæ omnia optime explicuit D. Thom. *lect. cit.* vbi postquam statuit organum, quod debet sentire aliquod sensibile, esse in potentia ad illud, statim adjecit. *Aliter tamen accidit hoc circa tactum, & circa alios sensus: nam in visu organum visus est in potentia ad album, & nigrum, denudatum à toto genere albi, & nigri: est enim pœnitus carens colore. Sed organum, & medium tactus non potest denudari à toto genere calidi, & frigidi, humidi, & sicci: componitur enim ex elementis, quarum hæ sunt propriæ qualitates: sed sic est in potentia organum tactus ad sua obiecta, in quantum est medium inter contraria. Medium autem est in potentia ad extrema: & propter hoc quantò animal habet complexionem magis reductam ad medium, tantò habet meliorem tactum: vnde homo inter alia animalia est melioris tactus.*

8 Dices: organum gustus est actu sapidum: & tamen est in potentia ad percipiendum omnes sapores: ergo non rectè asserimus tactum; & quemlibet sensum debere esse in potentia ad illas rationes, aut gradus sensibiles, quæ percepturi sunt. ¶ Respondetur negando majorem intellectam de organo gustus, quatenus organum est: quia lingua non est organum gustus secundum se totam, sed solùm secundum illum neruum qui per ipsam sparsus est. Prædictus autem neruus omni sapore est denudatus; licet aliæ partes linguæ saporosæ sint. Si autem eandem replicam applices medio gustus, quod pariter deberet carere omni sapore; cùm sit in potentia,

vt

vt immutetur per omnes sapores: quod tamen falsum est: cùm caro, quæ habet rationem medij saporosa sit. Hoc, inquam, si opponas, facile diluitur: quia medium proprium, & per se desideratum ad gustum non est tota caro supra neruum posita; sed pellicula quædam valde subtilis, qua immediate obtegitur neruus gustatorius. Prædicta autē pellicula expers est omnis saporis; quamvis id gustu omnino conuinci non possit; cum nunquam ita denudetur, quin secum nonnihil carnis trahat: sed rationes à nobis factæ veritatem huius doctrinæ maxime euincunt.

§. II.

Refertur duplex sententia contraria.

9. COntra nostram assertionem duæ sunt sententiæ, quarum prima vniuersaliter docet, quascumque qualitates tangibiles posse sentiri per tactum non solum quoad excellentias; sed etiam quoad gradus omnes, etiam si æquales vel inferiores sint respectu illorum, qui se tenent ex parte organi. Hæc defenditur ab aliquibus junioribus, quos refert Rubio *in præs. q.* 4. & potest suaderi primo: quoniam obiectum sensibile habet rationem agentis naturalis: sed agens naturale agit quantum potest: ergo qualitas tangibilis immutat tactum secundum omnes gradus, quos in se habet; & consequenter tactus percipiet prædictam qualitatem non solùm quoad gradus superiores, verum etiam quoad æquales, & inferiores.

Respondetur negando consequētiam: quia agens naturale agit, quantum potest, sed iuxta dispositionem subiecti: hoc est agit illud, quod potest passum recipere, & non amplius. Cùm autem passum recipiat secundum quod est in potentia; tactus autem non sit in potentia, nisi ad excellentias obiecti; quippe qui respectu cæterorum graduum æqualium, & inferiorum præsupponitur in actu: consequens est, vt obiectum tangibile solùm producat speciem repræsentantem ipsum obiectum, quatenus stat sub gradibus superioribus, non vero sub inferioribus, vel æqualibus.

10 Arguitur secundo: quia si tactus solùm perciperet excellentias obiecti non autem omnes gradus se tenentes ex parte illius; sequeretur, quod tactus discerneret, & præscinderet inter ea, quæ adunata sunt à parte rei: sed hoc excedit facultatem sensitiuam, & est proprium intellectus: ergo tactus non solùm percipit excellentias, sed etiam omnes gradus tangibiles, quos re ipsa habet obiectum.

Respondetur negando sequelam: quia vt aliqua potentia dicatur propriè præscindere vnam rationem ab alia, & inter vtramque discernere; necessarium est vnam, & alteram sub obiecto potentiæ contineri, & esse ab illa proxime attingibilem. Vbi enim vna ratio est attingibilis, secus vero altera; quod vna attingatur, alia non attacta, non est proprie loquendo discretio, vel positiua

positiua præcisio : sed solùm est attingentia obiecti proprij, & non attingentia alterius, quod proprium non est. Id, quod liquet exemplo: nam ex parte pomi v.g. color, & sapor conjunguntur : & tamen gustus percipit saporem, secus vero colorem ; quin propter hoc dicatur proprie discernere, vel præscindere: quia videlicet ex illis rationibus solus sapor pertinet ad gustum, non autem color, qui proinde eodem modo se habet in ordine ad gustum, ac si in pomo non esset. Cùm ergo obiectum proxime tangibile non sit omnis gradus, qui in esse rei se tenet ex parte obiecti ; sed solùm gradus excellentior, vt constat ex supra dictis : fit vt licet tactus percipiat hunc gradum, non vero alios ; neutiquam dicatur præscindere, vel discernere: quia à gradibus inferioribus abstrahit purè negatiuè, & per non attingentiam eorum.

11 Arguitur tertio: quia si tactus solum percipit excellentias obiecti, nullus tactus poterit attingere calidum vt vnum, quãdoquidem nullus est tactus, qui ex parte organi non importet calorem, saltem vt vnum : consequens est falsum ; nam calidum vt vnum est objectum per se tangibile, ac proinde debet dari tactus, qui ipsum queat percipere : ergo &c.

Respondetur calidum vt vnum importare duo, videlicet calorem, qui se habet per modum formæ, & tantitatem, seu determinationem, quæ est modus caloris. Calidum ergo vt vnum acceptum ex parte formæ semper est per se tangibile, quia calor secundùm se tangibilis est : at consideratus ex parte tantitatis fit per accidens intangibilis, eò quod calor vt redactus ad modum intentionis adeo remissum, non excedit dispositiones tactus : quod necessarium est, vt valeat ipsum tùm physice, tùm intentionaliter immutare. Quod potest declarari exemplo materiæ primæ, si existeret sub minima quantitate : nam materia, quantum est de se, & ex proprijs prædicamentis, valeret optime recipere formas substantiales : quæ tamen capacitas non posset reduci ad exercitium ex suppositione essendi sub quantitate minima : sed quia hæc suppositio est per accidens, semper materia diceretur receptiua formarum. Idem ergo in casu argumenti proportionabiliter dicendum est.

12 Secunda opinio negat cum vera sententia posse primas qualitates sentiri per tactum quoad omnes gradus : asserit tamen qualitates secundas, vtputa duritiem, & mollitudinem posse quoad omnes prædictos gradus per tactum percipi. Ita Murcia *in præs. disp.* 10. *quæst.* 2. Mouetur *primo*, quia frequenter contingit habentem manum magis mollem percipere minorem mollitudinem manus alienæ : ergo in his qualitatibus secundis non requiritur excessus ex parte obiecti. *Secundo :* nam ideo esset necessarius prædictus excessus, quia obiectum tangibile prius immutat physice, quam intentionaliter, & ad immutationem physicam requiritur proportio majoris inæqualitatis : at sic est, quod hæc ratio corruit in secundis

qualita

qualitatibus; eæ quippe sentiuntur absque vlla immutatione physica, cùm expertes sint omnis actiuitatis physicæ, & naturalis: ergo tactus percipit qualitates secundas nedùm quoad gradus excellentes, sed etiam quoad omnes, quamvis inferiores sint.

Sed motiua hæc satis læuia sunt. Ad primum negandum est quod manus mollior percipiat mollitudinem alterius; solùm enim sentit majorem duritiem: ex quo tamen excitatur intellectus ad judicandum, quæ manus sit minus mollis. Secundum etiam parum premit: quia licet in qualitatibus secundis non vrgeret illa ratio, quam in prima confirmatione expendimus, & militat in primis qualitatibus; perstat tamen primæ principale fundamentum nostræ assertionis. Nam organum sensus debet esse in potentia obiectum tangibile, ac proinde debet actu carere illa ratione, & gradu, quæ percepturum est; quid. quid sit an aliqua immutatio physica debeat præcedere immutationem intentionalem: vt patet in visu, qui hac ratione caret omni colore, licet hic non immutet physice visum. Quamobrem tactus solùm est in potentia ad sentiendum illud tangibile, ad quod in esse physico est in potentia: siue qualitas sit prima, siue secunda, & siue præuiè immutet physice, siue non. Alia huius argumenti solutio apparebit ex his, quæ statim dicemus.

QVÆSTIO III.

Quomodo tactus immutetur intentionaliter ab obiecto?

13 SEnsus tituli est vtrum ad hoc vt tactus immutetur intentionaliter ab obiecto, debeat prius pati ab eodem per immutationem naturalem; an vero possit independenter ab hac immutatione illam subire. Pro cuius resolutione obserua qualitates tangibiles alias esse primas v. g. calorem, & frigiditatem; quasdam vero esse secundas, vt duritiem, & alias, quæ primas supponunt, & ex illis resultant. Quæ non in eo differunt, vt quidam autumant, quod qualitates primæ sint principium actionis physicæ, qualitates vero secundæ sint omnis actionis naturalis expertes. Hæc quippe differentia falso nititur fundamento: nam etiam secundæ qualitates producunt aliquos effectus physicos: durum enim contrectatum exasperat manum; & effectum contrarium præstat molle, dùm contrectatur. Sed diuersitas in eo consistit, quod qualitas prima producit effectum sibi similem in specie vt calor calorem; qualitas autem secunda non producit aliam eiusdem rationis, vt sapor saporem; sed quandam qualitatem innominatam, vt patet exemplis modo adductis. Vnde cùm solet dici quali-

tates secundas non esse actiuas, vel intelligendum est de actiuitate se explicante in effectus eiusdem rationis, vel de qualitate secunda sumpta præcise secundum conceptum genericum qualitatis secundæ: nam ex vi istius non omnes petunt esse actiuæ naturaliter: aliquæ enim dantur huius actiuitatis expertes. Cum quo tamen recte stat, vt plures qualitates secundæ sint actiuæ.

§. I.

Explicatur difficultas secundum mentem D. Thom.

14 Dicendum est primo tactum non immutari intentionaliter ab obiecto, nisi prius ab eodem naturaliter immutetur. Hanc docet Angelic. Præceptor, *quæstione vnica de Anima, art. 3. & prima parte quæstione 78. art. 3. in corp. & in solutione ad 4.* vbi hæc habet: *Secundum rationem diuersam immutationis distinguitur gustus à tactu: nam tactus immutatur naturali immutatione, & non solùm spirituali quantum ad organum suum secundum qualitatem, quæ ei proprie obijcitur: gustus autem organum non immutatur de necessitate naturali immutatione secundum qualitatem, quæ ei proprie obijcitur, vt scilicet lingua fiat dulcis, vel amara, sed secundum præambulam qualitatem, in qua fundatur sapor, scilicet secundum humorem qui est obiectum tactus.* Vnde hanc sententiam docent communiter Thomistæ Caiet. Ripa, & Bañez *loc. cit.* ex prima parte, & alij plures etiam ex extraneis.

Probatur ratione D. Thom. quæ potest ad hanc formam reduci: quoniam tactus est materialior inter omnes sensus: ergo petit immutari ab obiecto immutatione nedùm intentionali, sed etiam physica. Antecedens est certum. Consequentia autem suadetur hoc discursu: nam visus, quia est omnium sensuum immaterialior, nullam petit immutationem physicam, neque ex parte organi, neque ex parte objecti. Auditus vero, quia est minus perfectus, postulat aliquam immutationem physicam, non quidem ex parte organi, sed ex parte obiecti, & omnium minimam, nempe transmutationem secundum locum, quæ corporibus etiam cœlestibus conuenit. Odoratus autem, qui adhuc magis à perfectione declinat, petit immutationem physicam ex parte obiecti, & magis materialem, quam præcedens: quoniam ad hoc, vt res odorifera spiret odorem, petitur alteratio facta per calorem. Deinde gustus, quia est imperfectior odoratu, petit immutationem physicam: non solum ex parte obiecti; sed etiam organi: quia tamen non est omnium sensuum imperfectissimus, prædicta immutatio physica non fit ab illa qualitate physica, quæ directe obijcitur gustui, sed fit per aliam qualitatem præambulam, videlicet per humiditatem, quæ non est obiectum gustus, sed tactus. Cum ergo tactus sit omnium sensuum materialissimus, & imperfectissimus, debet ad

suam

ſuam ſenſationem exigere immutationem phyſicam non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte organi; & factam non ſolum per aliquam qualitatem præambulam, ſed etiam per illam, quæ directe obijcitur tactui.

Confirmatur: quia tactus debet eodem modo formali, & per ſe percipere omnia ſua obiecta; cum non ſpecificetur ab eis materialiter acceptis, ſed magis à modo tendendi in illa: at ſic eſt, quod tactus percipit per ſe aliqua obiecta, nempe qualitates primas; media immutatione phyſica: ergo media eadem immutatione debet etiam attingere qualitates ſecundas, & conſequenter omnia obiecta. Suadetur minor: quia ita ſe habet immutatio naturalis ad ſenſationem, ſicut major immutatio naturalis ad majorem, ſiue intenſiorem ſenſationem: ſed ad majorem ſenſationem caloris v. g. conducit, & deſideratur major immutatio phyſica: ſi enim per flammam ignis manus moueatur velociter, parum caloris ſentit; ſi vero manus tardè moueatur, ſentitur major calor; & ſi nullo modo moueatur, multò majorem calorem experietur; quæ diuerſitas nequit aliunde prouenire, niſi ex eo, quod manus in primo caſu parum calefit, magis vero in ſecundo, & multo magis in tertio: ergo major immutatio phyſica conducit, & deſideratur per ſe ad majorem, ac intenſiorem ſenſationem.

15 Sed contra fundamentum noſtræ aſſertionis obijcies: nam diuerſitas ſenſuum deſumitur ex diuerſo modo immutationis intentionalis, non vero materialis, ſeu phyſicæ, quia ſenſus eleuantur ſupra ordinem phyſicum, & ingrediuntur ordinem quaſi ſpiritualem: ergo ex eo, quod ſenſus habeant diuerſum modum immutationis intentionalis, non rectè infertur, quod debeant diuerſo modo phyſico immutari. ¶ Reſpondetur, quod licet ſenſus non diſtinguantur per ſe primo, niſi penes immutationem intentionalem; nihilominus connotant diuerſas immutationes materiales; ex quibus tanquam à ſigno, optime colligimus diuerſam ſenſuum perfectionem, vt patet ex diſcurſu, quem in illa ratione expendimus.

16 Obijcies deinde aduerſus confirmationem: quia ſi ad perfectiorem immutationem intentionalem requiritur perfectior immutatio phyſica; ſequitur, quod manus non valeat ſentire calorem vehementiſſimum v. g. vt octo, niſi prius phyſicè recipiat tot gradus caloris; id enim poſtulat proportio à nobis intenta: conſequens eſt falſum; ſiquidem ſtatim ac aliquis ponit manum ſupra ferrum candens, ſentit vehementiſſimum calorem, quem tamen in ſpatio adeo breui nequit phyſicè recipere: ergo &c.

Reſpondetur negando ſequelam: quia licet ad immutationem intentionalem perfectiorem ſupponatur major immutatio phyſica; nihilominus non deſideratur, quod habeant omnimodam correſpondentiam in gradibus, ita vt ſit neceſſaria receptio phyſica caloris vt octo ad ſentiendum tantundem caloris. Et ratio eſt: nam licet tactus ob ſuam ma-

terialitatem nequeat absolui ab immutatione physica, & ab aliqua proportione inter suam sensationem, & immutationem illam; nihilominus quia elevatur aliquo modo supra materiam, & immutationem pure materialem, petit in sua sensatione non habere omnimodam commensurationem ad immutationem physicam. Vnde ad sensationem vt octo, non requiritur immutatio naturalis vt octo, nec datur totalis correspondentia: sed requiritur major immutatio physica, quam ad alias sensationes.

§. II.

Diluuntur fundamenta opposita.

17 RVbio *in hoc lib. tract. de sensu tactus qu.* 3. docet ad immutationem intentionalem tactus non requiri immutationem eius physicam; sed sufficere contactum realem ad obiectum. Quæ opinio potest suaderi primo: quoniam qualitates secundæ sunt per se tangibiles: & tamen non sunt physicè actiuæ: ergo possunt immutare intentionaliter tactum, quin ipsum physicè immutent, sed solum ipsi applicentur, & realiter coniungantur. ¶ Sed hoc fundamentum enerauimus à principio quæstionis, vbi ostendimus qualitates secundas tangibiles esse simul actiuas: vnde superfluit alia responsio.

18 Secundo arguitur: quia obiectum tangibile producit species intentionales in instanti, ac proinde instantanee sentitur: in illo quippe vltimo instanti motus applicationis corporis tangibilis, in quo verificatur, *nunc non mouetur*, verificatur, *nunc tangitur*: at sic est, quod immutatio physica nequit fieri in instanti; cum sit verus motus physicus: ergo ad sensationem tactus non præsupponitur immutatio Physica, sed potius eam præsupponit. ¶ Respondetur negando majorem: quia immutatio intentationalis tactus dependet ab immutatione physica eiusdem, & cum illa proportionatur, vt hactenus diximus: vnde sicut immutatio physica fit successiuè ita etiam sensatio successiuè exercetur: ac proinde sicut verificatur, *tactus physicè successiuè mouetur*, ita etiam verificatur, *tactus successiuè tangit, & sentit*. Neque ad oppositum valet argumentum desumptum ab aliis sensibus: nam in tactu, vtpote omnium materialissimo vrget specialis ratio.

19 Tertio arguitur: quia tactus non est vnus secundum speciem, sed plures: ergo ex eo, quod sensus attingens primas qualitates immutetur physicè, priusquam sentiat, non infertur idem asserendum esse de tactu attingente secundas qualitates. Antecedens probatur tum auctoritate Aristot. *in hoc lib. cap.* 108. vbi id videtur docere: tum ratione, quia vt ibid. arguit D. Thom. *lect.* 22. *Omnis vnus sensus videtur esse vnius contrarietatis, sicut visus albi, & nigri, auditus acuti, & grauis, gustus amari, & dulcis: sed in tangibili, quod est obiectum tactus, sunt multæ contrarietates, scilicet calidum, & frigidum, humidum & siccum, durum, & molle, & quædam huiusmodi,*

vt

vt graue, & leue, acutum, & hebes, & similia: ergo tactus non est vnus sensus, sed plures.

Hoc argumentum tangit quandam difficultatem, quam expresse non determinauit Philosophus: & ideo neutri parti alligando eius doctrinam respondetur primo omisso antecedenti negando consequentiam: quia tactus ille deseruiens ad percipiendum vnam primam contrarietatem, vtputa calidum, & frigidum, deseruit etiam, & se extendit ad percipiendas secundas qualitates, quæ in illis primis fundantur. Vnde si ad percipiendas primas eget præuia immutatione physica; idem asserendum est de sensatione circa secundas; atque ideo stat indemnis veritas assertionis, quidquid sit de veritate illius antecedentis.

Secundò, & meliùs respondetur negando antecedens: quia non datur nisi vnicus specie tactus, sicut & vnus visus, & vnus gustus &c. sic enim melius saluatur commune dictum, quod sensus externi sunt tantum quinque. Quod minime verificari cum rigore posset, si darentur plures tactus specie diuersi: tunc enim illæ potentiæ tactiuæ solum esset vnus sensus quantum ad nomen; sed reipsa plures essent externi sensus, quam quinque. Ad auctoritatem Philosophi respondetur, quod nihil ibi determinat, sed disputatiue circa vtramque partem procedit. Rationem autem diluere docuit D. Thom. 1. *p. qu.* 78. *art.* 3. *ad* 3. vbi inquit: *Posset tamen dici, quod omnes illæ contrarietates, & singula conueniunt in vno genere proximo, & omnes in vno genere communi, quod est obiectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum, sicut etiam genus proximum calidi, & frigidi est innominatum.* Itaque licet obiectum tactus complectatur plures contrarietates, quam obiecta aliorum sensuum; tamen illa multiplicitas reducitur ad vnicum, & idem genus in linea intentionali, & in ordine obiecti: quoniam omnia tangibilia habent eundem formaliter modum immutandi tactum, videlicet per contactum physicum, & ratione qualitatis excellentis: quod satis est, ne petant tactus specie diuersos.

QVÆSTIO IV.

De medio, & organo tactus.

20 VTrumque sub vna quæstione coniungimus, & quia non multum negotij afferunt, & quia mutuò comitantur. Supponimus autem citra controuersiam medium tactus esse intraneum, seu partem animalis: tum quia ita docent Aristot. *in hoc lib. text.* 115. D. Thom. *ibid. lect.* 13. & de sensu, & sensato *lect.* 5. vbi inquit: *Sicut alij sensus fiunt per medium extrinsecum; ita gustus, & tactus per medium intrinsecum.* Tum etiam, quia vt experientia constat, etsi nullum corpus mediet inter nos, & obiectum tangibile; ipsum sentimus per tactum. Tum denique nam gustus ob

suam

ſuam imperfectionem petit medium intraneum, vt oſtendimus *diſp. 12. qu. 2.* ergo id à fortiori poſtulat tactus, qui imperfectior eſt, quam guſtus.

Nec refert ſi obijcias; quod ſi quis clypeo tectus percutiatur, ſentit percuſſionem medio clypeo: & ſi manus aqua humectata contingat aliam manum, ſentitur, licet aqua mediet: ergo tactus poteſt ſentire ſuum obiectum per aliquod medium extrinſecum. ¶ Non inquam hoc refert: quia vt inquit D. Thom. *lect. ſupra cit. Alia ſenſibilia ſentimus per hoc, quod mouent medium, & iterum medium mouet nos; ſed tangibilia ſentimus per medium extraneum, non quaſi moti à medio extraneo, ſed ſimul cum medio mouemur à ſenſibili: ſicut patet de eo, qui percutitur per clypeum, non enim accidit ſic, quod clypeus percuſſus percutiat; ſed quia ſimul accidit vtrumque percuti.* Et infra: *In aliis ſenſibilibus immutatio medij eſt cauſa quod immutetur, ſenſus non autem in tactu: nam in aliis ſenſibus medium, nempe extrinſecum, eſt ex neceſſitate; in tactu autem quaſi per accidens, in quantum accidit corpora ſe tangentia eſſe humectata.* Per quæ ſatis liquet ad vtrumque exemplum in contrarium adductum. Vnde ſuppoſito, quod medium tactus non ſit extrinſecum; videndum eſt, in quonam conſiſtat, & quod ſit organum tactus.

§. vnicus.

Reſpondetur vtrique difficultati.

21 DIcendum eſt primo carnem non eſſe organum tactus, ſed medium eius. Ita Ariſtot. *in hoc 2. lib. text. 116.* D. Thom. *ibid. lect. 22.* Galenus *lib. 1. vſu partium cap. 16. & 18.* Albertus *in hoc lib. tract. 3. cap. 31.* Bañez *1. p. qu. 78. art. 3.* & alij plures. Rationem fundamentalem proponit D. Thom. *loc. cit.* his verbis: *Non enim ſentiunt animalia ſenſibilia appoſita ſupra organum ſenſus: ſentiunt autem poſita ſupra carnem: quare manifeſtum eſt, quod caro non eſt organum ſenſus, ſed medium.*

Confirmatur, & ſimul præcluditur tacita euaſio: quoniam quilibet ſenſus poteſt ſentire ſuum obiectum, quod ei directe applicatur; & nequit ſentire obiectum immediate poſitum ſupra ſe: ſed ſentimus obiectum tangibile immediate poſitum ſupra carnem externam: ergo caro externa non eſt organum tactus: conſtat autem carnem externam, & internam eſſe eiuſdem rationis: ergo nec interna eſt organum ſentiens vel attingens obiectum per carnem externam tanquam per medium.

22 Aliam rationem inſinuat Ariſt. *lib. de ſenſu, & ſenſato, lect. 5.* apud D. Thom. quæ poteſt ſub hac forma proponi: quoniam organum tactus debet eſſe terreum: at caro non eſt terrea, ſed magis aërea; cum ſit humida, & calida, quæ

ſunt

sunt qualitates propriæ aëris: ergo caro non est organum tactus. Majorem ita probat, & explicat D. Thom. *Organum tactus attribuitur terræ: quod quidem non est sic intelligendum quasi organum gustus sit simpliciter terreum; capillis enim, & crinibus non sentimus, quæ sunt magis terrea: sed quia vt 3. de Anima dicitur, terra maxime miscetur in organo huius sensus: quia vt dicitur 2. de Anima organum tactus ad hoc vt sit in potentia ad contrarias qualitates tangibiles, debet esse mediocriter complexionatum: & ideo oportet, quod sit ibi secundum quantitatem plus de terra, quia inter elementa minus habet de virtute activa.*

23 Dicendum est secundo organum tactus esse neruum quendam, qui per totum corpus dispersus est, & carne tegitur. Hanc docet Aristot. D. Thom. & aliqui Auctores pro *præced.* relati. Et ratio sumitur ex dictis: quoniam huiusmodi neruus habet illas conditiones, ob quarum carentiam denegatur carni, quod sit organum tactus: ergo tactus est immediatè tanquam in proprio organo in prædicto neruo. Suadetur antecedens: tum quia iste neruus est intra carnem, vnde non tangit immediatè obiectum, sed per carnem tanquam per proprium medium: tum etiam, quia est terreus in ea mediocritate, quam tactus postulat, vt communiter docent Medici. Cui doctrinæ minime repugnat Philosophus *in hoc lib. text. 79.* vbi docet ossa, & neruos non habere in se sensum aliquem, eo quod sunt nimis terrestres: quia loquitur de aliis neruis valde terreis, non vero de neruo tactiuo, qui consistit in optima temperie, ac mediocritate quæ præcipue viget in pulpis digitorum, vt docet D. Thom. *in 4. dist. 23. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.*

24 Aduersus nostras assertiones opinantur Suarez *tract. 3 lib. 3. cap. 27.* & alij asserentes carnem etiam esse organum, siue sensorium tactus. Quod potest suaderi primo ex Aristot. *qui 1. de histor. animal. cap. 4.* asserit carnem esse sensorium tactus. ¶ Sed facile respondetur Philosophum loqui de carne quatenus inuoluit neruum tactiuum, ratione cuius dicitur sentire: eo plane modo, quo dicimus linguam gustare, non quia per quamlibet sui partem gustet, sed quia includit neruum gustatorium, qui est organum gustus. Neque expositio hæc est voluntaria; cum Aristot. locis supra relatis aperte statuat nostram sententiam.

25 Arguitur secundo: nam id, quod sentit dolorem, est organum tactus: sed caro si pungatur, sentit dolorem: ergo est ganum tactus. ¶ Respondetur negando minorem: quia licet caro, vt distincta à neruo percutiatur; tamen non ipsa; sed neruus *in* ea inclusus sentit dolorem: *ipsa* vero habet rationem medij in tali sensatione.

Sed replicabis: *primo* quia in nonnullis partibus fit sensatio, in quibus non reperitur neruus ille: neque possumus in eis discernere inter carnem, quæ sit medium, &

aliud quidpiam, quod sit organum. *Secundo* quia si sensatio sit in neruo explicato, non est ratio, cur ossa, & dentes accepta plaga non sentiant dolorem; siquidem habent suos nervulos sibi contiguos, ad quos possent peruenire species plagæ dentibus inflictæ: sed ossa, & dentes ob magnam terreſtreitatem non sentiunt: ergo.

Respondetur ad primam replicam nullam esse carnem, per quam non dispergatur neruus tactiuus: vnde etiam in corde, & pulmone reperitur, vt Anatomistæ docent. Ad secundam negatur sequela: quia ossa, & dentes sunt valde terrea, ac proinde nequeunt esse medium, per quod species rei tangibilis transmittantur ad tactum: vnde plaga soli ossi, aut denti inflicta minime sentiretur: communiter tamen sentitur, quia commouetur, & male afficitur caro iuxta ossa, & dentes existens.

26 Arguitur tertio: quia caro habet sufficientes dispositiones, vt sit medium tactus: ergo etiam est sufficienter disposita, vt sit organum illius. Probatur consequentia: quia organum, & medium sensus debent eisdem dispositionibus gaudere, vt recipere queant species eiusdem obiecti.

Respondetur negando consequentiam, quam probatio minime euincit: quia licet dispositiones medij debeant aliquo modo assimilari dispositionibus organi secundum quandam proportionem; tamen absolutè debent esse diuersæ, & distincto, ac nobiliori modo inueniri in organo, quam in medio: quoniam medium ita recipit species, vt tamen non sentiat per illas; organum autem & recipit, & sentit per eas. Et hæc de hac disputatione, quibus finem imponimus duobus prioribus libris de Anima.



LIBER

LIBER TERTIVS DE ANIMA.

NON omnes hunc librum tertium ab hac parte incipere autumant: Arabes enim non terminant librum præcedentem niſi abſoluto tractatu omnium ſenſuum tam externorum, quam internorum; inchoantque tertium librum à capite quarto, in quo incipit Ariſt. agere de intellectu. Græci vero à primo capite librum iſtum ordiuntur. Porrò ex Latinis quidam Arabes ſequuntur; plures autem ſe ſe Græcis accommodant, quibus, & nos adhæremus ob auctoritatem Angelic. Doct. qui in hoc lib. 3 lect. 1. ita habet: Hic incipit liber tertius apud Græcos, & ſatis rationabiliter: ex hinc enim Ariſtot. ad inquirendum de intellectu accedit: fuerunt enim aliqui, qui poſuerunt ſenſum, & intellectum eſſe idem. Manifeſtum eſt autem, quod intellectus non eſt aliquid de ſenſibus exterioribus, de quibus jam dictum eſt, ex eo quod non coarctatur ad vnum genus ſenſibilium cognoſcendum. Vnde reſtat inquiſitio, vtrum in parte ſenſitiua ſit aliqua alia potentia cognoſcitiua, vt ex hoc poſſit accipi, vtrum intellectus ſit aliquo modo ſenſus. *Continet autem hic liber*

tredecim capita: & in tribus prioribus agit Philoſophus de ſenſibus internis; à quarto autem incipit diſſerere de intellectu, de appetitu, & potentia locomotiua. Ex quibus non pauca omittemus, vel quia jam habentur ex alibi dictis; vel quia earum notitia non eſt ita neceſſaria. Illa vero tractabimus, quæ & vtiliora ſunt, & communiter examinantur ab Interpretibus in præſenti. Quod præſtare ſtudebimus per ſubſequentes diſputationes.

DISPVTATIO XIV.

De ſenſibus internis.

SOLENT Auctores hoc loco examinare in communi, vtrum præter quinque ſenſus externos, detur ſenſus internus, & an iſte ſit vnicus, an multiplex? Cæterum quia harum difficultatum exacta reſolutio pendet ex notitia particulari vniuſcuiuſque ſenſus interni, & hac ſuppoſita, ſtatim habetur illa; propterea ducimus neceſſarium prius agere de vnoquoque ſenſu interno in particulari.

QVÆ

QVÆSTIO I.

An detur sensus internus communis, qui ab externis distinguatur.

NOmine *sensus communis* non intelligitur aliquis sensus communis communitate prædicationis: notum quippe est prædictum modum communitatis non inueniri in rerum natura. Nec intelligitur sensus, qui dicatur communis ex eo, quod ordinetur ad attingenda sensibilia communia, de quibus egimus *disp. 9.* nam prædicta sensibilia nullum sensum specificare possunt; cùm solum habeant modificare species propriorum sensibilium vt loco citato ostendimus. Sed nomine sensus communis significamus sensum internum; cuius munus sit & cognoscere omnia sensibilia externa discernendo inter ea; & percipere sensationes sensuum externorum. Et de hoc sensu inquirimus vtrum detur?

§. I.

Communis sententia duobus fundamentis munitur.

1 DIcendum est dari sensum communem realiter ab omnibus externis distinctum. Hanc docent Aristot. *in hoc lib. cap. 2. & libr. de somno, & vigil. capite 2.* D. Thom. *1. part. qu. 57. art. 2. & qu. 78. art. 4. in corp. & quæst. de Anima, art. 13.* Quibus etiam communiter consentiunt alij DD. quos proinde non recensemus.

Probatur primo ratione desumpta ex D. Thom. *in præf. lect. 3.* ad hanc formam redacta: quoniam animal sentit non solùm sensibilia externa, sed etiam sensationes sensuum externorum: nam videns objectum sentit se videre: atqui hujusmodi sensatio non exercetur per aliquem sensum externum: ergo præter quinque sensus externos admittendus est sensus internus, qui dictam sensationem eliciat, & quem communem vocamus. Consequentia liquet & præmissæ asseruntur à D. August. *lib. de libero arbitrio in principio*, his verbis: *Non enim bestia moueret se, aut aliquid appetendo, vel fugiendo, nisi se sentire cognosceret: quod non vtique aliquo eorum ex quinque sentit.* Et insuper vtraque probatur in particulari. Major quidem: quia recordatio est de obiecto, vt prius cognito: sed animalia recordantur doloris perpessi, & delectationis perceptæ; cùm pertimescant loca, in quibus dolorem subierunt; & quærant illa, in quibus delectationem habuerunt: ergo aliquo modo sentiunt dolorem, & delectationem: dolor autem, & delectatio sunt propriæ sensationes tactus: ergo animalia non solùm sentiunt obiecta externa, sed etiam sensationes sensuum externorum. Minor etiam liquet: quia nulla potentia fertur extra latitudinem sui

obiecti adæquati: sed sensatio sensus externi est extra latitudinem obiecti adæquati eiusdem sensus externi, vt liquet in dolore, & delectatione, quæ sunt extra latitudinem qualitatis per se tangibilis, quæ est obiectum tactus adæquatum: ergo sensus externus nequit sentire suam sensationem.

2 Nec huic discursui contrarius est Aristot. *in hoc lib. cap.* 2. vbi docere videtur, quod si sensus externus non percipit suam sensationem, dabitur processus in infinitum in potentijs sensitiuis: quia pari ratione sensus percipiens sensationes sensuum externorum non posset suam sensationem percipere, & ideo foret necessarius alius sensus, qui eam perciperet: de quo fit idem argumentum, & sic in infinitum. ¶ Non, inquam nobis contradicit Aristot. quia vt bene obseruat D. Thom. *ibidem lectione* 3. non loquitur resoluendo, sed quæstionem in vtramque partem disputando. Et ratio, quam inducit, non conuincit: quia saltem peruenire possumus ad intellectum, qui simul & suam operationem, & omnium sensuum sensationes percipiat. In brutis autem concedendus est sensus, nempe memoria, qui aliorum sensuum sensationes cognoscat, propriam vero non sentiat. Quod nullum est inconueniens, quia ad vitam, & perfectionem animalis sufficit recordatio aliarum sensationum, & non requiritur sensatio ipsius recordationis.

3 Magis contrarius videtur D. Thom. *de veritate quæst.* 10. *art.* 9. vbi inquit: *Visus primò dirigitur in colorem; sed in actum visionis suæ non dirigitur, nisi per quandam redditionem, dùm videndo colorem videt se videre.* Falsum igitur est, quod sensus externus nequeat percipere suam sensationem.

Vt huic auctoritati occurramus animaduertendum est sensum communem bifariam considerari: vno modo quatenus continuatur quodammodo cum sensibus externis: est enim eorum radix, & terminus sensationum eorum: vnde provt continuatur cum visu, & terminat sensationem illius vocatur visus; & provt continuatur cum tactu, & terminat eius immutationem, appellatur tactus, & sic de alijs. Alio modo consideratur secundum suam propriam rationem, quatenus distinguitur à sensibus particularibus externis. Ex quo etiam fit, quod sensus externus v. g. visus dupliciter possit accipi: primo secundum propriam rationem, & quatenus differt à sensu communi. Secundò provt radicatur in sensu communi, & cum illo quodammodo continuatur: quo pacto potest illius nomen, & attributa aliqualiter participare. Quem nexum inter sensum communem & proprios explicuit D. Th. *opuscul.* 43. his verbis: *Est ergo sensus communis, à quo omnes sensus proprij deriuantur, & ad quem omnis impressio eorum renuntiatur, & in quo omnes conjunguntur.* Et *in hoc lib.* 3. dixit: *Quod potentia illa, qua videmus nos videre, non est extranea à potentia visiua.*

Hinc constat tàm ad auctoritatem oppositam, quam ad alia S. Doctoris testimonia, quæ videntur

inter-

inter se contraria ; & supposita præmissa doctrina, optime cohærent. Aliquando enim negat sensum externum sentire propriam sensationem : & tunc loquitur de illo considerato secundum se, & prout distinguitur à sensu communi : quo pacto ipsum accepimus in discursu nostræ rationis. Quandoque vero insinuat, aut concedit sensum externum percipere suam sensationem: & tunc loquitur de sensu externo minus propriè accepto, & sumpto pro sensu communi : hic enim quatenus terminat v. g. immutationem visus, potest visus appellari, vt constat ex modo dictis. Et secundum hanc posteriorem considerationem interpretandus est S. Doct. *loco cit.* cum dicit, *quod visus videndo colorem, videt se videre.* Vnde non aduersatur nostræ assertioni, nec fundamento illius.

4 Secundam conclusionis rationem proponit Angelic. Doct. 1. *p. quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 2. quæ potest ita formari : quoniam in animali debet dari sensus discernens inter sensibilia externa, vt puta inter album, & dulce : sed nullus sensus externus ita discernit : ergo præter omnes sensus externos, datur sensus internus, qui discernat, & quem vocamus communem. Minor, in qua sola potest esse difficultas, facilè ostenditur : quia sensus discernens inter duo extrema debet vtrumque cognoscere : sed nullus sensus externus cognoscit omnia sensibilia externa : ergo nullus valet discernere inter illa. Quod satis liquet exemplo adducto : nam distinctio inter album, & dulce non potest cognosci à visu, cùm iste non percipiat dulce ; nec à gustu, cùm hic non attingat album ; nec ab alijs sensibus, cùm nullus sentiat album, vel dulce, vt ex se liquet.

5 Dices hinc solum haberi, quod prædicta discretio non fiat per vnicum sensum externum ; minime vero, quod nequeat fieri per omnes : nam omnes simul sumpti cognoscunt omnia sensibilia, & radicantur in eodem supposito v. g. in homine : vnde poterit homo sentiens per omnes sensus externos percipere omnia eorum obiecta, & discernere inter illa ; quin opus sit ad alium sensum recurrere. Quod potest declarari exemplo : etenim licet voluntas sit potentia cæca, & non percipiat conuenientiam obiecti ; nihilominus quia radicatur in eodem supposito, in quo est intellectus, potest idem homo cognoscere per intellectum conuenientiam obiecti, & per voluntatem prosequi illam ; & non est necessaria potentia, quæ simul cognoscat, & amet obiectum.

Hanc tamen euasionem præcludit Aristot. *in hoc lib. cap.* 2. quem sic explicat D. Thom. *lect.* 3. *Posset aliquis credere, quod discernamus album à dulci non quadam vna potentia, sed diuersis, vt scilicet in quantum gustu cognoscimus dulce, & visu album. Hoc autem excludit dicens, quod non contingit discernere, quod dulce sit alterum ab albo separatis potentijs, id est, diuersis ; sed oportet ad discernendum inter ea, quod secundum aliquam vnam potentiam manifestum sit nobis. Ita enim esset, si diuersis potentijs*

potentijs ſentiremus dulce, & album, ſicut ſi diuerſi homines ſentirent, vnus dulce, & alius album, puta ſi ego ſentio hoc, & ille illud. Hoc autem poſito, diuerſitas iſta non erit nobis manifeſta per ſenſum: ſed oportet, quod vnus ſit, qui dicat, & ſentiat alterum eſſe dulce ab albo. Sicut igitur oportet, quod vnus homo, qui dicit alterum eſſe album à dulci ſit, qui cognoſcit vtrumque: ita oportet, quod vna potentia ſit, qua cognoſcitur vtrumque: nam homo non cognoſcit niſi per aliquam potentiam. Et ratio à priori huius doctrinæ eſt: quoniam ſicut diſcretio fit per vnum & eundem actum vitalem: ita petit vnicam potentiam, quæ ipſum eliciat, & attingat obiecta diſcretionis: ſenſus autem externi nec ſimul ſumpti, nec in particulari accepti conſtituunt huiuſmodi potentiam, ſiquidem ſimul ſumpti non ſunt vnica potentia, & ſeorſim accepti non attingunt omnia ſenſibilia, inter quæ fit diſcretio: vnde neceſſarius eſt altior ſenſus, qui actum prædictæ diſcretionis eliciat. Per quod patet ad exemplum in contrarium adductum: nam voluntas habet quidquid requiritur in ratione potentiæ proximæ ad hoc vt ſuppoſita cognitione, homo inclinetur in bonum ſibi conueniens.

6 Sed circa huiuſmodi diſcretionem duo poſſunt inquiri. Primum, vtrum fiat per vnam ſpeciem an per plures? Secundum, vtrum fiat per vnicum actum, an per diuerſos, quibus ſingula obiecta attingantur.

Ad primum reſpondetur hanc diſcretionem fieri per plures ſpecies repræſentantes diuerſa ſenſibilia: nam ex vna parte non eſt neceſſarium admittere in ſenſu communi ſpeciem adeo vniuerſalem, vt tot ſenſibilia repræſentet; & ex alia parte non eſt vllum inconueniens, quòd eadem potentia vtatur pluribus ſpeciebus quaſi partialibus, & ſibi inadæquatis, & ſubordinatis inter ſe.

Ad ſecundum reſpondemus huiuſmodi diſcretionem fieri per vnicum actum: quoniam vt conſtat ex ſupra dictis, ſi darentur diuerſi actus, quorum vnus attingeret præciſe vnum obiectum, & alius alium; per nullum eorum fieret diſcretio inter vtrumque obiectum. Neque hinc ſequitur, vel quod prædictus actus ordinet ſpecies, vel quod propriè loquendo comparet obiecta, & proferat judicium. Quoniam ipſæ ſpecies habent ex natura ſua ita vniri in ſenſu communi, vt poſſint concurrere ad vnicam operationem; quin alia vlterior ordinatio deſideretur. Comparatio autem, & judicium propriè accepta ſunt actus ab apprehenſione diuerſi, per quos aliqua conferuntur in actu ſignato: at in diſcretione, quam attribuimus ſenſui communi, nil aliud interuenit, quam diuerſa immutatio à diuerſis obiectis. Quod ſufficit ad judicium in actu exercito, ſeu ad apprehenſionem diuerſorum obiectorum: quo pacto etiam dicitur vnumquemque ſenſum judicare de proprio ſenſibili.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

7 SEntentia negans dari sensum communem internum diuersum ab externis, & proprijs solet tribui Galeno *lib.* 4. de vsu partium *cap.* 6. & potest suaderi primo: quoniam si daretur aliquis sensus communis, qui omnia sensibilia externa cognosceret, superflui forent sensus externi, & particulares; siquidem frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: consequens est absurdum: ergo non datur prædictus sensus communis. ¶ Confirmatur: quia hujusmodi sensus non est necessarius ad vitam animalis, cùm nihil aliud cognoscat nisi sensibilia externa, & hæc sufficienter attingantur per sensus externos: ergo absque fundamento asseritur talis sensus.

Respondetur argumento negando sequelam: quia sensus communis, vt pote internus, non potest immutari à sensibilibus externis, nisi medijs sensibus externis: ex quo satis liquet horum necessitas, & vtilitas. Vnde D. Thom. *opuscul.* 43. loquens de sensu communi ait: *Eius organum est prima concauitas cerebri, à quo nerui sensuum particularium oriuntur. Et hinc est, quod quantum ad distinctionem spiritus animalis sensus proprij deriuantur à communi: quantum vero ad apprehensionem, & renuntiationem sensus communis fit in actu per proprios: quia nihil apprehenderet nisi per hoc, quod sensus proprij redeunt ad ipsum cum suis lucris.* Hujusmodi autem necessariæ subordinationis ratio non alia, aut aptior designari potest, quam ipsa conditio, & modus cognitionis sensitiuæ: sicut enim natura in suis operibus ab imperfectioribus ad perfectiora conscendit: ita ad cognitionem sensitiuam perfectiorem non peruenitur nisi per aliam cognitionem minus perfectam. Vnde cùm cognitio sensus communis sit perfectior, vtpote attingens plura, & varia sensibilia; petit quod præsupponantur alij sensus particulares, quorum quilibet attingat pauciora obiecta, & sensationem minus perfectam eliciat. ¶ Ad confirmationem liquet ex dictis ad perfectionem animalis desiderari, & quod discernat inter sensibilia externa, & quod percipiat sensationes sensuum externorum: quorum neutrum fit per sensus externos; sed petit sensum altiorem.

8 Secundo arguitur: quia pro diuersitate modorum immutandi multiplicatur sensus, illa quippe diuersitas postulat diuersam dispositionem ex parte organi sensus, vt satis ex se liquet: sed sensibilia externa habent diuersum modum immutandi, vt experientia constat: ergo nequeunt vnum, & eundem sensum immutare, nec per ipsum attingi: ergo non datur sensus communis, & attingens omnia externa sensibilia. ¶ Confirmatur; quia vnus, & idem sensus nequit moueri motibus contrarijs simul, & eodem tempore:

ſed ſi ſenſus communis attingeret omnia ſenſibilia externa, & diſcerneret inter illa ; ſimul, & eodem tempore moueretur motibus contrarijs ; cùm plura ex prædictis ſenſibilibus contrarientur inter ſe : ergo repugnat ſenſus communis, qui exerceat prædicta munia.

Ad argumentum reſpondetur majorem verificari ; cùm modus immutandi ſenſum eſt formalis, & adæquatus ; ſecus vero ſi inadæquatus, & materialis ſit. Diuerſitas autem, quæ conuenit ſenſibilibus externis eſt quidem formalis, & adæquata reſpectiue ad ſenſus externos, & particulares : quoniam iſti reſpiciunt per ſe ſuum obiectum ſecundum rationem valde limitatam, & particularem. Cæterùm ſenſus communis, vtpote magis eleuatus, reſpicit per ſe omnia ſenſibilia externa, ſecundum quod conueniunt in aliqua ratione ſuperiori, & innominata ; eorum autem rationes particulares ſolum attingit tanquam obiecta materialia, & inadæquata : vnde non multiplicatur per habitudinem ad ipſas. Et ideo ſufficit, quod habeat diſpoſitionem, & organum conuenientia ad attingendum illam rationem communem, quam per ſe reſpicit, vt ſe extendat ad percipiendum ſecundario, & quaſi conſequenter alias rationes particulares, & inter ſe diuerſas.

Ad confirmationem dicendum eſt dari aliqua ſenſibilia inter ſe contraria in eſſe rei, quæ contrarietate carent in eſſe intentionali, ſeu cognoſcibili, vt tradit D. Thom. de ſenſu, & ſenſato *lect.* 5. his verbis : *Color quidem eſt in corpore colorato ſicut qualitas completa in ſuo eſſe naturali : in medio autem incompletè ſecundum quoddam eſſe intentionale ; alioqui non poſſet ſecundum idem medium videri album, & nigrum. Albedo autem, & nigredo, prout ſunt formæ completæ in eſſe naturali non poſſent ſimul eſſe in eodem ; ſed ſecundum prædictum eſſe incompletum ſunt in eodem : quia iſte modus eſſendi propter ſuam imperfectionem appropinquat ad modum, quo aliquid eſt in aliquo in potentia. Sunt autem in potentia oppoſita ſimul in eodem.* Vnde ex eo, quod ſenſus communis patiatur intentionaliter à diuerſis ſenſibilibus inter ſe contrarijs in eſſe rei ; minime infertur, quod ſimul moueatur motibus contrarijs, ſed ſolum quod per vnum actum, ſeu motum attingat obiecta contraria, inter quæ diſcernit. Adde ſenſum communem eſſe radicem ſenſuum externorum, & terminum immutationum eorum. Vnde non eſt inconueniens, quod quatenus continuatur cum viſu, patiatur vno modo, aut motu ; & quatenus continuatur cum auditu, immutetur alio modo diuerſo, vel contrario, & ſic de alijs. Cum quo tamen ſtat recte, quod per vnicum actum diſcernat inter diuerſa obiecta ſenſuum externorum. Quod expreſſit Diuus Thomas *lectione ſæpe citata*, dicens : *Habet igitur hoc principium ſenſitiuum commune, quod ſimul cognoſcat plura, in quantum accipitur bis vt terminus duarum immutationum*

num sensibilium : in quantum vero est vnum , judicare potest differentiam vnius ad alterum.

QVÆSTIO II.

Vtrum præter sensum communem detur alius sensus internus, qui appelletur phantasia ?

PHantasiæ nomine insignitur sensus , qui sensibilia externa cognoscit sub quadam ratione abstrahente à præsentia, & absentia objecti, quique valeat species sensibiles retinere. Cuius existentia & conceditur communiter à Doctoribus, & satis constabit ex dicendis. Non est autem ita exploratum , an phantasia distinguatur realiter à sensu communi ; an vero sufficiat vnicus sensus internus , qui secundum diuersa munera & phantasiæ , & sensus communis nominibus insigniatur. Cui difficultati extricandæ decisio præsentis quæstionis deseruiet.

§. I.

Defenditur sententia Thomistica.

9 DIcendum est dari quendam sensum internum phãtasiam appellatum , & à sensu communi realiter differre. Hæc colligitur ex Aristot. *in præs. cap.* 3. & traditur expresse à D. Thom. 1. *p. q.* 78. *art.* 4. *& quæst. de Anima art.* 13. *& opusc.* 43. & alibi sæpe. Cui consentiunt Comment. Caiet. Ferrar. Flandr. Tolet. *in præsenti* & alij plures tàm ex Thomistis , quam ex alijs.

Probatur ratione , quia ad vitam, & perfectionem animalis requiritur sensus attingens sensibilia externa secundum quandam rationem abstrahentem à præsentia , & absentia obiecti : atqui sensus communis non attingit sensibilia externa sub prædicta abstractione , sed determinate vt præsentia : ergo præter sensum communem admittendus est alius sensus internus , qui attingat sensibilia sub prædicta vniuersalitate , & abstractione, & quem vocamus phantasiam. Major à paucis negabitur , & satis ostenditur à D. Thom. *loco citato ex prima parte* vbi hæc habet : *Est autem considerandum , quod ad vitam animalis perfecti requiritur , quod non solùm apprehendat rem apud præsentiam sensibilis , sed etiam apud eius absentiam : alioqui cùm animalis motus, & actio sequatur apprehẽsionem, non moueretur animal ad inquirendum aliquid absens : cuius contrarium apparet maxime in animalibus perfectis, quæ mouentur motu processiuo mouentur enim ad aliquid absens apprehensum.* Et ideo necessario admittendus est aliquis sensus qui attingat sensibile non sub determinatione præsentis , sed sub ratione magis communi, & abstrahente à præsentia , & absentia.

Minor etiam probatur, tùm quia ſenſus communis ſe habet, vt radix ſenſuum externorum, & vt terminus immutationum eorundem, ita vt cum viſu habeat videre, & cum auditu audire, & ſic de alijs: ergo ſicut ſenſus externi non attingunt niſi ſenſibilia præſentia; ita ſenſus communis non poterit attingere obiectum niſi ſub determinatione præſentis, minime vero abſtrahendo ab abſentia, & præſentia illius. Tùm etiam, quia ad cognitionem perfectiorem non peruenitur niſi per minus perfectam: ſed cognitio attingens obiectum ſub ratione abſtrahente ab abſentia, & præſentia eſt multo perfectior, quam cognitio illud attingens ſub determinatione præſentis: ergo primus ſenſus internus: nimirum ſenſus communis, non attingit obiectum ſub illa abſtractione, ſed quatenus determinatè eſt præſens, vt ita gradum præſtet ad altiorem potentiam, & cognitionem. Tùm denique, quia ſpecies valde inæquales in abſtractione petunt diſtinctas potentias corporeas: ſed ſpecies repræſentans rem vt præſentem, & ſpecies repræſentans rem abſtrahendo à præſentia, & abſentia ſunt valde inæquales in abſtractione, vt ex ſe liquet: ergo nequeunt eidem ſenſui ſeruire: cùm igitur certum ſit ſenſum communem vti ſpeciebus repræſentantibus obiectum vt præſens; ſequitur, quod nequeat vti ſpeciebus repræſentantibus rem abſtrahendo ab abſentia, & præſentia; & conſequenter nec attingere obiectum ſub prædicta abſtractione.

Confirmatur: quia potentiæ exigentes diuerſas, & contrarias diſpoſitiones nequeunt non diſtingui realiter: ſed phantaſia, & ſenſus communis ſunt huiuſmodi: ergo non ſunt vnus ſenſus diuerſis nominibus inſignitus, ſed potentiæ realiter diuerſæ. Suadetur minor: quia proprium eſt ſenſus communis facile recipere ſpecies ſenſibiles; cùm immutetur ad immutationem ſenſuum externorum, & ad præſentiam obiecti: proprium autem eſt phantaſiæ bene retinere ſpecies ſenſibiles; cum habeat percipere obiectum, etiam cum abſens eſt: atqui facile recipere, & bene retinere ſunt actus exigentes diuerſas, & contrarias diſpoſitiones; ſiquidem ad bene recipiendum requiritur prædominium humiditatis, & ad bene retinendum prædominium ſiccitatis: & ideo quæ facile recipiunt non bene retinent; & quæ bene retinent, non facile recipiunt ſaltem ſecundum eandem partem: ergo ſenſus communis, & phantaſia petunt diuerſas, & contrarias diſpoſitiones.

10 Nec refert, ſi huic confirmationi cum Suario reſpondeas falſam eſſe minorem ſecundi ſyllogiſmi: quia plura inueniuntur facile receptiua, & bene retentiua, vt patet tùm in cera, quæ facile recipit figuram, & bene retinet illam; tùm in pluribus hominibus facile recipientibus ſpecies rerum, & eas optime conſeruantibus. Nec facili receptioni obeſt

est prædominium siccitatis; cum speculum sit satis durum, & siccum, & nihilominus facilè suscipiat species intentionales. Et vt ad præsentem materiam doctrina applicetur, phantasia, quæ est bene retentiua, vt supponitur, est æquè facile receptiua, ac sensus communis: quoniam cum duæ immutationes fiunt simul ab vna, & eadem, virtute actiua, signum est vtrumque æquè facile fieri: phantasia autem, & sensus communis simul, & eodem tempore immutantur à sensibili externo; siquidem transacto aliquo tempore post immutationem sensus communis non est aliqua dispositio, nec nouum agens, vt immutetur phantasia: vnde concedendum est phantasiam, & sensum communem simul, ac proinde æquè facilè immutari à sensibili externo, & recipere speciem illius.

Non inquam, hæc euasio, & responsio refert: quia per se loquendo facilè receptiua non sunt bene retentiua: & ideo potentia, quæ per se petit facile recipere, nequit non distingui ab ea, quæ per se postulat bene retinere. Nec oppositum suadetur illis exemplis: nam cera ob suam humiditatem est facile receptiua; sed non est bene retentiua: & ideo vel leui calore molleſcit, & liquefit; licet per accidens, & absente contrario impressam figuram diu retineat. In hominibus etiam communiter, & per se loquendo idem seruatur: nam qui facile recipiunt, non bene retinent; & qui optime retinent, cum difficultate recipiunt, vt experientia liquet. Contingere tamen potest per accidens, & ex speciali beneficio naturæ, quod qui facile recipit, bene etiam retineat: quia licet facilis receptio, & fidelis retensio petant diuersas, & contrarias dispositiones, nempe excellentem humiditatem, & excellentem siccitatem; nihilominus humiditas, & siccitas queunt per accidens ita commiscri, & attemperari, vt recte præstent vtrumque effectum; quod contingit quando humor organi est glutinosus, & habet partes optime cohærentes. Per quod patet ad exemplum speculi: nam licet hoc sit satis durum attamen habet humiditatem sufficientem, & ita dispositam, vt facilè recipiat species: ad quod etiam conducit speculi perspicuitas. Ex quibus tamen colligi non potest sensum communem, & phantasiam esse eundem realiter sensum; cum vna & eadem potentia possit saltem per accidens facilè recipere, & bene retinere: quoniam diuersitas potentiarum non attenditur penes ea, quæ sunt per accidens; sed sumitur ex iis quæ sunt per se. Et ideo si sensus communis est per se loquendo facile receptiuus specierum, & phantasia est per se loquendo bene retentiua earum; optime infertur esse potentias realiter distinctas.

Cuius doctrinæ veritatem non oppugnat id, quod addit Suarez: quoniam vt phantasia recipiat species modo sibi proprio, hoc est, ita vt bene illas retineat, postulat

vt fluat aliquod tempus post immutationem sensus communis: quia recipit species cum maiori difficultate saltem negatiua, quam sensus communis. Ea autem tempore transacto jam phantasia est conuenienter disposita ad receptionem specierum, non quidem per additionem nouæ qualitatis, sed per minorem sui resistentiam; hæc quippe superari valet sola continuatione actionis, absque introductione nouæ qualitatis, vel expulsione antiquæ. Quod etiam apparet in corpore valde duro, quod licet non habeat frigiditatem, per quam calori resistat; nihilominus difficilius recipit calorem, quam corpus rarum: ita tamen vt prædicta difficultas superetur sola continuatione actionis corporis calidi; licet nec remoueatur duities, nec alia qualitas inducatur.

§. II.

Refertur negatiua sententia.

11 COntra nostram assertionem sentiunt Galenus *lib.* de differentiis symptomatum *capite* 3. Valles. *lib.* 2. *controuers. Medic. cap.* 22. *&* 23. Suarez *tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 30. Rubio *in præs. cap.* 3. *qu.* 1. & alij. Quorum opinio potest suaderi primo ex Aristot. *lib. de insomniis cap.* 2. vbi docet *sensum communem immutari in somnis per species antea acceptas*: sed proprium munus phantasiæ est sentire per species prius acceptas, quas in se conseruat: ergo ex mente Philosophi phantasia, & sensus communis sunt idem sensus. Et Aristot. dicto sese conformat D. Thom. 1. *p. qu.* 84. *art.* 8. *ad* 2. vbi loquens de dormientibus inquit: *Si autem motus vaporũ fuerit modicus, etiam ipse sensus communis ex parte soluitur, ita quod homo iudicat interdum in dormiendo ea, quæ videt somnia esse &c.* ¶ Confirmatur ex Arist. *in hoc lib. cap.* 3. vbi definit phantasiam per hoc, quod *eius actus est motus factus à sensu secundum actum*, per quod significat actum phantasiæ causari ab actu sensuum externorum, quatenus scilicet species phantasiæ causatur à sensibus externis in actu constitutis: sed tota hæc definitio, & illius sensus apprimè conueniunt sensui communi, siquidem istius actus causatur prædicto modo ab actu sensuum externorum, vt satis ex se liquet: ergo phantasia, & sensus communis non distinguuntur.

Ad primam auctoritatem Philosophi respondemus sensum communem posse dupliciter considerari. Primo secundum se, & secundum ea, quæ intra propriam lineam importat: & hoc pacto solum se extendit ad obiecta præsentia, nec valet in somno, vel vigilia attingere absentia. Secundo quatenus coniungitur phantasiæ, & ab ea aliquam perfectionem participat iuxta illud: *Supremum infimi attingit infimum supremi.* Et hac ratione potest obiecta absentia vtcumque, & imperfectissime attingere: quia huiusmodi obiecta sic sumpta non sunt extra latitudinem obiecti sensus communis, si consideretur tam secundum ea, quæ ex vi propriæ lineæ, quam ex participatione alterius potest habere. Vnde ex eo, quod Arist.

concedat

concedat sensum communem immutari in somnis per species ante acceptas; minime infertur, quod sentiat sensum communem esse phantasiam: quia hæc attingit obiecta absentia per se, & ex vi propriæ lineæ; sensus vero communis ea non attingit per se, sed ex participatione lineæ superioris: atque ideo satis distinguuntur. Et hinc etiam constat ad auctoritatem D. Thom. eodem enim modo exponenda est.

Ad secundam Philosophi auctoritatem respondetur sensum illius definitionis esse, motum phantasiæ causari à sensu secundum actum non solum externo, sed etiam à sensu interno, & communi quam expositionem insinuat D. Thom. *opusc.* 43. *cap.* 4. dicens: *Secunda vis interior est phantasiæ, quæ est motus factus à sensu secundum actum, vt dicitur* 3. *de Anima: quia phantasia est potentia mota à specie sensibili, per quam & sensus proprius, & sensus communis fit in actu.* Definitio autem sic explicata adaptari minime potest sensui communi, vt ex se liquet.

12 Secundo arguitur ratione: quoniam phantasia attingit omnia sensibilia externa tam absentia, quam præsentia: ergo superfluit alia potentia, quæ attingat illa vt præsentia: ergo vna, & eadem est potentia, quæ attingit obiecta sensibilia præsentia, & quæ percipit tam absentia, quam præsentia; ac proinde phantasia non distinguetur à sensu communi. ¶ Confirmatur: quia vnus, & idem sensus potest vti speciebus diuersæ immaterialitatis, & abstractionis: ergo ex eo, quod species repræsentantes obiectum, vt abstrahit à præsentia, sint immaterialiores iis, quæ obiectum vt præsens repræsentant; minime sequitur, quod petant diuersos sensus, vel quod phantasia distinguatur à sensu communi. Suadetur antecedens: nam idem sensus communis vtitur specie visibili, & specie audibili: sed illa est immaterialior hac: ergo &c.

Respondetur argumento negando primam consequentiam: nam sicut ex eo, quod sensus communis attingat omnia sensibilia externa, non sequitur superfluere sensus proprios, qui attingant eadem obiecta sub ratione magis particulari: ita neque ex eo, quod phantasia attingat omnia sensibilia tam absentia, quam præsentia, infertur quod superfluat sensus communis illa quatenus præsentia attingens. Et ratio est eadem vtrobique: quoniam natura procedit quasi per quosdam gradus, ita vt non perueniat ad id, quod perfectius est, nisi medio eo, quod est minus perfectum. Et ideo inter sensus externos, qui in linea sensitiua sunt imperfectissimi, & phantasiam, quæ est sensus satis perfectus, vtpote attingens suum obiectum sub ratione abstrahente ab absentia, & præsentia; debet mediare sensus communis, qui externos sensus excedat, & cedat in perfectione phantasiæ. Maxime cum ij sensus habeant & actus valde diuersos, & petant dispositiones satis contrarias, vt constat ex dictis.

Ad confirmationem dicendum est, quod licet eadem potentia corporea valeat vti speciebus diuersæ imma

immaterialitatis, quando hæc diuersitas exigua est, & materialiter se habens ad rationem formalem, sub qua potentia respicit, & recipit species, quo pacto se habent omnes species, quibus vtitur sensus communis: contrarium tamen contingit, quando tanta est inter species diuersitas, vt vna petat prædominium siccitatis, & alia prædominium humiditatis: eæ quippe rationes solum possunt adunari in potentia superiori, & excludente dispositiones corporeas. Cum ergo species phantasiæ petant prædominium siccitatis; siquidem deseruiunt potentiæ bene retentiuæ, species autem sensus communis exigant excellentem humiditatem, cum deseruiant facultati bene receptiuæ; nequeunt recipi in eodem organo, sed postulant potentias sensitiuas realiter diuersas.

13 Tertio arguitur: quoniam sensus realiter, & specie distincti cognoscunt per species diuersæ rationis, vt patet in sensibus externis: sed phantasia, & sensus communis cognoscunt per species eiusdem rationis: ergo non distinguuntur realiter, neque specie. Suadetur minor: tum quia species phantasiæ, & sensus communis repræsentant idem obiectum, videlicet sensibilia externa, & sensationes sensuum externorum. Tum etiam, quia species sensus communis, & phantasiæ immittuntur ab eisdem obiectis, vt à causis principalibus; atque ideo non est vnde vna alterum in immaterialitate excedat. Eò præsertim, quod major immaterialitas inuenta in speciebus phantasiæ non potest prouenire ab aliquo sensu intermedio, qui illas à materialitate depuret; alias daretur sensus agens, sicut intellectus agens: quem tamen nemo Philosophorum admittet.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationes dicendum est quod licet obiectum externum repræsentatum per species phantasiæ, & sensus communis, illasque producens sit idem materialiter & in esse rei; nihilominus in esse obiecti, & motiui est rationis longæ diuersæ. Fieri enim optime potest, vt idemmet materialiter obiectum consideratum secundum vnam rationem formalem obiectiuam excedat se ipsum consideratum secundum alteram rationem. Et ita contingit in præsenti: nam sicut phantasia est potentia excellentior sensu communi, ita respicit obiectum sub ratione excellentiori, quam illa, quæ à sensu communi respicitur. Vnde idem materialiter obiectum causat in phantasia nobiliores species iuxta perfectionem phantasiæ à qua respicitur; in sensu autem communi producit species minus perfectas, eique in perfectione conformes. Ad quod non requiritur aliquis sensus intermedius & agens, qui purificet species: sed id præstat ipsum obiectum quatenus participat aliquid superioris naturæ, seu substantiarum separatarum, vt indicat D. Thom. 5. *de potentia*, *articulo* 8.

14 Quarto arguitur: quia in cerebro non inueniuntur nisi tres cellulæ, in quibus residens sensus interni: sed duæ deseruiunt æstimatiuæ, & memoriæ: ergo pro sensu commu-

communi, & phantasia non remanet nisi vnica cellula : atqui sensus interni realiter distincti petunt diuersas cellulas, seu organa: ergo phantasia, & sensus communis non distinguntur realiter.

Respondetur negando majorem, quia prima cerebri cellula diuisa est in alias duas cellulas, seu ventriculos minores. In quorum primo, cui inest excellens humiditas, & mollitudo residet sensus communis: alter vero, qui siccitate, & duritie excellit, deseruit phantasiæ, vt tradit D. Thom. *opusc.* 43. his verbis: *Eius* (nempe sensus communis) *organum est prima concauitas cerebri, à quo nerui particularium sensuum oriuntur. Huius vero* (nimirum phantasiæ) *organum est post organum sensus communis in parte cerebri, quæ sic non abundat humido sicut prima pars cerebri, in qua situm est organum sensus communis: & ideo melius potest retinere formas sensibiles re absente.*

QVÆSTIO III.

An detur alius sensus internus, qui dicitur æstimatiua, & vtrum distinguatur à phantasia?

ÆStimatiuam vocamus quandam potentiam internam, cuius officium sit cognoscere rationes insensatas. In obiectis enim sensibilibus inueniuntur quædam rationes, quæ per se attinguntur à sensibus externis, & à sensu communi, atque phantasia: quamobrem appellantur *sensatæ*, vt sunt color, calor, figura &c. Præter quas dantur aliæ rationes magis reconditæ, & à sensibus externis, imo à sensu communi atque phantasia non attingibiles, vti sunt conuenientia, & disconuenientia, amicitia, & inimicitia & aliæ huiusmodi, quæ ob hanc causam *insensatæ* nuncupantur. Inquirimus ergo vtrum admittenda sit æstimatiua, quæ has rationes attingat, & an distinguantur à phantasia.

§. I.

Duæ assertiones pro dubij decisione.

15 DIcendum est primo dari æstimatiuam. Hanc conclusionem tatis aperte tradit Aristot. *lib. de natura, & de historia animalium*, in quibus plura animalibus tribuit, quæ saluari non valent, nisi admittendo sensum internum, cuius sit rationes insensatas attingere, quemquè æstimatiuam vocamus. Idem docet, & probat ex professo D. Thom. 1. *p. qu.* 78. *art.* 4. & *quæst. de Anima art.* 3. & *opusc.* 43. Quibus consentiunt communiter Philosophi.

Probatur ratione, quam D. Th. *loc. cit. ex* 1. *p.* format his verbis: *Considerandum est, quod si animal moueretur solum propter delectabile, & contristabile secundum sensum, non esset necessariò ponere in animali, nisi appre-*

hensionem formarum, quas percipiunt sensus, in quibus delectatur, aut horret. Sed necessarium est animali, vt quærat aliqua, vel fugiat non solum, quia sunt conuenientia, vel non conuenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates, & vtilitates, siue nocumenta: sicut ouis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ; sed quasi inimicum naturæ: & similiter auis colligit paleam, non quia delectat sensum; sed quia est vtilis ad nidificandum. Necessarium est ergo in animali, quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.

Confirmatur: quia si natura non tribuisset animali huiusmodi facultatem, deficeret in necessariis: consequens est absurdum: ergo &c. Sequela ostenditur: quoniam si ouis non cognosceret lupum vt inimicum, non fugeret, atque ideo periret; & pariter si auis non cognosceret conuenientiam palearum ad nidificandum, non posset conuenienter nidificare, neque procreare filios.

16 Respondebis sufficienter naturam prouidisse animalibus per hoc, quod supposita cognitione obiectorum quoad rationes sensatas statim moueantur ab Auctore naturæ, vt fugiant disconuenientia naturæ, & prosequantur vtilia; quamvis non cognoscant ipsas rationes insensatas conuenientiæ, aut disconuenientiæ: & consequenter prædictam cognitionem non esse necessariam ad vitam animalis.

Hæc tamen euasio facile præcluditur, tum quia ad connaturalem & suauem prouidentiam spectat, vt vnumquodque moueatur iuxta modum suæ naturæ congruentem: sed naturæ sensitiuæ, & cognoscitiuæ congruit moueri media cognitione ad fugam mali, & prosecutionem boni: sicut naturæ inanimatæ conuenit moueri inanimatè, & naturæ vegetatiuæ moueri vegetatiuè in ea, quæ sunt sibi conuenientia: ergo animalia mouentur in ordine ad rationes insensatas, attingendo ipsas media cognitione. Tum etiam, quia motus vitalis perfectus, ac progressiuus debet exequi per potentiam vitalem, & media cognitione, vt ita prædictus motus distinguatur à motibus rerum inanimatarum, & insensibilium: sed motus, quo animalia fugiunt, vel amant obiecta ob rationes insensatas, est motus vitalis, & progressiuus, vt ex se liquet: ergo prædictus motus non est impressus ab Auctore naturæ purè ab extrinseco; sed fit per potentiam vitalem, & media cognitione rationum insensatarum, in quas tendit. Quod satis persuadent ipsi motus, qui in appetitu brutorum ob diuersa obiecta consurgunt, nempe lætitia, tristitia, odium, timor, ira: quæ incredibile est fieri nisi media cognitione rationum insensatarum. Non enim lætatur, verbi gratia leæna, cum reperit filios antea sublatos, quia præcise cognoscat figuram, & colorem; cum non lætetur, aut quiescat, licet inueniat alios leunculos valde similes: cognoscit igitur esse filios,

filios, quæ est ratio insensata.

17 Dicendum est secundo æstimatiuam distingui realiter à phantasia. Ita D. Thom. 1. *p. quæstione* 78. *articulo quarto quæstione de Anima, articulo decimo tertio, & opusc.* 43. *capite quarto.* Quem sequuntur illius discipuli Caiet. & Bañez *loc. cit. ex* 1. *p.* Ferrar. *in hoc lib. quæstione* 3. & communiter omnes antiqui Philosophi, vt fatentur Conimbricens. *in præsenti capite* 3. *qu.* 1. *art.* 3.

Fundamentum est: quoniam distinctio potentiarum sumitur ab eorum actibus & obiectis: sed phantasia, & æstimatiua habent actus, & obiecta diuersa: ergo distinguuntur realiter. Minor constat ex dictis: quia obiectum phantasiæ est aliquid omnino patens, vtputa color, & figura; obiectum autem æstimatiuæ est aliquid satis latens, & occultum, verbi gratia amicitia, & inimicitia: deinde diuersus actus est attingere rationes sensatas, quod pertinet ad phantasiam, & percipere insensatas, ratione, quod ad æstimatiuam spectat: prædictæ ergo potentiæ habent actus, & obiecta diuersa.

18 Respondebis prædictos actus, & obiecta solum distingui inadæquatè, & partialiter: atque ideo posse attingi per vnam, & eandem potentiam, quæ respiciat tanquam obiectum adæquatum sensibile abstrahens à sensato, & insensato: at hæc potentia est phantasia.

Sed contra: quia magis distant inter se rationes sensatæ, & insensatæ, quam distant rationes sensatæ præsentes à se ipsis, quatenus abstrahunt ab absentia, & præsentia: sed ob hanc distantiam ponitur duplex sensus internus, quorum vnus, nempe sensus communis respiciat vt obiectum adæquatum rationes sensatas vt præsentes; alter vero, scilicet phantasia, attingat tanquam obiectum adæquatum rationes sensatas abstrahendo ab absentia, & præsentia, vt constat ex dictis *quæst. præced.* ergo ponendus est etiam duplex sensus internus, nimirum phantasia, & æstimatiua, ex quibus illa respiciat vt obiectum adæquatum rationes sensatas; hæc verò attingat rationes insensatas, vel sensibile abstrahens à sensato, & insensato.

Confirmatur: nam ex eo, quod phantasia attingat rationes sensatas abstrahendo à præsentia, & absentia; minime excluditur, quod detur alius sensus, nempe communis, qui attingat rationes sensatas determinate, vt præsentes: ergo pariter ex eo, quod æstimatiua respiciat sensibile abstrahendo à sensato, & insensato, neutiquam tollitur, quod detur alius sensus, videlicet phantasia, qui respiciat sensibile determinate vt sensatum. Et ratio est eadem vtrobique: quia natura non procedit ab infimo ad supremum, nisi per medium: vnde sicut ob distantiam inter sensus externos, & phantasiam, atque eorum obiecta, debet mediare sensus communis: ita ob majorem distantiam inter sensum communem, & æstimatiuam, illorumque obiecta, opus est, vt mediet phantasia.

Quæ omnia satis roborantur ex eo, quod natura nihil superfluum operatur: sed in cerebro reperiuntur quatuor cellulæ, seu organa, vt docent Auicenna *lib. 6. naturalium*, Auerroes *lib. de sensu, & sensato*, & D. Thom. *opusc. 43.* cum ergo duæ priores cellulæ deseruiant sensui communi, & phantasiæ; posterior vero memoriæ; sequitur, quod tertia deseruiat alteri sensui, quam vocamus æstimatiuam, & consequenter, quod hæc distinguatur realiter à phantasia. Prædictam autem cellulam describit Doct. S. his verbis: *Organum autem huius potentiæ ponitur in brutis in posteriori parte mediæ partis cerebri: in hominibus autem eius organum ponitur media cellula cerebri, quæ syllogistica appellatur. In ea vero magis viget humiditas, quam siccitas: quia æstimatiua est potentia facilè receptiua, & non bene retentiua. Sed quia nobiliori modo recipit species insensatas, quam sensus communis sensatas, petit habere humiditatem perfectiori modo siccitati commixtam.*

§. I.

Aliquæ obiectiones contra primam conclusionem & earum enodatio.

19 NVllam aduersus primam conclusionem inuenimus sententiam, quæ probetur Auctoritatibus. Habet tamen aliquas difficultates, quas oportet extricare. Primo ergo obijcies contra illam: quoniam sensus internus nequit percipere nisi, ea, quæ per externos attinguntur; sicut neque intellectus, licet nobilior sit, cognoscit nisi, quod prius fuerit in sensu: atqui rationes insensatæ non attinguntur per sensus externos: ergo neque per aliquem sensum internum, & consequenter non datur phantasia, quæ prædictas rationes tanquam obiectum respiciat.

Confirmatur: quia rationes insensatæ, vt amicitia, & inimicitia, paternitas, & filiatio, sunt valde immateriales, subtiles, & reconditæ, vt ex se liquet: ergo nequeunt attingi per potentiam cognoscitiuam corpoream, sed per solum intellectum; vt sic detur debita proportio inter obiectum, & potentiam.

Ad obiectionem respondet D. Thom. 1. *p. qu.* 78. *art.* 4. *ad* 4. his verbis: *Dicendum, quod licet intellectus operatio oriatur à sensu, tamen in re apprehensa per sensum intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest. Et similiter æstimatiua, licet inferiori modo.* Itaque ad saluandam dependentiam sensus interni ab externis, sicut & intellectus à sensu, satis est, quod nihil percipiatur à sensu interno, nisi præuia sensatione sensus externi, & quod ratio attacta per sensum internum implicetur in ea, quæ per externum attingitur. Et ita contingit in æstimatiua: nam in lupo v. g. qui cognoscitur per sensum externum, inuenitur ratio insensata inimicitiæ cum oue ad æstimatiuam spectans.

Ad confirmationem dicimus rationes insensatas non esse ita immateriales, vt sint purè spirituales, vel

ab

abstrahant à materia singulari : & ideo non petere potentiam purè spiritualem , qualis est intellectus ; sed posse attingi per potentiam corpoream, licet non parum perfectam: hæc quippe optimè attingere potest amicitiam, filiationem &c. non quidem in communi ; sed in singulari , & concretè ad materiam corpoream & sensibilem.

20 Objicies secundo : quia nequit cognosci conuenientia vnius ad aliud nisi faciendo comparationem : sed sensus intra propriam lineam consideratus nequit comparare , vt docet D. Th. 1. *p. quæst.* 78. *art.* 4. ergo nequit dari sensus , qui conuenientias insensatas attingat. Suadetur major : quoniam non potest cognosci conuenientia vnius ad aliud , nisi cognoscatur natura vtriusque , & quod vnum est iuxta exigentiam , & conditionem alterius : sed hoc est conferre , & comparare vtrumque : ergo.

Huic obiectioni (quæ eodem modo vrget in cognitione conuenientiæ rationum sensatarum , vt considerans deprehendet) respondetur cognitionem conuenientiæ, quæ habetur per discursum , & ex notitia essentiæ , & proprietatum rei , esse quidem comparationem propriam, quam meritò D. Thom. denegat brutis : simplicem vero apprehensionem conuenientiæ nullam , vel solùm impropriam comparationem importare. Æstimatiua autem intra suam lineam accepta solùm cognoscit conuenientiam per simplicem apprehensionem, & ideo non sequitur, quod proprie loquendo comparet. Addidimus, *intra suam lineam* ob ea, quæ D. Thom. 1. *parte quæst.* 78. *art.* 4. tradit his verbis : *Considerandum est autem , quod quantum ad formas sensibiles non est differentia inter hominem , & alia animalia : similiter enim immutantur à sensibilibus exterioribus. Sed quantum ad intentiones prædictas differentia est : nam alia animalia percipiunt huiusmodi intentiones solum naturali quodam instinctu ; homo autem per quandam collationem. Et ideo quæ in animalibus dicitur æstimatiua naturalis , in homine dicitur cogitatiua , quæ per collationem quandam huiusmodi intentiones adinuenit. Vnde etiam dicitur ratio particularis , cui Medici assignant determinatum organum , scilicet mediam partem capitis: est enim collatiua intentionum individualium , sicut intellectiua intentionum vniuersalium.* Et *ad quintum* addit : *Dicendum , quod illam eminentiam habet cogitatiua , & memoratiua in homine , non per id , quod est proprium sensitiuæ partis ; sed per aliquam affinitatem , & propinquitatem ad rationem vniuersalem , secundum quandam refluentiam : & ideo non sunt aliæ vires : sed eædem perfectiores , quàm sunt in alijs animalibus.* Ex quibus satis liquet æstimatiuam brutorum cognoscere absque comparatione judicatiua conuenientiam objecti.

21 Sed replicabis : quoniam vt ouis cognoscat lupum potius vt amicum , quam vt inimicum , non potest determinari neque ab obiecto , neque ab specie , nec denique à propria æstimatiua : ergo determinatur per proprium actum , quo comparat lupum sibi : aliàs nihil erit , per quod determinetur ad

apprehendendum lupum vt inimicum. Antecedens probatur : quia obiectum non determinat nisi media specie sui repræsentatiua : sed species lupi solùm repræsentat lupum, non vero ouem : ergo ouis neque per obiectum, neque per illius speciem determinatur ad cognoscendum lupum, vt inimicum oui, vel sibi. Deinde æstimatiua, sicut & aliæ potentiæ est de se indifferens ad attingenda obiecta, & ideo eget speciebus per quas determinetur : si ergo ouis nequit determinari per speciem lupi ad cognoscendum lupum tanquam sibi inimicum (vt jam probatum est), neque per propriam æstimatiuam poterit ad id determinari.

Respondetur, quod licet ouis nequeat determinari determinatione totali, & completa per solam speciem lupi ad apprehendendum eum vt sibi in particulari inimicum; valet tamen determinari per ipsam partialiter, & inchoatiuè : completur autem hæc determinatio per receptionem speciei in æstimatiua ouis, cui sese accommodat. Etenim æstimatiua ouis quantum ad attingentiam lupi vt inimici determinatur ab ipso lupo, mediante specie : quoad hoc vero, quod est apprehendere lupum, vt sibi in particulari inimicum, determinatur per ipsam naturam ouis, in qua radicatur. Vnde non est necessarium, quod illa species repræsentet expressè vtrumque extremum inimicitiæ, nimirum lupum, & ouem; sed sufficit, quod repræsenter expressè vel disconuenientiam, & non extrema, vel vnum extremum, nempe lupum, & quod determinetur per receptionem in alio, videlicet in oue : sic enim datur sufficiens, & adæquata determinatio, vt ouis apprehendat lupum inimicum, & disconuenientem sibi.

22 Objcies tertiò : quoniam repugnant species repræsentantes rationes insensatas : ergo repugnat sensus, qui illas rationes attingat. Consequentia est euidens. Et antecedens suadetur : nam in primis prædictæ species nequeunt produci ab obiecto : aliàs producentur eædem species in omnibus æstimatiuis existentibus intra sphæram actiuitatis obiecti : quod tamen esse falsum liquet ex eo, quod lupus non producit speciem inimici in alio lupo existente intra suam sphæram. Deinde nequeunt produci ab speciebus sensatis : quia istæ non agunt nisi in virtute obiecti, à quo immittuntur : vnde si istud nequit species insensatas producere, vt ostensum est; ergo nec poterunt species sensatæ. Denique non valent produci ab ipsa æstimatiua, tùm quia non datur sensus agens : tùm quia intellectus nequit efficere species, per quas primo intellecturus est : ergo neque æstimatiua poterit efficere suas species. Non apparet autem aliud principium, à quo fiant species insensatæ, præter recensita : ergo repugnant prædictæ species.

Respondetur speciem repræsentantem rationes insensatas produci immediate ab ipso obiecto, v.g. à lupo, ita vt ab vno, & eodem obiecto procedant duæ species, alia sensata repræsentans lupum præcisè quoad accidentia externa; alia vero insensata

sata repræsentans ipsum etiam vt inimicum : quia licet lupus sit vnus in esse rei ; attamen in esse obiecti multiplicatur penes dictas rationes, & ideo perit attingi, & repræsentari per species diuersas. Neque hinc sequitur, quod producat eandem speciem in æstimatiua lupi existentis intra sphæram suæ actiuitatis : quoniam sicut vnus lupus non respicit ex natura sua alterum lupum vt inimicum ; ita nec habet capacitatem ad recipiendam speciem insensatam, quæ lupum tanquam inimicum repræsentat : ratio quippe inimicitiæ non est absoluta, sed sumitur respectiue ad diuersas naturas, & ideo non omnibus, & respectu eorundem repræsentatur. Neque sequitur, quod æstimatiuæ lupi, & ouis distinguantur specie : nam quod vna queat recipere speciem repræsentantem lupum, vt inimicum ; altera vero nequeat ; non prouenit ex distinctione essentiali inter vtramque secundum se consideratam ; sed ex eo, quod radicantur in naturis differentibus. Hinc enim prouenit, quod licet attingant eandem rationem formalem, vtputa conuenientia vel disconuenientia naturæ ; nihilominus se extendant diuersimode ad obiecta materialia, in quibus ratio formalis alio, & alio modo participatur : nam in lupo v. g. reperitur disconuenientia respectiue ad ouem : & conuenientia respectiue ad lupum : & propterea petit attingi ab illis diuerso modo, & per species distinctas. Cui doctrinæ deseruit exemplum caloris naturalis, qui in viro, & fœmina est formaliter eiusdem speciei, & tamen in fœmina producit lac, non autem in viro: quia radicatur in suppositis diuersis, quibus deseruit, & se conformat.

§. III.

Refertur opinio secundæ conclusioni contraria.

23 ADuersus secundam nostram assertionem opinantur Palacios, Pererius, & Tolet. *in præf.* Conimbr. *supra cit.* Suar. *lib.* 3. *c.* 30. & alij asserentes phantasiam, & æstimatiuam esse eandem realiter potentiam, solis nominibus, aut muneribus distinctam. Quod potest suaderi : quia vna, & eadem potentia est, quæ attingit rationes sensatas, & insensatas : sed phantasia attingit rationes sensatas : ergo etiam attinget rationes insensatas ; & consequenter superfluit alius sensus diuersus à phantasia, qui illis attingendis deseruiat : Minor, & consequentia constant. Major autem suadetur, tum quia vna species repræsentat rationes insensatas, & sensatas: implicat enim, quod aliqua species repræsentet lupum vt inimicum & quod non repræsentet ipsum sub hac figura, & colore, quæ sunt rationes sensatæ, ergo pariter vna, & eadē est potentia, quæ vtrasque rationes attingit, vt ita detur debita proportio inter speciem, & potentiam. Tum etiam quia nulla potentia potest cognoscere lupum vt hostem, nisi cognoscat ipsum lupum : *hic* autem nequit cognosci *nisi per* externa accidentia, quæ sunt rationes

sensatæ

ſenſatæ : ergo vna, & eadem eſt potentia quæ attingat rationes ſenſatas, & inſenſatas.

Confirmatur : quia phantaſia attingit rationes ſenſatas, vt ex ſe liquet : deinde etiam cognoſcit inſenſatas : ergo non eſt neceſſaria alia potentia. Suadetur minor : nam conuenientia, & diſconuenientia ſunt rationes inſenſatæ : ſed phantaſia attingit conuenientiam, & diſconuenientiam ; ſiquidem textante Ariſtot. *in hoc lib. cap. 7.* mouet appetitum ſenſitiuum, qui ſolùm mouetur à conuenientia, vel diſconuenientia obiecti : ergo phantaſia attingit rationes inſenſatas.

Huic argumento reſpondetur omittendo majorem, concedendo minorem, & negando conſequentiam : quia licet æſtimatiua, vtpote potentia ſuperior ad phantaſiam valeat attingere non ſolùm rationes inſenſatas, ſed etiam ſenſatas, quas phantaſia attingit : hæc tamen, quippe inferior, nequit ad rationes inſenſatas ſeſe extendere. Vnde ſicut ex eo, quod phantaſia attingat rationes ſenſatas tã abſentes, quàm præſentes non infertur ſuperfluere ſenſum communem, qui præciſe attingat rationes ſenſatas præſentes : ita neque ex eo, quod æſtimatiua cognoſcat rationes tam ſenſatas, quam inſenſatas, ſequitur ſuperfluere phantaſiam, quæ ſolas rationes ſenſatas cognoſcat. Quoniam in potentijs corporeis non eſt prouenire ad ſupremas niſi per infimas, & intermedias. Et ſi oppoſitum ſuaderet argumentum : conuinceret vtique non dari niſi vnicum ſenſum internum, qui attingeret omnia ſenſibilia tàm ſenſata, quàm inſenſata, & tàm abſentia, quàm præſentia : atque ideo ſuperfluere alios ſenſus inferiores, qui ſenſibile ſub rationibus magis limitatis cognoſcant. Quod eſſe falſum, ſecluſo etiam communi Philoſophorum conſenſu, euincit ipſa cerebri diſpoſitio, in quo plura organa inueniuntur ; quæ minime natura conſtrueret, ſi vnicus dumtaxat foret ſenſus communis.

Ad confirmationem negamus minorem, cuius probatio non vrget : quia vt phantaſia poſſit mouere appetitum ſenſitiuum, ſufficit, quod cognoſcat conuenientia, & diſconuenientia ſecundum ſenſum, vtputa quæ inducunt dolorem, & delectationem : neque ad hoc opus eſt, vt cognoſcat conuenientia, & diſconuenientia naturæ. Vnde non infertur, quod percipiat rationes inſenſatas : quoniam non quælibet conuenientia, aut diſconuenientia ſunt rationes inſenſatæ ; ſed ſolùm eæ, quæ per ſe primò conueniunt, aut repugnant naturæ ; non vero quæ per ſe primo conueniunt, vel nocent ſenſibus externis inferendo delectationem, aut moleſtiam.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An præter æstimatiuam detur memoria, & an ab ea distinguatur.

MEmoria dicitur illa potentia, quæ attingit rationes insensatas absentes, vel vt prius cognitas: cuius existentiam, & diuersitatem ab alijs sensibus oportet in præsenti examinare, vt finem huic disputationi de sensibus internis adhibeamus.

§. I.

Resolutio difficultatis.

24 DIcendum est primo dari in parte sensitiua memoriam. Hanc conclusionem docent communiter Philosophi, & ratio satis efficax suadet: quoniam ad vitam animalis perfecti requiritur cognitio rationum insensatarum absentium, vel prius cognitarum: sed hic actus est proprius memoriæ: datur ergo memoria in parte sensitiua. Suadetur major: nam si animalia non cognoscerent rationes insensatas absentes, non possent quærere ea, quæ sibi vel filiorum procreationi sunt necessaria: & ita auis nou posset quærere paleas absentes, vel quas prius vidit; atque ideo non construeret nidum sibi, ac filijs conuenientem: ergo cognitio rationum insensatarum absentium, vel prius cognitarum est necessaria ad vitam animalis perfecti.

25 Sed obijcies: memoria vel non est in animali, vel debet esse in cerebro, vt ex se liquet: atqui nequit esse in cerebro: ergo non datur in animali. Probatur minor, tùm quia memoria, vtpote bene retentiua petit prædominium siccitatis: cerebrum autem est humidissimum: ergo memoria nequit esse in cerebro. Tum etiam; nam ideo organum odoratus debet esse iuxta cerebrum, vt diximus *disp. 11. qu. 3.* quia prædictum organum petit esse frigidum, & humidum: cùm ergo è conuerso memoria petat excellentem siccitatem, non poterit in cerebro collocari.

Respondetur negando minorem: ad cuius primam probationem dicendum est, quod licet in cerebro absolutè, & majori ex parte prædominetur humiditas; non tamen in omnibus, & singulis partibus: & ita potest dari aliqua pars, vel sinus, in quo insignis siccitas vigeat. Et huiusmodi est posterior capitis pars, in qua residet memoria, vt docet D. Thom. *opusculo sæpe citato.* Ad secundam respondemus, quod licet ex eo, quod organum olfactus sit frigidum, & humidum, bene colligatur, quod exigat existere iuxta cerebrum; non tamen infertur, quod quidquid est in cerebro debeat esse frigidum, & humidum, vel quod quidquid est siccum, aut calidum, nequeat

esse in cerebro. Vnde videmus spiritus animales in cerebro collocari, quamvis sint radij sanguinei calidissimi. Quamobrem sicut natura eam proportionem inter cerebrum, & spiritus constituit, vt ij, tametsi calidi, valeant in illo quantumvis frigido conseruari: sic etiam cerebrum ita fabricatum est, vt in eo licet humido detur quædam pars satis sicca, & hæc deseruit memoriæ.

16 Hic obserua ad memoriam pertinere attingere non solum omnes rationes insensatas absentes, sed etiam rationes sensatas, quatenus prius fuerunt per aliquem sensum cognitæ. Et ratio est: quoniam licet aliqua ratio sit absolute sensata, valeatque proinde attingi per phantasiam, aut alios sensus inferiores; nihilominus quatenus prius cognita verbi gratia per phantasiam induit insensatæ rationem, & ideo illius cognitio sub hac formalitate spectat ad sensum, cuius est cognoscere rationes insensatas. Non autem oportet ad cognoscendas rationes insensatas vt prius cognitas recurrere ad alium sensum à memoria distinctum: quia prædictæ rationes etiam vt cognitæ adhuc retinent conditionem insensatarum: vnde eadem memoria sufficit ad attingendas illas vt absentes, & ad cognitionem earumdem, vt jam præteritæ sunt.

27 Dicendum est secundo memoriam, & æstimatiuam realiter distingui. Ita D. Thom. & Auctores, quos *suprà* dedimus *num.* 9. & *num.* 17. Fundamentum est illud, quo ostendimus phantasiam, & sensum communem realiter distingui: quoniam sicut sensus communis attingit rationes sensatas, vt præsentes; & phantasia easdem rationes tàm absentes, quam præsentes: ita æstimatiua versatur circa rationes insensatas præsentes; & memoria circa easdem tàm præsentes, quàm absentes, vel præteritas: sed ob distantiam, quam in esse obiecti habent sensata, præsentia, & absentia, petunt duos sensus realiter diuersos, nempe sensum communem, & phantasiam: ergo ob eandem distantiam inter insensata præsentia, & absentia erunt necessarij duo sensus realiter diuersi, per quos attingantur, videlicet æstimatiua, & memoria. ¶ Confirmatur: nam potentia facile receptiua, & potentia bene retentiua petunt contrarias dispositiones, & diuersa organa, debentque proinde realiter distingui, vt ostendimus *num.* 9. sed respectu rationum insensatarum requiritur vna potentia facilè receptiua, nimirum æstimatiua; altera vero bene retentiua, videlicet memoria: ergo æstimatiua, & memoria sunt potentiæ realiter distinctæ.

28 Contraria nihilominus sententia magis arridet Auctoribus *num.* 11. *citatis*, in cuius probationem possent expendi argumenta, quæ ibidem enodauimus; & ideo superuacaneum foret ea in præsenti inculcare. Potest tamen aliter denuo suaderi: quoniam æstimatiua est superior, & perfectior, quam phantasia: sed hæc potest retinere species rationum sensatarum, eisque vti in absentia obiecti:

obiecti : ergo æstimatiua poterit retinere species rationum insensatarum, & eis medijs attingere rationes insensatas absentes vel præteritas ; quin ad hoc sit necessaria memoria, quæ sit potentia realiter distincta. ¶ Confirmatur : nam ad conceptum rationis insensatæ per accidens se habet, quod sit præsens vel absens ; sicuti se habet accidentaliter ad colorem, quod habeat hanc vel illam figuram : ergo quemadmodum sufficit vnica potentia visiua ad attingendum colorem sic, vel aliter figuratum : ita sufficit vna potentia interna sensitiua ad cognoscendas rationes insensatas, siue sint præsentes siue absentes.

Respondetur ex excellentia æstimatiuæ supra phantasiam solùm colligi, quod attingat excellentius obiectum, nempe rationes insensatas præsentes ; minime vero, quod attingat etiam absentes : nam attingentia rationum insensatarum præteritarum, vel absentium est ita perfecta, & excellens, vt non succedat immediatè post cognitionem phantasiæ ; sed postulet supponere potentiam intermediam, nempe æstimatiuam, vt ita ab imperfecto ad perfectissimum ascendatur per quosdam gradus. Quem ordinem optime describit Angelic. Doct. *opusc. 43. cap. 4.* his verbis : *Patet quomodo est excellentia in potentijs animæ sensitiuæ. Sensus enim proprius non potest apprehendere, nisi vnum sensatum ; sensus vero communis plura. Item & sensus communis non potest aliquod apprehendere, nisi ad præsentiam rei extra, phantasia autem formam rei retinet re absente. Item phantasia non potest apprehendere, nec retinere nisi formas à sensibilibus acceptas ; æstimatiua autem potest intentiones circa huiusmodi formas apprehendere. Æstimatiua vero licet possit huiusmodi intentiones apprehendere ; non tamen retinere : quod habet memoria.*

Ad confirmationem dicendum, absentiam, & præsentiam per accidens se habere ad rationem sensatam consideratam in esse rei ; secus vero si accipiatur in esse obiecti : nam hoc pacto importat diuersum modum attingibilitatis, vt constat ex dictis, petitque proinde attingi per potentias essentialiter diuersas. Exemplum autem in contrarium inductum nihil suadet : quia figura se habet per accidens ad colorem tàm in esse rei, quàm in ratione obiecti.

§. II.

Consectarium præcedentis doctrinæ.

29 EX dictis *in hac, & præced. quæstionib.* infertur resolutio alterius difficultatis, quæ solet exagitari in præsenti, nimirum, vtrum detur alius sensus internus præter quatuor jam recensitos. Ad quod respondendum est negatiue cum communi sententia Philosophorum, cui manifesta etiam ratio suffragatur : quoniam ad vitam animalis perfecti sufficit, quod

cognoſcat omnia ſenſibilia tàm ſenſata, quàm inſenſata, & tàm abſentia, quàm præſentia: ſed ad hæc omnia attingenda ſufficiunt quatuor ſenſus interni, videlicet ſenſus communis, phantaſia, æſtimatiua, & memoria, vt ſatis liquet ex dictis: ergo non requiritur alius ſenſus internus.

30 Nec refert ſi in fauorem Auicennæ, qui *in ſuo libro de Anima* alium ſenſum ponit, obijcias primo: quoniam proprius actus memoriæ eſt ſimplex rei cognitio prout antea cognitæ: ſed præter hunc actum datur alius, quo quaſi per diſcurſum ex aliquorum recordatione deuenimus in perfectam cognitionem aliorum, quorum antea ſolùm imperfectè recordabamur, vt experientia compertum eſt: ergo ſupra memoriam conſtituendus eſt alius ſenſus, qui illam recordationem quaſi diſcurſiuam eliciat. Cui poſitioni fauere videtur Ariſtot. *lib. de memoria, & reminiſcentia*, vbi docet præditos magno ingenio eſſe etiam magnæ reminiſcentiæ: eos vero, qui exigui ingenij ſunt; poſſe habere magnam memoriam, licet non magnam reminiſcentiam. Quæ non poſſent verificari, ſi reminiſcentia non eſſet ſenſus à memoria diſtinctus.

Reſpondetur reminiſcentiam eſſe ipſam memoriam, non ſecundum ſe acceptam, vel prout reperitur in brutis, ſed quatenus in homine participat aliquam ſpecialem perfectionem ob radicationem in natura humana. Quod explicat D. Thom. *opuſculo* 43. *cap.* 4. his verbis: *In homine non ſolùm eſt memoria, ſed etiam reminiſcentia, quæ fit per quandam collationem intentionum indiuidualium præuiarum ad formas, ſyllogiſtice diſcurrendo vſque ad vltimo quæſitum. Iſtam autem excellentiam non habent in homine æſtimatiua, & memoria per id, quod eſt partis ſenſitiuæ, ſed per affinitatem, & propinquitatem ad rationem vniuerſalem per quandam influentiam. Semper enim virtus inferior fortificatur ex conjunctione ſui cum virtute ſuperiori, eò, quod ſupremum naturæ inferioris attingit infimum naturæ ſuperioris, vt dicit Dionyſius.* ¶ Per quod patet ad id, quod additur ex Ariſtot. nam illa diuerſitas non prouenit ex eo quod memoria, & reminiſcentia realiter diſtinguantur; ſed ex eo, quod memoria in aliquibus hominibus ob nobiliorem intellectum, & perfectiores diſpoſitiones abundantiùs participat perfectionem nuper explicatam, & ideo importat majorem vim ad reminiſcendum.

31 Secundo obijcies: quia in animalibus perfectis datur ſpecialis cognitio, per quam componunt obiecta ſenſibilia, quæ in ſe ipſis carent tali compoſitione, vt patet, cùm in ſomnis ex ſpeciebus montis, & auri repræſentatur, & cognoſcitur mons aureus: atqui huiuſmodi operatio nequit reuocari in aliquem ſenſum internum ex quatuor enumeratis: ergo admittendus eſt alius ſenſus interior, qui faciat prædictam compoſitionem.

Hanc obiectionem diluit D. Th. 1. *p. qu.* 78. *art.* 4. vbi ait: *Auicenna ponit quintam potentiam mediam inter æſtima*

æstimatiuam, & imaginatiuam, quæ componit & diuidit formas imaginatas, vt patet, cum ex forma imaginata auri, & forma imaginata montis componimus vnam formam montis aurei, quam nunquam vidimus. Sed ista operatio non apparet in aliis animalibus ab homine, in quo ad hoc sufficit virtus imaginatiua, cui etiam hanc actionem attribuit Auerroes in libro quodam, quem fecit de sensu, & sensibili. Et sic non est necesse ponere nisi quatuor vires interiores sensitiuæ partis, scilicet sensum communem & imaginationem, æstimatiuam, & memoriam. Itaque sicut vis ad reminiscendum non est potentia realiter distincta à memoria; sed eadem memoria vt radicata in natura humana: ita facultas ad componendum species non est sensus diuersus à phantasia, sed eadem phantasia provt in homine participat hanc perfectionem, quæ proinde non est attribuenda brutis.

32 Sed replicabis: nam ideo in homine fit hæc compositio, aut commixtio specierum, quia ob multitudinem vaporum ad cerebrum ascedentium ipsæ species inter se permiscentur, & confunduntur vt indicat D. Thom. 1. *p. qu.* 84. *art.* 8. *ad* 2. dicens *Si vero motus vaporum aliquantulum fuerit remissior, apparent phantasmata, sed distorta, & inordinata, sicut accidit in febricitantibus:* hæc autem ratio etiam militat in brutis, vt consideranti constabit: ergo voluntariè denegatur illis virtus ad componendum inter species.

Respondetur, quod licet species brutorum permisceantur in eorum phantasia ob multitudinem vaporum ad cerebrum ascendentium, & organum perturbantium, nihilominus hæc commixtio, seu confusio solum est entitatiua, & in esse rei, sicut etiam confunduntur, & aggregantur in medio; non vero in esse intentionali, & in ordine ad repræsentandum aliquod tertium figmentum ex diuersis obiectis compositum. Et ratio est: quia phantasia brutorum non habet tantam perfectionem, vt possit repræsentare montem aureum, quem oculus nunquam vidit; sed alligata est illis obiectis simplicibus, aut compositis, quæ sensibus exterioribus percipiuntur. Et ideo vis illa componendi soli phantasiæ humanæ attribuenda est ob perfectionem, quam participat ex radicatione in natura sensitiua nobilissima, quæ simul est rationalis: hinc enim habet, quod possit componere iuxta illud, *Supremum infimi &c.*

DISPVTATIO XV.

De Anima rationali secundum se.

HACTENVS egimus de anima vegetatiua, & sensitiua, quæ sicut imperfectiores sunt anima rationali, ita sua notitia iuuant ad huius intelligentiam comparandam. Plura tamen, quæ possent hic discuti, decisa manent ex dictis tam in hoc opere, quam *in libris Physicorum*. Et ideo in præsenti disputatione duo tantum, circa animam rationalem secundum substantiam acceptam versabimus: exinceps vero de illius potentiis, & actibus latius agemus.

QVÆSTIO I.

Vtrum anima rationalis sit purè spiritualis.

HAnc difficultatem principe loco tractamus, non quia de illa sit apud Catholicos controuersia; sed quia illius resolutio & animæ nostræ nobilitatem incipit ostendere, & fundat plures veritates, vt vitam nostram probè instituamus.

§. I.

Statuitur communis, & vera sententia.

1 DIcendum est animam rationalem esse purè spiritualem. Hæc conclusio est communis inter Doctores Catholicos, & communior apud Philosophos, & adeo certa, vt plures existiment esse de fide, quia *in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica* hæc habentur: *Deus ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam, corporalem, & spiritualem, angelicam videlicet, & mundanam, deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.*

stituram. Quæ verba adeò aperte stabiliunt nostram assertionem, vt contrarium sit vtminùs temerarium, & erroneum.

Probatur primo ratione desumpta ex Aristot. *in hoc lib. text.* 7. & D. Thom. *ibid. lect.* 7. quoniam potentia purè spiritualis non potest inueniri nisi in forma purè spirituali; alias excederet suam radicem: sed intellectus, qui est potentia animæ rationalis, est purè spiritualis: ergo anima rationalis est pure spiritualis. Suadetur minor: quia potentia cognoscitiua, quæ non est pure spiritualis, læditur à vehementi sensibili, seu cognoscibili, vt patet in visu, qui si moueatur à vehementi luce, nequit postea videre alia obiecta moderata, vel ea percipit ægrè: atqui intellectus non læditur à vehementi cognoscibili; sed potius quò excellentiores, & superiores rationes attingit, eò fit habilior, & acutior ad percipiendas inferiores, vt constat experimento: ergo intellectus est potentia pure spiritualis.

2 Respondebis majorem secundi syllogismi non esse vniuersaliter veram: quia imaginatiua non læditur à vehementi imaginabili; licet sit potentia corporea. Vnde ex eo, quod intellectus non lædatur à vehementi intelligibili, inefficaciter colligitur, quod sit pure spiritualis. ¶ Sed contra: quia cum potentia cognoscitiua corporea sit corruptibilis, nequit non aliquod detrimentum reportare ex attingentia vehementis cognoscibilis ob improportionem inter vtrumque, vt constat ex supra dictis *disp.* 8. *qu.* 3. Admisso autem, quod Imaginatiua non lædatur ab aliquo imaginabili, hoc contingit per accidens: quia videlicet non datur vehemens imaginabile. Si vero istud daretur proculbubio læderet imaginatiuam, vt constat inductiue in sensibus externis. Cum ergo intra latitudinem intelligibilium detur quoddam intelligibile altissimum, & excellentissimum, nempe D. O. M. ex cuius tamen cognitione non hæbetatur intellectus noster; sed magis acuitur ad alia facilius percipienda: meritò colligitur intellectum esse potentiam pure spiritualem.

3 Secundum fundamentum nostræ assertionis potest sic formari: quoniam nulla potentia corporea potest attingere quidditatem materialem in vniuersali, siue vt abstractam à singularibus tanquam obiectum sibi proportionatum: sed obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu est quidditas materialis abstracta à singularibus vt ostendemus *disp. seq. quæst.* 2. ergo intellectus non est potentia corporea, sed pure spiritualis: idemque proinde conueniet animæ rationali, à qua intellectus connaturaliter dimanat. Maior suadetur: nam obiectum connaturale potentiæ cognoscitiuæ, & ipsa potentia debent conuenire in eodem immaterialitatis gradu: sed quidditas materialis abstracta à singularibus habet talem gradum immaterialitatis, vt partim sit in materia; & partim extra materiam: in materia quidem, quatenus à parte rei inuenitur identificata cum indiuiduis materialibus; extra materiam autem,

tem, quatenus per ſpeciem intelligibilem repræſentatur ſine illis ſingularibus: ergo prædicta quidditas ſic abſtracta nequit eſſe obiectum proportionatum potentiæ corporeæ. Patet conſequentia: quia prædicta potentia non eſt partim intra, & partim extra materiam; ſed omnino materiæ concreta: neque eſt explicabile, qualiter à materia præſcindat. Sicut è conuerſo intellectus partim abſtrahit à materia, & partim eſt in materia: abſtrahit quidem, quatenus eſt potentia ſpiritualis, & nulli organo affixa; eſt autem quodammodo in materia, quatenus eſt in anima rationali, quæ ob ſuam eminentiam taliter eſt ſpiritualis, vt ſimul ſit vera forma corporis.

Quam rationem, licet ſub aliis terminis, tetigit Ariſtot. *in præſ. text.* 4. eamque D. Thom. *ibid. lect.* 7. reduxit ad hanc formam: *Omne, quod eſt in potentia ad aliquid, & receptiuum eius eſt, caret eo, ad quod eſt in potentia, & eius eſt receptiuum: ſicut pupilla, quæ eſt in potentia ad colores, & receptiua eorum, caret omni colore. Sed intellectus noſter ſic intelligit intelligibilia, quod eſt in potentia ad ea; & ſuſceptiuus eorum, ſicut ſenſus ſenſibilium. Ergo caret omnibus illis rebus, quas natus eſt intelligere. Cum igitur intellectus noſter natus ſit intelligere omnes res ſenſibiles, & corporeas, oportet quod careat omni natura corporali: ſicut ſenſus viſus caret omni colore propter hoc, quod eſt cognoſcitiuus coloris. Si enim viſus haberet aliquem colorem, ille color prohiberet videre alios colores: ſicut lingua febricitantis, quæ habet aliquem humorem amarum, non poteſt percipere dulcem ſaporem. Sic etiam intellectus, ſi haberet aliquam naturam determinatam; illa natura connaturalis ſibi prohiberet ipſum à cognitione aliarum naturarum. Et hoc eſt, quod dicit Philoſophus: Intus enim apparens prohibet cognoſcere extraneum, & obſtruet, id eſt impediet intellectum, & quodammodo vetabit, & concludet ab inſpectione alium.*

4 Cuius rationis vis licet non obſcurè appareat tum ex ſe, tum ex *ſupra* dictis, dilucidior habebitur, ſi explicemus, & prænotemus duo, quæ in ea tangit D. Thom. Primum eſt, quod licet quælibet res habeat in eſſe rei naturam determinatam; nihilominus aliqua ſunt, quæ ſupra hanc determinationem habent aliam in eſſe intentionali, ſeu repræſentatiuo: eo quod nequeunt ſuſcipere ſpecies aliarum rerum, & eis mediis tranſformari in obiecta, modo infra declarando: & hoc pacto ſe habent lapis, & omnia inſenſibilia. Alia vero ſunt, quæ licet importent naturam determinatam in eſſe entis; gaudent tamen aliqua indeterminatione in eſſe repræſentatiuo: quia poſſunt recipere ſpecies aliarum rerum: & ita ſe habent omnia cognoſcitiua. Hæc autem indeterminatio habet ſuam latitudinem: nam quædam ſolum important indifferentiam, aut indeterminationem ad recipiendas ſpecies rerum ſingularium: quo pacto ſe habent omnes potentiæ cognoſcitiuæ corporeæ: neque enim poſſunt recipere ſpecies

rerum

rerum vniuersalium, aut eas cognoscere ob rationem, quam supra expendimus. Quædam autem sunt, quæ habent omnimodam indeterminationem in linea repræsentatiua: quia possunt recipere species omnium rerum non solum singularium sed etiam vniuersalium: & huiusmodi est potentia cognoscitiua spiritualis.

Secundum sit intellectum nostrum esse in pura potentia, seu indifferentia ad intelligendum omnia. Nam sicut in linea entis datur aliquid, quod est actus purus, nempe Deus; & aliquid, quod est pura potentia, nimirum materia prima; & aliquid, quod est partim in actu, & partim in potentia, videlicet alia entia: ita in linea repræsentatiua oportet dari intellectum, qui sit actus purissimus, nempe diuinum; & intellectum, qui partim est in actu & partim in potentia scilicet angelicũ; & denique intellectum, qui sit pura potentia, nimirum humanum. Vnde intellectus noster in linea repræsentatiua nullam naturam sibi determinat; sed habet totalem indifferentiam, vt determinetur per alia. Quod insinuauit Aristot. *loco cit.* vbi loquens de intellectu dixit: *Quare neque ipsius esse naturam, neque vnam, nisi hanc, quod possibilis sit.* Vbi non negat intellectui nostro naturam determinatam in esse entis, sed determinationem, & limitationem in esse repræsentatiuo. Vnde adiecit D. Thom. *Concludit autem ex hoc, quod non contingit naturam intellectus esse neque vnam, id est nullam determinatam; sed hanc solam naturam habet, quod est possibilis respectu omnium. Et hoc quidem contingit intellectui: quia non est cognoscitiuus tantum vnius generis sensibilium, sicut visus, vel auditus, vel omnium qualitatum, & accidentium sensibilium communium, & propriorum: sed vniuersaliter totius naturæ sensibilis. Vnde sicut visus caret quodam genere sensibilium: ita oportet, quod intellectus careat omni natura sensibili.*

5 Ex quibus roboratur fundamentum supra expensum, & applicatur menti Aristotelis: quoniam nulla potentia corporea habet naturam ita indeterminatam in esse repræsentatiuo, vt possit determinari per omnia cognoscibilia tam in particulari, quam in vniuersali: sed intellectus noster est potentia ita pura & nuda ab omni determinatione; vt valeat determinari per omnes naturas tam in particulari, quam in vniuersali: ergo non est potentia corporea, sed pure spiritualis. Maior constat ex primo notabili: minor ex secundo: & consequentia est legitima. Maneat igitur animam rationalem, cuius intellectus est proprietas, esse formam pure spiritualem.

§. II.

Obiectiones contra assertionem, & secundum illius fundamentum.

6 SEd licet noſtra concluſio ſit adeo certa; oportet tamen illi opponere aliqua, ex quorum enodatione magis firmetur. Primo ergo obijcies: nam forma pure ſpiritualis ſicut neque in eſſe, neque in fieri dependet à corpore; ita nec multiplicatur ad multiplicationem illius: atqui anima rationalis multiplicatur ad multiplicationem corporis; cum non producatur, niſi quando corpus producitur; ergo non eſt forma purè ſpiritualis. ¶ Confirmatur primo: quia ſola forma corporea dependet in ſuo fieri ab aliqua diſpoſitione corporali: ſed anima rationalis dependet in ſuo fieri à diſpoſitione corporea, quippe cum nunquam producatur, niſi introductis quibuſdam diſpoſionibus in materia prima: ergo anima rationalis eſt corporea. ¶ Confirmatur ſecundo: quoniam intellectus, qui eſt præcipua animæ noſtræ proprietas, & qui debet illius naturam ſapere, ac explicare, dependet à corpore; ſiquidem ligatur ligatis ſenſibus; & elicit meliorem operationem in habentibus meliorem complexionem: quæ ſatis indicant illius dependentiam à corpore: ergo etiam anima noſtra eſt dependens à corpore, & conſequenter corporea.

Reſpondetur ad obiectionem, quod licet forma ſpiritualis, quæ non eſt forma corporis non multiplicetur ad multiplicationem iſtius; cum nullam dicat habitudinem ad ipſum: forma tamen ſpiritualis, quæ eſt vera corporis pars, vti ſe habet anima noſtra, petit iuxta illius multiplicationem multiplicari. Quod non ideo eſt, quia corpus ſit materia, à qua anima noſtra vel in fieri, vel in eſſe dependeat; vel quæ illius ſpiritualitati præiudicet: ſed quia anima noſtra eſt vera pars hominis ordinata ad eius conſtitutionem: & ideo petit multiplicari iuxta numerum hominum.

Ad primam confirmationem reſpondetur illas diſpoſitiones, quas anima noſtra expectat, vt producatur, non concurrere in genere cauſæ materialis ad eius productionem: quod opus erat vt euinceretur animam noſtram eſſe formam corporalem; ſed ſolum eſſe veluti occaſionem ad creationem ipſius, quatenus poſita vltima diſpoſitione ad productionem hominis, Deus creat animam, qua ille conſtituitur.

Ad ſecundum dicendum intellectum noſtrum nullo modo dependere à corpore tanquam ab organo; ex quo duntaxat adſtruitur eſſe corporeum potentiæ cognoſcitiuæ. Petit tamen pro hoc ſtatu, vt connaturaliter operetur concurſum ſenſuum, internorum ipſi miniſtrantium ſpecies: & ideo ſenſibus ligatis ligatur: & quò iſti ſunt perfectiores, eò elicit ille nobiliorem operationem. Hoc autem non dependentiam, ſed ſolum connexionem arguit vt infra *diſp.* 20. *qu.* 6. magis declarabimus.

7 Secundo

7 Secundo obijcies aduersus ea, quæ in secundo assertionis fundamento diximus : quoniam ex eo, quod intellectus noster sit potentia ad cognoscendum conceptus entis, accidentis, qualitatis, & spiritus, non tollitur ab eo, quod sit ens, accidens, & qualitas spiritualis : ergo ex eo, quòd possit cognoscere quidditates materiales, & sensibiles, siue in communi, siue in particulari; non excluditur, quod sit quædam qualitas sensibilis, & corporea. Antecedens est certum : & consequentia videtur manifesta à paritate rationis. ¶ Confirmatur : quia visus est in potentia ad cognoscenda omnia visibilia, & tamen habet in se aliquod visibile, nempe lumen : deinde quilibet sensus percipit extensionem sui obiecti ; & nihilominus habet in se aliquam extensionem : denique æstimatiua cognoscit omnia sensibilia ; & tamen ipsa est aliquid sensibile ; cum sit accidens corporeum : ergo pariter optime stat, quod intellectus sit in potentia ad percipienda omnia sensibilia & quod nihilominus ipse habeat naturam sensibilem : ergo ex eo, quod sit pura potentia ad cognoscendam omnem quidditatem materialem ; minime infertur esse omnino expertem totius naturæ corporeæ.

Respondetur obiectioni concessò antecedenti, negando consequentiam : & disparitas habetur ex *supra* dictis : quoniam natura corporea est ita determinata in esse tam entitatiuo, quam repræsentatiuo, vt non relinquat indifferentiam, vt potentia determinetur per species vniuersales, seu repræsentantes naturas in communi : natura enim corporea est omnino in materia ; quidditas verò in communi partim est intra, & partim extra materiam. Hæc autem ratio non militat in conceptu entis, accidentis, & qualitatis spiritualis : nam hæc omnia, quantum est ex se, possunt esse partim intra, & partim extra materiam. Vnde ex eo, quod intellectus sit ens, accidens & qualitas ; non prohibetur huiusmodi obiecta cognoscere. Ex eo autem, quod intellectus noster cognoscat quidditates materiales in communi ; optime arguitur, quod non habeat naturam determinatam in esse repræsentatiuo, ac proinde nec naturam corpoream ; sed sit potentia pure spiritualis. ¶ Vnde constat ad omnes instantias, quæ in confirmatione recensentur : quia nulla earum suadet posse aliquem sensum attingere rationes illas sensibiles in communi acceptas, quod erat necessarium ad euertendam nostram rationem : quia non facimus vim in eo, quod intellectus cognoscat sensibilia ; sed magis in modo, quo illa attingit, nimirum in communi, & præcisa à singularibus. Et ideo quidquid sit de veritate antecedentis quoad sensibilia in particulari accepta ; negamus consequentiam ob disparitatem nuper datam.

8 Tertio obijcies : nam ex eo, quod intellectus habeat speciem intentionalem repræsentatiuam quidditatis materialis, non prohibetur cognoscere quidditatem materialem : sed species est vicaria *obiecti*, & gerit vices illius, & nihil præstat

niſi quod ipſummet obiectum præſtaret ſi vniretur per ſe ipſum: ergo etiam ſi intellectus haberet quidditatem materialem, ſeu corpoream, poſſet illam cognoſcere: non ergo infertur intellectum non eſſe potentiam corpoream ex eo, quod poteſt cognoſcere quidditatem materialem. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia ſpecies ita eſt vicaria obiecti, vt reddat illud intelligibile in actu; cum ipſum ſolum ſit de ſe intelligibile in potentia: vnde obiectum materiale nequit per ſe ipſum præſtare id, quod ſpecies eius vicaria præſtat: & ideo ſi intellectus haberet quidditatem materialem, vel eſſet ipſa quidditas; minime poſſet illam cognoſcere ſaltem per modum quiditatis ſeu in communi.

9 Vltimo obijcies: quoniam ſi anima rationalis eſſet putè ſpiritualis, intellectus noſter non eſſet pura potentia in linea intentionali: ſed intellectus noſter eſt pura potentia in hac linea, vt ſtatuimus *num* 4. ergo anima rationalis non eſt forma pure ſpiritualis. Sequela oſtenditur: nam quod eſt purè ſpirituale, & intime vnitur intellectui, eſt per ſe ipſum intelligibile, & conſtituit intellectum in actu, extrahitque ipſum à pura potentialitate, vt conſtat in eſſentia Angeli comparata ad eius intellectum: ſed anima rationalis eſt intime vnita noſtro intellectui: ergo ſi eſſet pure ſpiritualis, non poſſet non eſſe per ſe ipſam intelligibilis, & conſtituere intellectum in actu; ac proinde intellectus noſter non eſſet pura potentia in linea intentionali; ſed haberet inſeparabiliter aliquam formam huius ordinis.

Reſpondetur negando ſequelam: ad cuius probationem dicendum eſt majorem ſolum verificari reſpectu intellectus omnino ſeparati à materia, vt cum anima non eſt in corpore; vel omnino dominantis materiæ, vt contingit in beatis. Intellectus autem exiſtens in anima vnita corpori pro hoc ſtatu, nequit conſtitui proximè potens ad intelligendam animam, per ipſam animam, tanquam per ſpeciem; ſed indiget diſtincta ſpecie accepta à rebus corporeis. Et ratio eſt: quia obiectum connaturale, & proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas materialis abſtracta à ſingularibus, vt infra dicemus: & ideo quidquid cognoſcit, debet attingere per ſpecies quidditatis materialis, & adinſtar illius, vt ipſa etiam experientia ſuadet. Quamobrem nequit conſtitui potens intelligere animam, per ipſam animam, tanquam per ſpeciem: quoniam anima ſpiritualis neque eſt quidditas materialis, neque ſpecies illius, vt ex ſe liquet. Vnde recte cohæret, & quod anima noſtra ſit pure ſpiritualis, & quod intellectus noſter ſit pura potentia in ordine repræſentatiuo, vt docuit Ariſtot. *text.* 14. illis verbis: *Oportet autem ſic, ſicut in tabula nihil eſt ſcriptum actu, quod quidem accidit in intellectu.*

QVÆ

QVÆSTIO II.

Vtrum anima rationalis sit corruptibilis?

DEcisio huius quæstionis satis aperte colligitur ex dictis in præcedenti: eam tamen singillatim versamus tùm claritatis gratia, tùm quia immortalitas animæ nostræ est veluti commune totius pietatis, ac vitæ humanæ rectè instituendæ fundamentum.

§. I.

Asseritur veritas catholica, & prima ratione fulcitur.

1o DIcendum est animam rationalem esse omnino incorruptibilem. Hæc conclusio est de fide, & habetur pluribus locis sacræ scripturæ, vt *Eccles.* 12. *Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum.* Et *Math.* 10. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, & alibi frequenter. Vnde hanc veritatem definit Ecclesia *in Clement.* 1. *de summa Trinit. & Fide Catholica*, & in Concil. Later. 3. *sess.* 8. vbi hæc habentur: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, & hoc in dubium vertentes: cùm illa non solùm verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat; verum & immortalis: quod manifestè constat ex Euangelio.* Idem tradunt vnanimiter omnes Ecclesiæ Patres, & Doctores scholastici: quibus consonant nobilissimi quique Philosophi Plato, Aristot. Pythagoras, Plotinus, Epitectus, Cicero, imo vero omnes Nationes, vt inter alios late, & bene ostendit Eugubinus *lib.* 9. per plura capita.

Et quamvis possemus huius assertionis veritatem pluribus rationibus ostendere duas tantum breuitatis gratia expendemus, alteram moralem, alteram physicam. Moralis sic formatur: quoniam in quacumque republica bene instituta præcipua rectoris cura est malos pœna, & bonos præmio afficere: sed vniuersum hoc se habet vt quædam respublica, cuius Deus rector est: ergo ad prouidentiam Dei spectat malis pœnam, & bonis præmium conferre: atqui Deus multoties hæc non præstat in hac vita, cùm frequenter videamus malos deliciosè, bonos vero laboriosè vsque ad mortem viuere: ergo post mortem hominis manet eius anima, quæ vel pœnam, vel præmium juxta merita consequatur: ergo anima nostra non corrumpitur ad corruptionem hominis; sed est immortalis.

11 Respondebis primo cum Scoto *in* 4. *distinctione* 4. *qu.* 2. rationem hanc non concludere, tùm quia non constat Deum esse rectorem mundi. Tùm etiam quia sufficiens præmium virtutis est honestas, aut delectatio eius, sicut & sufficiens pœna culpæ est

turpitudo illius; etiamsi secludamus aliam pœnam post mortem, iuxta illud Aug. 8. *Confess. Iussisti, Domine, quod omnis animus deordinatus sibi sit pœna.* Tùm denique quia Philosophi vsi non fuerunt hac ratione ad suadendam immortalitatem animæ: quod tamen facerent, si eam existimassent efficacem.

Hæc tamen solutio nulli rationabili nititur fundamento, vt constabit euertendo, quæ pro se adducit. Nam in primis Deum esse rectorem huius mundi satis manifeste ostendit, & euincit D. Thom. 1. *p. qu.* 22. & vanum esset nos in re adeo clara immorari. Quod autem sola honestas virtutis sit sufficiens præmium eius, & turpitudo vitij condigna pœna illius, manifeste falsum est: tùm quia id, quod est de intrinseca ratione virtutis, aut vitij, non habet rationem præmij, aut pœnæ, quæ rector ab extrinseco taxat, vt liquet ex terminis: honestas autem consequitur virtutem, & turpitudo vitium ab intrinseco, & ex natura rei: ergo præter hæc debet rector huius mundi aliud præmium bonis, & alteram pœnam malis conferre. Tum deinde quia licet virtutem delectatio, & vitium turpitudinis remorsus consequantur; nihilominus labor virtutis solet frequenter esse major, quam illius delectatio, & vitiorum illecebræ solent remorsum turpitudinis consopire, vt experimento liquet: ergo neque virtus consequitur adæquatè in hac vita præmium sibi correspondens, neque vitium pœnam debitam sibi: sed hæc reseruanda sunt futuro, & justo Dei judicio iuxta illud *Ps.* 37. *Labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Denique quod vltimo additur, facile corruit: nam præterquam quod sufficit auctoritas SS. Patrum August. Chrysost. Clementis, & aliorum hac ratione vtentium, vt ei maximum robur inesse existimemus; ipsi etiam Philosophi eam expenderunt, vt videre est apud Platonem *dialogo de anima immortalitate*, vbi hæc habet: *Iustum est sceleratis hominibus post obitum suorum criminum pœnam dare; iustos vero præmia recipere: aliàs & mala manerent impunita, & bona sine præmio.* Eandemque rationem tradidit Socrates apud Ciceronem *Tusc.* 1. & alij apud Eugubinum *libr.* 9. *cap.* 15.

12 Respondebis secundo nostram rationem solùm conuincere, quod anima post mortem hominis conseruetur à Deo per aliquod tempus, illud videlicet, quod fuerit necessarium, vt præmium, aut pœnam debitam recipiat. Hinc tamen minime haberur, quod anima sit ex se immortalis, & petat durare in æternum.

Sed contra: quia ad rectam prouidentiam Dei rectoris huius vniuersi spectat, vt seruatis naturis rerum, & citra aliquod miraculum, bonis conferat præmium, & malis supplicium: sed ad hoc est necessarium, quod anima rationalis maneat post mortem hominis: ergo illa permanentia est citra miraculum, & iuxta natu-

ram

ram ipsius animæ : atqui forma, quæ ex natura sua potest etiam per breue tempus esse extra materiam, potest eodem modo esse in æternum extra illam : ergo si animæ nostræ debetur esse extra corpus saltem per breue tempus ; pari ratione poterit esse in æternum, & consequenter est immortalis ex se. Adde etiam peccatum mortale, vtpote importans infinitam grauitatem in ratione offensæ contra Deum infinitum, promereri ex se pœnam infinitam, saltem ex parte durationis, vt communiter docent Thomistæ *tertia parte in tractatib. de Incarnatione, & Pœnit.* ergo vt hanc pœnam sustineat connaturaliter anima nostra, debet connaturaliter durare in æternum, eritque proinde immortalis.

§. II.

Expenditur aliud eiusdem veritatis fundamentum.

13 DEinde probatur conclusio alia ratione philosophica: quoniam forma per se subsistens est omnino incorruptibilis : sed anima nostra est forma per se subsistens, vt constat ex dictis *quæstion. præcedent.* vbi ostendimus eam esse formam pure spiritualem, seu non dependentem à corpore : ergo anima nostra est omnino incorruptibilis. Suadetur major : quia quidquid corrumpitur, vel corrumpitur per se, vt equus quando moritur ; vel corrumpitur per accidens, hoc est, ad corruptionem alterius, vt anima equi, cùm iste perit : atqui forma per se subsistens neutro ex his modis potest corrumpi : ergo, &c. Probatur minor : nam in primis forma per se subsistens nequit corrumpi per accidens, seu ad corruptionem alterius : quia vnumquodque sicut habet *fieri*, & *esse*, ita habet *destrui* : forma autem per se subsistens nec fit, nec existit ad fieri, vel esse alterius : cùm habeat fieri, & esse per se : ergo forma per se subsistens nequit corrumpi per accidens, siue ad corruptionem alterius. Deinde nequit corrumpi per se : nam eatenus aliquid corrumpitur per se, quatenus ab eo separatur *esse*, vt constat in corruptione omnium compositorum ; sed à forma per se subsistenti nequit separari ipsa forma, vt liquet ex terminis ; neque ipsum *esse*, siquidem esse conuenit per se, & immediate formæ per se subsistenti ; & nihil est separabile ab eo, cui per se, & immediate conuenit: ergo forma per se subsistens nequit corrumpi per se.

Confirmatur primo, & aperitur vis huius rationis : quia sicut ad hoc, vt aliquid generetur, opus est, quod incipiat habere *esse* in subiecto, à quo dependeat : ita vt aliquid corrumpatur, est necessarium, quod relinquat suum *non esse* in subiecto, à quo dependebat : nam quemadmodum generatio est transitus à non esse ad esse

ex

ex aliquo præſuppoſito ſubiecto: ita corruptio eſt tranſitus de eſſe ad non eſſe in aliquo ſubiecto remanente: ſed forma per ſe ſubſiſtens, quamvis informet aliquod ſubiectum; minime tamen ab eo dependet: ergo forma per ſe ſubſiſtens nequit corrumpi. ¶ Confirmatur ſecundo: nam ideo equus eſt corruptibilis per ſe, quia habet eſſe per ſe mediante forma, quæ eſt ab ipſo ſeparabilis: & ideo forma equi eſt corruptibilis per accidens, quia per ſeparationem ſui ab equo poteſt amittere eſſe exiſtentiæ, quod ab ipſo equo participabat: ſed forma per ſe ſubſiſtens non valet ſeparari à ſe ipſa; neque ab alio, à quo participet eſſe; ſiquidem ipſa habet eſſe per ſe, ac independenter à materia, & compoſito: ergo nequit vllo modo corrumpi. Cùm igitur anima noſtra ſit forma per ſe ſubſiſtens, ſequitur, quod ſit omnino incorruptibilis, & immortalis.

14 Sed obijcies: quoniam eſſe, ſeu exiſtere nulli creaturæ conuenit per ſe: ergo falſum eſt, quod forma per ſe ſubſiſtens habet eſſe, vel exiſtere per ſe. Antecedens probatur, tùm quia exiſtere prædicatur omnino accidentaliter de qualibet creatura; cùm nec ſit de eſſentia eius, nec propria paſſio illius, vt oſtendit D. Thom. 1. *parte quæſtione tertia, articulo quarto*, ſed quod prædicatur accidentaliter, non conuenit per ſe, vt liquet ex terminis: ergo. Tùm etiam, quia nulla res poteſt intelligi ſub oppoſito eius, quod ei conuenit per ſe: ſed quælibet creatura poteſt intelligi ſub non eſſe: ergo eſſe nulli creaturæ conuenit per ſe.

Confirmatur: nam ſi in aliquo ſenſu eſſe conueniret per ſe formæ per ſe ſubſiſtenti, maxime in quantum ly *per ſe*, valet idem, ac immediate, ſeu non per aliud; neque enim ly *per ſe* poteſt alium verum ſenſum habere, vt conſtat ex præmiſſa obiectione: ſed ex eo, quod *eſſe* conueniat alicui immediate, ſeu non per aliud, minime ſequitur, quod ſit inſeparabile ab eo, cui ita immediate conuenit; ſiquidem etiam forma conuenit immediate materiæ, & albedo quantitati, à quibus tamen ſunt ſeparabiles: ergo nulla eſt ratio, quare forma per ſe ſubſiſtens nequeat ſeparari à ſuo eſſe, & conſequenter deficere.

Reſpondetur obiectioni animaduertendo, quod conuenire aliquid alicui *per ſe* ſtat dupliciter, nimirum ſimpliciter, & phyſice. Tunc conuenit aliquid alicui *per ſe ſimpliciter*: quando ei conuenit ex habitudine terminorum, & nulla facta ſuppoſitione accidentali: quo pacto quinario conuenit eſſe imparem, & homini eſſe rationalem. Et quod ſibi vendicat hunc modum conuenientiæ, nequit concipi ſub oppoſito eius, quod ſibi ita conuenit, vt conſtat ex exemplis adductis. Tunc autem conuenit aliquid alicui *per ſe phyſicè*, quando aliquid non neceſſarium ſupponit, facta tamen aliqua ſuppoſitione,

positione, conuenit necessario necessitate naturalis cursus rerum. Et hac ratione Sorti conuenit corruptio: quia licet aliquid non necessarium supponat, nempe Sortis productionem; ea tamen supposita, necessarium est necessitate naturalis cursus, quod Sortes aliquando corrumpatur. Et cùm hoc modo conuenientiæ recte cohæret, quod aliquid concipiatur sub opposito eius quod ei conuenit, vt constat ex eodem exemplo: nam potest Sortes præintelligi ad illam suppositionem, quo pacto non subest corruptioni.

Hinc facile diluitur obiectio distinguendo antecedens, & si intelligatur *de perfeitate simpliciter* concedendum est, si vero de *perfeitate physica*, negetur: quia licet formæ per se subsistenti non conueniat existere ex habitudine terminorum, & nulla facta suppositione accidentali; attamen facta suppositione, quod prædicta forma fuerit à Deo producta, petit necessario necessitate cursus naturalis, quod *esse* conueniat ei inseparabiliter, & quod Deus ipsum conseruet. Et ad primam probationem in contrarium respondetur, quod *esse* conuenit per accidens cuilibet creaturæ; quatenus ly *per accidens* opponitur perfeitati simpliciter; non vero si opponatur perfeitati physicæ. Quod sufficit, vt esse prædicetur accidentaliter logicè, seu prædicabiliter de qualibet creatura, vt intendit D. Thom. & minime excludit, quod formæ per se subsistenti ex suppositione, quod producatur, conueniat esse per se physice loquendo, seu necessitate cursus naturalis rerum. Ad secundam constat ex dictis: nam ex eo, quod esse conueniat per se perfeitate physica formę per se subsistenti; non tollitur; quod possit concipi sub opposito, nempe sub non esse; ad hoc enim erit necessaria perfeitas logica, seu ex habitudine terminorum.

Ad confirmationem constat ex nuper dictis, qualiter esse dicatur conuenire *per se* formæ per se subsistenti. Quibus addimus, quod dupliciter potest aliquid alicui conuenire per se, id est *immediate*, seu non *per aliud*: primo ita, vt non mediet aliqua forma; mediet tamen actio, quæ rei præexistenti aliquid de nouo vniat: secundo ita vt neque forma, nec actio mediet. Ex primo ergo modo immediationis nequit inseparabilitas efficaciter colligi; bene autem ex posteriori: quia quæ eadem actione petunt per se fieri, eadem petunt deficere. Vnde quia forma per se subsistens ita immediate vnitur propriæ existentiæ, vt tàm formam, quàm actionem intermediam naturaliter loquendo, excludat: non enim per vnam actionem fit forma, & per aliam propriæ existentiæ conjungitur; sed ipsum fieri formæ ad prædictam conjunctionem terminatur: merito colligitur esse inseparabilem à suo esse. Forma autem sublunaris producitur per se loquendo per distinctam actionem ab ea, qua creata est materia, eique postea copulatur: & similiter albedo potest quantum est de se, produci, & vniri superficiei per actionem

diuersam ab ea, qua superficies producitur: vnde queunt à materia, & superficie naturaliter separari.

15 Dices, ex omnibus ijs solum haberi, quod anima nostra non sit corruptibilis corruptione propriè dicta; seu per resolutionem in præexistens subiectum; minime vero, quod sit omnino incorruptibilis, vt in assertione statuimus: potest enim deficere per annihilationem, quæ est corruptio impropria, & cui subest omnis creatura. ¶ Sed hoc nihil est: quia in præsenti loquimur de immortalitate animæ in ordine ad prouidentiam ordinariam, & ad id, quod anima postulat ex se, & sibi relicta. Annihilatio autem est extra cursum rerum ordinarium, & à nulla creatura exigitur, vt docet D. Thom. 1. *part. quæst.* 104. *art.* 4. Vnde quod anima rationalis possit desinere per annihilationem, non præjudicat nostræ assertioni.

§. III.

Satisfit motiuis contrarij erroris.

16 SAdducæi negarunt animæ nostræ immortalitatem, vt colligitur ex *Math.* 22. *& Act.* 23. quibus consenserunt alij Philosophi, & hæretici, quos referunt D. August. *de spiritu, & littera cap.* 48. & D. Ioann. Damasc. *in Cathalogo hæresi* 20. Et probatur primo hic error quibusdam auctoritatibus Sacræ Scripturæ, quibus indicatur animam nostram esse mortalem. Nam Gen. 9. dicitur: *Sanguinem animarum vestrarum*, vbi denotatur animam esse sanguinem, vel eo constare: erit ergo corruptibilis sicut ipse. Et Gen. 37. *Non interficiatis animam eius*: ergo anima potest interfici. Et *Eccles.* 3. *Vnus est interitus hominum, & jumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius*, ergo sicut jumenta habent animam mortalem, ita & homo. Et *Sap.* 2. *Ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus, quasi non fuerimus*: nihil ergo hominis manet post mortem eius, ac proinde nec anima,

Respondetur ad primum testimonium vitam frequenter in Scriptura. vocabulo animæ significari: vnde per illa verba solùm designatur vitam totius hominis à sanguine pendere. Ex quo etiam liquet ad secundum: quia Ruben nomine animæ significauit vitam, vel personam Ioseph, iuxta phrasim Scripturæ, in qua animæ voce solet totus homo significari, vt *Gen.* 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, vbi Septuaginta habent: *Da mihi homines.* Ad tertium dicendum cum D. Gregor. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 4. illa verba non esse Salomonis, sed impij, qui à Salomone ea proferens introducitur. Et eodem modo exponitur quattum, vt liquet ex his, quæ sapiens subjunxit: *Hæc cogitauerunt impij, & errauerunt.*

Secundo arguitur auctoritate Aristot. qui videtur huic positioni fauere: nam 2. *de gener. animal. cap.* 3. docet

3. docet animam rationalem contineri in potentia materiæ: ergo anima noſtra educetur à materia; à qua proinde pendebit, eritque conſequenter corruptibilis. Et 1. *Ethic. cap.* 6. Solonem aſſerentem felicitatem hominis eſſe poſt mortem confutat hoc diſcurſu: nam felicitas conſiſtit in operatione: at poſt mortem nulla eſt operatio hominis: ergo nec felicitas. Vbi aperte indicat animam hominis non manere poſt mortem; aliàs capax eſſet operationis, & felicitatis. Et *in hoc lib. cap.* 5. *text.* 20. ponit intellectum agentem, & paſſiuum, & docet paſſiuum eſſe corruptibilem; hic autem eſt potiſſima proprietas animæ noſtræ, & quæ eius indolem, ac perfectionem declarat: ergo anima noſtra iuxta mentem Ariſtot. eſt corruptibilis.

Reſpondetur Philoſophum nullo ex inductis teſtimonijs veritati Catholicæ repugnare: non quidem primo, quia loquitur de anima quoad vnionem, cum corpore, quæ verè educitur de materia, & poſtea ad corruptionem hominis corrumpitur. In ſecundo autem non loquitur de felicitate propria animæ ſeparatæ; ſed de felicitate hominis mortalis: quam merito negat poſt mortem hominis, cùm poſt mortem non ſit homo: vnde iure reprehendit Solonem, qui nullam homini attribuebat beatitudinem in hac vita. Denique in tertio non loquitur de intellectu, qui eſt proprietas animæ, & in ea adæquate recipitur; ſed de reminiſcentia, quæ eſt potentia ſenſitiua, licet intellectus vocabulo ſoleat inſigniri: & hanc aſſerit corrumpi. Vnde D. Th. *ibid lect.* 10. inquit, *Dixit, quod corrupto corpore, non reminiſcitur anima, neque amat.* Et poſt pauca: *Paſſiuus intellectus id eſt pars animæ, quæ non eſt ſine prædictis paſſionibus, eſt corruptibilis: pertinet enim ad partem ſenſitiuam. Tamen hæc pars animæ dicitur intellectus; ſicut & dicitur rationalis, in quantum aliqualiter participat rationem obediendo rationi, & ſequendo motum eius, vt dicitur in primo Ethicorum.* ¶ Argumenta à ratione, quæ poterant hic formari ſoluta manent ex dictis *in lib. Phyſ. diſput.* 4. *quæſt.* 2. *& diſp.* 7. *quæſt.* 3. vbi videantur.

DISPVTATIO XVI.

De obiecto intellectus possibilis.

POST notitiam animæ rationalis quoad substantiam, superest, vt disseramus de eius potentijs. Inter quas licet primò occurrat intellectus agens, cuius operatio præcedit operationem intellectus possibilis; prius tamen de hoc, quam de illo nobis agendum est, vt Aristotel. & D. Thom. imitemur, & quia de intellectu possibili plura tractari possunt; vt majori luce procedamus, ea per varias disputationes distribuemus. In præsenti vero, & prima quæstione agemus de illius obiecto: quia obiectum est prima mensura potentiæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum ens in tota sua latitudine sit obiectum adæquatum extensiuum intellectus possibilis?

PRo tituli, & quæstionis intelligentia obseruandum est cum Caiet. 1. *p. q.* 12. *art.* 4. obiectum adæquatum potentiæ cognoscitiuæ esse duplex, *intensiuum* videlicet, & *extensiuum*. Intensiuum dicitur illud, quod potentia valet proprijs viribus, & absque additione nouæ virtutis attingere: quamobrem solet etiam *proportionatum*, & *motiuum* appellari, quia nimirum proportionatur efficacitati potentiæ, potestque illam intentionaliter, ac connaturaliter immutare. Extensiuum autem vocatur illud, quod attingere valet potentia vel per proprias, vel per superadditas vires saltem cum difficultate; & non valet vltra illud procedere: qua de causa dici etiam

dici etiam consueuit *terminatiuum*, quia videlicet est terminus adæquatus totius extensionis, & sphæræ potentiæ, & omnino terminat eius vim. Præsens ergo difficultas procedit de obiecto extensiuo: de intensiuo autem agemus in sequenti.

§. I.

Illustratur communis sententia.

1 Dicendum est obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus esse ens in tota sua latitudine. Ita D. Thom. 1. *p. qu.* 79. *art.* 7. vbi inquit: *Intellectus respicit suum obiectum secundum communem rationem entis, eò quod intellectus possibilis est, quod est omnia fieri: vnde secundum nullam differentiam entis diuersificatur differentia intellectus possibilis.* Idem docet *qu.* 87. *art.* 3. *ad* 1. & alibi sæpe. Angelico Doct. consentiunt non solum Thomistæ, sed etiam extranei, Scotus in 1. *disp.* 3. *qu.* 3. Suarez *tract.* 3. de Anima *lib.* 4. *quæst.* 1. & communiter alij Theologi, & Philosophi.

Probatur ratione: quia obiectum adæquatum extensiuum potentiæ cognoscitiuæ est illud, ad quod valet potentia per proprias, vel per superadditas vires se extendere, & vltra non potest: sed intellectus noster potest per proprias, vel superadditas vires se extendere ad cognoscendum ens in tota sua latitudine; & nequit se extendere vltra ens: ergo ens in tota sua latitudine est obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus. Minor in qua solum potuerat esse difficultas; est satis manifesta: quoniam intellectus noster nequit attingere nisi ens, & nullum est ens, quod non possit vtcumque à nostro intellectu attingi: vnde valet, saltem adiutus lumine eleuante, cognoscere Deum, Angelos, entia supernaturalia, & denique omnia entia diuisiuè.

Confirmatur: quia nulla potentia valet eleuari ad attingendum ea, quæ sunt extra illius obiectum adæquatum extensiuum: hac quippe ratione nequit visus eleuari ad percipiendum sonum, nec gustus ad cognoscendum colorem: sed intellectus noster potest eleuari ad cognoscendum Deum in se ipso, quod est excellentissimum entium & obiectorum; & consequenter valet attingere quodcumque ens siue naturale, siue supernaturale, vt communiter docent Theologi 1. *p. qu.* 12. ergo obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus non est aliqua determinata species entis, sed ens in tota sua latitudine.

2 Respondebis ad rationem obiecti adæquati extensiui sufficere, quod attingatur per se primo, & ratione sui, & quod si alia cognoscantur à potentia, attingantur in ordine ad ipsum, vt constat in Theologia, quæ licet plura præter Deum cognoscat; nihilominus solum Deum respicit vt obiectum adæquatum extensiuum, eò quod respicit Deum per se primo, & omnia alia secundariò, & in ordine ad Deum. Quare cum intellectus noster saltem pro hoc statu respiciat per se primo quidditatem materialem; alia vero

duntaxat attingat secundario & per analogiam ad prædictam quidditatem : sequitur solam quidditatem materialem esse obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus; non autem ens in omni sua latitudine.

Sed contra : quia doctrina huius euasionis solum potest verificari, quando potentia ita attingit primario vnum obiectum, vt repugnet alia attingere, nisi per ordinem ad illud, vt contingit in Theologia, quæ nullo modo attingit creaturas, nisi quatenus important ordinem ad Deum, quem primario respicit. Atqui intellectus noster potest eleuari ad attingendum Deum, & alia entia spiritualia, & supernaturalia absque vllo ordine ad quidditatem materialem : ergo non hæc, sed ens in tota sua latitudine est obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus. Quod autem pro hoc statu, & sibi relictus solum attingat quidditatem materialem, & cætera ad instar illius; tantum conuincit prædictam quidditatem esse obiectum adæquatum intensiuum seu proportionatum nostri intellectus pro hoc statu, vt constabit ex quæstione sequenti.

3 Dices rationem nostram, si quid probat, conuincere, quod ens in tota sua latitudine prout ambit entia realia, & rationis, sit obiectum adæquatum nostri intellectus; quandoquidem iste potest etiam se extendere ad attingenda entia rationis : hoc autem est absurdum : ergo prædicta ratio non concludit. Probatur minor, tum quia jam id, quod re ipsa est nihil, ingrederetur ad specificandum realem potentiam. Tum etiam, quia ea, quæ specificant potentiam, debent vniuocari in aliqua ratione : enti autem reali, & rationis nihil potest esse vniuocum. Tum denique & præcipue : quia ens rationis est talis conditionis, vt neque per diuinam potentiam possit attingi nisi in ordine ad ens reale, & ad instar illius : & ob similem rationem nuper diximus creaturas non pertinere ad obiectum adæquatum intensiuum, seu primarium Theologiæ.

Respondetur admittendo sequelam, & negando minorem : ad cuius primam probationem dicendum est ens rationis non esse purum nihil, sed fundare plures veritates attingibiles ab intellectu : vnde sicut est obiectum adæquatum specificatiuum cuiusdam habitus realis, nempe Logicæ; ita potest ingredi rationem obiecti adæquati, & specificatiui potentiæ realis. Ad secundam respondemus ens reale, & rationis vniuocari in esse scibilis, & intelligibilis; quia licet ens rationis habeat entitatem secundum quid, fundat tamen veritatem obiectiuam, & propositiones æternæ veritatis. Videantur quæ diximus in Logica *disp.* 1. *quæst.* 2. §. 4. vbi vtraque hæc probatio inuenietur eneruata.

Ad tertiam respondetur, quod licet in executione nunquam intellectus attingat ens rationis nisi supposita cognitione entis realis, ad cuius instar illud formatur, & cognoscitur; nihilominus in intentione fertur immediatè, & per se primo, quamvis inadæquate, in veritates entis rationis : cæ quippe sunt propria perfectio

perfectio intellectus, sicut veritates entis realis. Vnde quemadmodum ex eo, quod intellectus nequeat attingere in executione proprietates alicuius rei, nisi supposita cognitione essentiæ, & per respectum ad illam non infertur quod sola essentia sit obiectum adæquatum specificatiuum intellectus: ita ex impotentia ad cognoscendum ens rationis, nisi præhabita notitia entis realis; non conuincitur, quod istud solum constituat obiectum adæquatum intensiuum intellectus. Et ratio est eadem vtrobique: quia videlicet tota illa dependentia est in excutione, non vero intensione, penes quam potius specificatio potentiæ, vel habitus regulanda est. Vtriusque enim entis cognitio est propria intellectus perfectio; & vtramque intendit per se primo: & ideo per respectum ad vtrumque ens habet speciem. Cui doctrinæ subsidio sunt, quæ docent N. Salmant. de vltimo fine *disp.* 1. *dub.* 3. *à num.* 62. & præcipuè *n.* 64. Exemplum autem Theologiæ non conuincit: quia tam in executione, quam in intensione respicit secundariò creaturas, vtpote quæ solam cognitionem Dei intendat, cui deseruit cognitio creaturarum. Intellectus autem intendit primario cognitionem veritatis absolutè: quia hæc ita absolutè accepta est propria perfectio illius. Vnde cum ens rationis fundet veritates non minus necessarias, ac ens reale; sequitur, quod pertineat ad obiectum specificatiuum intellectus. Quæ potius occasione obiectionis, quam animo rem determinandi dicta volumus: habeantur tamen vt satis probabilia.

§. II.

Aliquæ obiectiones contra conclusionem, & earum solutio.

4 ADuersus nostram, & communem assertionem sunt aliquæ obiectiones, quibus respondere oportet. Primò igitur oppones: quoniam intellectus noster nihil intelligit nisi ministerio sensuum: at ministrio sensuum nequit intelligi ens in tota sua latitudine; sed tantum quidditas materialis: ergo hæc erit obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus. ¶ Respondetur majorem solum verificari pro statu coniunctionis intellectus ad corpus, non verò de intellectu accepto secundum se: vnde nihil concludit, quia in designando obiecto extensionis, non status, sed quidditas potentiæ attendenda est. Imo etiam pro hoc statu intellectus ad plura se extendit, quam ad quidditatem materialem, vt experientia liquet; quamvis omnia intelligat dependenter à sensibilibus, & ad instar eorum; sed hoc non tollit, quod illa etiam pertineant ad eius obiectum adæquatum, vt constat ex *supra* dictis.

5 Secundo obijcies: nam vna, & eadem potentia nequit attingere ens naturale, & supernaturale: sed ens in tota sua latitudine ambit vtrumque: ergo nequit esse obiectum vnius potentiæ, qualis est noster intellectus. *Suadetur* major: quia ens naturale *petit* attingit per poten

potentiam naturalem; ens vero supernaturale per potentiam supernaturalem: constat autem, quod vna, & eadem potentia nequit esse naturalis, & supernaturalis: ergo neque attingere ens naturale, & supernaturale. ¶ Respondetur negando majorem, cuius probatio parum vrget: quia licet potentia attingens propriis viribus ens supernaturale debeat esse supernaturalis; id tamen non petit, quæ indiget virtute superaddita ad attingendum ens supernaturale: & ideo potentia entitatiuè naturalis, qualis est intellectus noster, si eleuetur per rationem agendi proximam supernaturalem, potest ens supernaturale attingere.

6 Tertio obijcies: nam si obiectum adæquatum extensiuum nostri intellectus esset ens in tota sua latitudine, idem esset obiectum extensiuum nostri intellectus, & intellectus angelici; quandoquidem iste nequit nisi ad ens in tota sua latitudine se extendere: ex quo vlterius fieret vtrumque intellectum esse eiusdem speciei; hæc quippe sumitur ab obiecto extensiuo: consequens autem videtur absurdum: ergo antecedens est falsum.

Huic obiectioni respondetur primo admittendo primam sequelam, & negando secundam, quam inferta probatio non euincit: quoniam specificatio potentiæ non ab eius ratione *qua* obiectiua, sed à ratione *sub qua* desumenda est, vel à ratione *qua*, vt subest rationi *sub qua*. Quamvis autem intellectus noster, & angelicus attingant idem obiectum extensiuum, seu rationem *qua*; attamen eam respiciunt sub diuersa *sub qua*: nam angelicus attingit *ens* per simplicem notitiam, & excludendo discursum; humanus autem ita tendit in *ens*, vt queat ipsum per discursum attingere: deinde angelicus cognoscit ens modo immaterialiori, quam humanus, vt sumitur ex D. Thom. 1. *p. quæst.* 14. *art.* 4. Vnde recte componitur, quod habeant idem obiectum extensiuum, & quod nihilominus distinguantur specie.

Respondetur secundo cum Caiet. 1. *p. q.* 77. *art.* 3. & Ferrar. 2. *contra Gentes cap.* 94. intellectum humanum posse bifariam considerari, nempe in ratione potentiæ, vel in esse proprietatis. Ratio potentiæ sumitur in ordine ad obiectum, quod attingit: ratio vero proprietatis per respectum ad naturam, cui inest. Et quia intellectus angelicus, & humanus respiciunt idem obiectum extensiuum, & radicantur in diuersis essentiis: proprerea sunt eiusdem speciei in esse potentiæ, & diuersæ in ratione proprietatis. Vnde ad obiectionem neganda est minor, si procedat de intellectu humano, & angelico sumptis in ratione potentiæ.

7 Hæc tamen solutio non arridet Suario, & aliis. Iunioribus, pluraque aduersus illam intorquent. Primo: quia potentiæ non sunt proprietates, nisi quatenus sunt potentiæ: ergo differunt, vel conueniunt in vtraque ratione. *Secundo*; nam proprietates, vt proprietates, sunt in aliqua specie qualitatis non in alia quam in specie potentiæ: ergo si differunt vt proprietates, distin-

distinguentur etiam vt potentiæ. *Tertio*: quia potentiæ, vt potentiæ, sunt accidentia: non communia: ergo propria: ergo differunt, vel conueniunt in ratione tam potentiæ, quam proprietatis.

Confirmatur: quoniam intellectus angelicus, & humanus distinguuntur specie in esse potentiæ: ruit ergo illa distinctio intellectus in esse potentiæ, & proprietatis. Suadetur antecedens: tum quia prædictæ potentiæ oriuntur ab essentiis specie diuersis: diuersitas autem specifica principij debet relucere in effectu. Tum etiam, quia intellectus humanus in ratione potentiæ est pura potentia; angelicus vero est partim in actu, & partim in potentia: ille tendit in obiectum per discursum; iste autem simplici notitia: & denique ille est in altiori gradu immaterialitatis, quàm iste: quæ omnia attestantur diuersitatem specificam inter vtrumque, etiam si in ratione potentiæ considerentur. Tum denique, quia hoc ipso, quod aliqua differant in aliquo pertinente ad suam rationem atomam, & differentialem, nequeunt non distingui in omnibus ad eam pertinentibus: sed ad rationem atomam, & differentialem intellectus humani pertinet esse proprietatem hominis, & esse potentiam: ergo si in ratione proprietatis differt ab intellectu angelico, sequitur quod differat etiam in omnibus ad prædictam rationem spectantibus, ac subinde in esse potentiæ.

Sed hæc non eneruant traditam solutionem, nec doctrinam in ea inclusam: nam quidquid sit de præsenti materia, in aliis necessariò admittenda est: lux quippe in esse lucis eandem speciem habet tam in sole, quam in aëre; diuersam tamen rationem sortitur in vtroque sub conceptu proprietatis, cum sit proprietas solis, & non aëris. Similiter æstimatiua hominis, & bruti est eiusdem speciei in vtroque, si consideretur in esse potentiæ, seu respectiue ad obiectum; diuersæ autem si consideretur vt proprietas, & relate ad naturam: & ideo in homine discurrit circa singularia; non vero in bruto, vt diximus *disp.* 14. *num.* 30. Quia licet æstimatiua consequatur eundem gradum vitæ sensitiuæ; hic tamen diuersimode determinatur in homine, ac in bruto; & ideo potest radicare accidentia, quæ absolutè sint eiusdem speciei, & differant realiter, seu in esse proprietatis, & comparatiuè ad radicem. Cuius doctrinæ possemus plura exempla in medium producere: sed adducta sufficiunt ad rem præsentem illustrandam.

8 Vnde ad primam obiectionem negandum est antecedens: quia licet eadem res sit proprietas, & potentia; nihilominus eæ rationes satis inter se differunt: vnde rectè cohæret, quod duæ res *conueniant in esse potentiæ, & differant in esse proprietatis*: sicut lux solis, & aëris conueniunt in esse lucis, seu potentiæ, & differunt in ratione proprietatis; cum lux sit proprietas solis, & non aëris. ¶ Ad secundam dicendum proprietates, vt *proprietates non esse directe in aliqua specie*; sed tantum *reductiue*: quia

conceptus proprietatis ſupra eſſentiam potentiæ ſolum addit reſpectum ad naturam, ſeu modum radicationis in illa: & ideo ex eo, quod differant in prædicto modo, non ſequitur, quod diſtinguantur in conceptu ſpecifico potentiæ: ſicut lux ſolis, & aëris important diuerſos modos radicationis, & conuenientiæ ad naturam; & tamen in ratione potentiæ retinent vnitatem ſpecificam. ¶ Ad tertiam reſpondemus potentias eſſe quidem accidentia propria, cæterùm ratio accidentis proprij, vel communis non eſt primarius, & ſpecificus conceptus potentiæ: ſed ſupra conceptum ſpecificum potentiæ addit modum radicationis in natura. Vnde componitur, quod duæ potentiæ ſint eiuſdem rationis in eſſe potentiæ, & non in eſſe proprietatis, ſicut liquet exemplo lucis relatæ ad ſolem, & aërem.

Ad confirmationem negatur antecedens: & ad primam probationem dicendum eſt ea, quæ oriuntur à principiis eſſentialiter diuerſis, eſſe diuerſa, quatenus reſpiciunt ſua principia: poſſe tamen conuenire in reſpectu ſpecifico ad alium terminum. Et ita licet intellectus angelicus, & humanus differant penes reſpectum ad diſtinctas radices, quod eſt diſtingui in eſſe proprietatis; conueniunt tamen in habitudine ad idem obiectum, quod eſt conuenire in ratione potentiæ. Sicut æſtimatiua hominis, & bruti differunt per reſpectum ad diuerſas naturas, à quibus fluunt; & conueniunt per ordinem ad obiectum, quod reſpiciunt. ¶ Ad ſecundam reſpondemus omnes illas differentias inter intellectum angelicum, & humanum conuenire illis ob radicationem in diuerſis naturis, non vero ſi conſiderentur ſecundum ſe, & comparatiue ad obiectum. Vnde ſicut ex eo, quod æſtimatiua diſcurrat in homine, non vero in bruto; & ex eo, quod in illo ſit perfectior, ac immaterialior, quam in iſto; non infertur, quod differant in eſſe potentiæ, ſeu in conceptu ſpecifico æſtimatiuæ; ſed tantum in eſſe proprietatis: ita ex eo, quod intellectus humanus diſcurrat; non vero angelicus: & ex eo, quod iſte ſit actualior, ac immaterialior quam ille; ſolum infertur diſtinctio modalis, & in eſſe proprietatis; non vero in ratione potentiæ. Et ratio eſt eadem vtrobique, vt conſideranti conſtabit. ¶ Ad tertiam dicimus conceptum proprietatis non pertinere ad conceptum ſpecificum intellectus; ſed addere modum radicationis in natura. Et ideo poſſunt duo intellectus differre in ratione proprietatis pertinente ad inſtar modi ad ſuum conceptum differentialem; & tamen non differre in ipſo conceptu: ſicut æſtimatiua hominis; & bruti retinent conuenientiam ſpecificam in eſſe potentiæ; quamvis differant in aliquo modo ſuperaddito rationi differentiali potentiæ. Ex quibus omnibus habetur, quod licet intellectus vt humanus, & intellectus vt angelicus differant inter ſe: quia ſub his denominationibus objciunt expreſsè conceptum proprietatis, & ordinem diuerſum

ad

ad naturas specie distinctas: nihilominus intellectus angelicus, vt intellectus, & intellectus humanus vt intellectus, sunt eiusdem rationis nedum genericæ, sed etiam specificæ: quia sub conceptu intellectus solum dicunt eundem ordinem ab idem obiectum, seu specificatiuum: cui ordini accidit aliàs alter ordò ad diuersas naturas.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum proportionatum nostri intellectus.

TItuli sensus satis habetur ex dictis *quæst. præced.* Sed vt præsentem cum majori distinctione absoluamus, præmittendum est intellectum nostrum posse considerari tripliciter. Primò pro hoc statu coniunctionis ad corpus: secundò pro statu separationis animæ à corpore: tertiò secundum se, & quatenus ab vtroque statu præscindit. Quæstio igitur procedit de intellectu tribus his modis considerato: quam proinde diuersis assertionibus decidemus.

§. I.

Explicatur, & defenditur vera sententia.

9 DIcendum est primo obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu considerati esse solam quidditatem materialem astractam à singularibus. Ita Aristot. *in præs. text.* 8. vbi D. Th. *lect.* 8. & idem tradit S. Doct. 1. *p. q.* 84. *& q.* 87. *art.* 3. *ad* 1. & alibi sæpe, cui subscribunt Thomistæ, & communiter alij Doctores.

Probatur ratione desumpta ex D. Thom. *locis cit.* quoniam obiectum proportionatum potentiæ cognoscitiuæ, & ipsa potentia debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis: sed intellectus noster pro hoc statu solum conuenit in eodem gradu immaterialitatis cum quidditate materiali præcisa à singularibus: hæc igitur est obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu. Maior est certa: quia potentia cognoscitiua connaturaliter respicit, ac recipit suum obiectum proportionatum, illique vnitur: ad quam connaturalem vnionem proculdubio requiritur, quod *non se excedant in modo essendi proprio* lineæ cognoscitiuæ; excessus quippe infert innaturalitatem, & improportionem: atqui modus essendi requisitus per se ad lineam cognoscitiuam, & intentionalem est immaterialitas, vt communiter tradunt Doctores cū D. Th. 1. *p. q.* 14. ergo obiectum proportionatum potentiæ cognoscitiuæ,

& ipſa potentia debent in eodem immaterialitatis gradu conuenire. Minor etiam oſtenditur: nam intellectus noſter pro hoc ſtatu habet talem gradum immaterialitatis, vt partim ſit in materia, & partim extra illam; cum ex vna parte ſit potentia animæ rationalis vnitæ materiæ, & ex alia ſit pure ſpiritualis, & à materia independens: ſed etiam quidditas materialis à ſingularibus præciſa eſt partim in materia, & partim extra illam; ſiquidem ex vna parte inuenitur à parte rei identificata cum ſingularibus materialibus, & ex alia obijcitur vt præciſa ab illis: ergo intellectus noſter pro hoc ſtatu ſolum conuenit in eodem immaterialitatis gradu cum quidditate materiali præciſa à ſingularibus.

1o Reſpondebis ex hac ratione potius inferri, quod obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu ſit quidditas ſpiritualis: quia potentia purè ſpiritualis ſecundum entitatem, qualis eſt intellectus noſter, majorem conuenientiam habet cum quidditate ſpirituali, quã cum quidditate materiali; licet partim ſit in materia, & partim extra illam: nam hæc poſterior quidditas eſt abſolutè, & ſecundum entitatem materialis, vt liquet ex terminis. Eò præſertim quod quidditas ſpiritualis etiam eſt partim in materia, & partim extra illam; cum ex vna parte inueniatur à parte rei identificata cum conditionibus indiuidualibus, quæ ſe habent ad inſtàr materiæ, & ex alia ſit expers materiæ ſecundum entitatem.

Sed contra: quia ad conuenientiam inter potentiam, & obiectum proportionatum illius non tam attendenda eſt ſimilitudo in eſſe rei, ſeu quoad entitatem; quam conuenientia obiectiua, & quoad modum eſſendi: atqui inter intellectum noſtrum pro hoc ſtatu, & quidditatem materialem præciſam à ſingularibus datur omnimoda conuenientia obiectiua, & quoad modũ eſſendi; non vero inter intellectum, & quidditatem purè ſpiritualem: ergo non hæc, ſed illa eſt obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu. Minor ſola declaratione indiget: nam quidditas materialis præciſa à ſingularibus, quamvis ſecundum entitatem ſit inferior intellectu noſtro; tamen in eſſe obiectiuo adæquatur illi: petit enim ad ſui attingentiam potentiam purè ſpiritualem; ſiquidem nulla potentia corporea valet attingere rationes vniuerſales, quamvis materiales ſint: & cum ex alia parte partim ſit in materia & partim extra illam, ſicut intellectus noſter, ſequitur, quod habeat conuenientiam cum eo tam in eſſe obiectiuo, quam in modo eſſendi. Quidditas autem ſpiritualis non habet conuenientiam obiectiuam cum noſtro intellectu; quia hoc ipſo, quod ſit expers materiæ ſenſibilis, nequit per ſe primo immutare potentiam exiſtentem in materia, & vtentem miniſterio ſenſuum, qualis eſt intellectus noſter pro ſtatu coniunctionis ad corpus. Vnde corruit illud, quod in hac ſolutione addebatur: quia materia, in qua mediante anima intellectus noſter exiſtit pro hoc ſtatu, eſt materia propriè dicta: conditiones autem

autem indiuiduales, cum quibus identificatur quidditas spiritualis, solùm dicuntur materia analogicè: vnde non sufficiunt, vt quidditas purè spiritualis sit obiectum proportionatum nostri intellectus.

11 Obijcies, hinc sequi, quod singulare materiale non sit obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu; siquidem nullo modo abstrahit à materia: consequens est falsum; cùm singulare materiale cognoscatur à nostro intellectu suis viribus relicto, quod est proprium obiecti proportionati: ergo falsò asserimus requiri ad rationem obiecti proportionati, quod conueniat cum potentia in modo essendi. ¶ Respondetur concedendo sequelam intellectam de obiecto proportionato per se primo, & eam negando, si intelligatur de obiecto proportionato secundario: quia licet singulare materiale non habeat eundem modum essendi, quem habet noster intellectus; modificat tamen illius obiectum primatiò proportionatum, nempe quidditatem materialem: nam singularitas est determinatiua quidditatis materialis vt sic. Vnde potest intellectus noster se se extendere ad eam attingendam: quod est esse obiectum proportionatum secundarium.

12 Dicendum est secundo obiectum proportionatum nostri intellectus pro statu separationis esse quidditates spirituales conuenientes cum eo in eodem gradu immaterialitatis, nempe animas rationales separatas; non vero substantias angelicas. Hanc conclusionem statuit D. Thom. 1. *parte, quæst.* 89. *articulo secundo*, vbi inquit: *Cum fuerit à corpore separata, intelliget non conuertendo se ad phantasmata; sed ad ea, quæ sunt secundum se intelligibilia: vnde se ipsam per se ipsam intelliget. Est autem commune omni substantiæ separatæ, quod intelligat id, quod est supra se, & id, quod est infra se, secundum modum suæ substantiæ. Sic enim intelligitur aliquid, secundum quod est in intelligente: Est autem aliquid in altero per modum eius, in quo est. Modus autem substantiæ animæ corporeæ est infra modum substantiæ angelicæ; sed est conformis modo aliarum animarum separatarum. Et ideo de alijs animabus separatis perfectam cognitionem habet: de Angelis autem imperfectam, & deficientem, loquendo de cognitione naturali animæ separatæ. De cognitione autem gloriæ est alia ratio.* S. Doctorem sequuntur Thomistæ, & alij plures. Videantur Bañez 1. *p. q.* 84. *a.* 7. *dub.* 1.

Fundamentum habetur ex dictis: quoniam obiectum proportionatum potentiæ cognoscitiuæ, & ipsa potentia debent in eodem gradu immaterialitatis conuenire; sed anima rationalis separata est in eodem immaterialitatis gradu, ac intellectus noster separatus, non vero substantia angelica: ergo obiectum proportionatum intellectus separati est omnis anima rationalis separata: non vero substantia angelica. Minor liquet: quia substantia angelica ita est separata à materia, vt nec actu, nec aptitudine dicat ordinem ad illam: anima autē separata, & similiter intellectus

ſeparatus habent aptitudinem, vt materiæ vniantur: ergo intellectus noſter ſeparatus, & anima ſeparata conueniunt in eodem gradu immaterialitatis; non vero intellectus noſter, & ſubſtantia angelica.

13 Dices obiectum proportionatum eſt etiam motiuum: ſed anima ſeparata non eſt objectum motiuum noſtri intellectus ſeparati; ſiquidem hic pro illo ſtatu non recipit ſpecies à rebus cognitis: ergo prædicta anima non eſt obiectum proportionatum noſtri intellectus pro ſtatu ſeparationis. ¶ Reſpondetur ad rationem obiecti proportionati, & motiui non requiri, quod actu moueat potentiam imprimendo illi ſpecies; ſed ſufficere, quod ſit talis conditionis, vt ſi potentia poſſet recipere ſpecies ab obiecto, illas ab ipſo reciperet: quo pacto comparantur animæ ſeparatæ ad intellectum ſeparatum: & ideo habent rationem obiecti proportionati, & motiui reſpectu illius.

14 Dicendum eſt tertio intellectum noſtrum conſideratum ſecundum ſe præſcindere ab obiecto proportionato. Ita D. Thom. 1. *parte quæſtione* 14. *art.* 4. & communiter Doctores. Ratio eſt ſatis manifeſta: quoniam potentia non determinat ſibi obiectum proportionatum, niſi quatenus habet peculiarem modum eſſendi; quandoquidem ſolùm vt eſt ſub aliquo modo eſſendi, valet proximè, & efficaciter attingere obiectum, quod eſt de ratione obiecti proportionati: atqui intellectus noſter conſideratus ſecundum ſe præſcindit ab omni modo eſſendi; cùm abſtrahat ab ſtatu tàm ſeparationis, quàm conjunctionis ad corpus: ergo intellectus noſter ſecundum ſe conſideratus non habet obiectum proportionatum; ſed præſcindit ab illo.

Confirmatur, & explicatur: quia potentia non determinans gradum immaterialitatis nequit ſibi determinare obiectum proportionatum; cùm hæc proportio attendatur ex conuenientia immaterialitatis inter obiectum, & potentiam: ſed intellectus noſter conſideratus ſecundum ſe non determinat ſibi gradum immaterialitatis: ergo nec vendicat ſibi obiectum proportionatum. Minor probatur: nam immaterialitas non regulatur penes ſolam entitatem potentiæ, ſed penes modum eſſendi illius: & ideo D. Thom. diuerſam immaterialitatem attribuit intellectui noſtro ſeparato, ac vnito: conſtat autem intellectum noſtrum ſecundum ſe conſideratum ſolùm exprimere propriam entitatem, non vero modum eſſendi; cùm nec dicat eſſe conjunctum corpori, nec eſſe extra corpus: ergo intellectus noſter ſecundum ſe conſideratus non determinat ſibi gradum immaterialitatis.

§. II.

Diluuntur aliquæ obiectiones.

15 SEd aduerſus primam, & præcipuam cõcluſionem obijcies: nam obiectum ſpecificatiuum

tiuum, seu extensiuum potentiæ est etiam proportionatum respectu illius: sed ens in tota sua latitudine est obiectum specificatiuum nostri intellectus, vt constat ex dictis *quæst. præced.* ergo etiam est obiectum proportionatum respectu eiusdem: & consequenter non soli quidditati materiali ratio obiecti proportionati tribuenda est. Suadetur major: nam quævis potentia est proportionata in ordine ad suum obiectum specificatiuum; siquidem illius essentia consistit in coaptatione, & commensuratione ad istud: sed non est intelligibile quod potentia sit proportionata obiecto, & quod obiectum non sit proportionatum potentiæ: ergo obiectum specificatiuum est proportionatum potentiæ, à qua respicitur.

Respondetur proportionem potentiæ cognoscitiuæ ad obiectum esse duplicem. Alia enim est proportio commensurationis essentialis: ad quam sufficit, & requiritur, quod aliquid contineatur intra latitudinem obiecti specificatiui potentiæ: & hæc proportio est prima, & fundamentalis radix cuiuscunque proportionis. Vnde ea secluſa, nequit potentia vllo modo proportionari ad aliquid attingendum, vt patet in visu respectu saporis, quem ideo nequit attingere, quia non habet commensurationem essentialem ad ipsum, siue quia sapor non continetur intra latitudinem potentiæ visiuæ. Alia vero est proportio virtutis, seu efficacitatis proximæ: & hæc proportio supra illam priorem addit quantitatem virium sufficientium ad connaturaliter attingendum obiectum. Vt autem aliquod obiectum dicatur absolute proportionatum, opus est, vt vtramque proportionem importet: nam si non adest proportio virtutis; quamvis adsit proportio commensurationis essentialis, dicetur absolutè improportionatum: quia malum ex quocumque defectu. Porro, quod prædicta distinctio proportionis admittenda sit, euincunt exempla satis manifesta: etenim visus noctuæ habet proportionem commensurationis essentialis ad videndum lucem meridianam; alias non posset eleuari ad videndum eam: & tamen antequam eleuetur, caret proportione virtutis, & efficacitatis proximæ. Similiter calor secundum se habet proportionem commensurationis essentialis ad producendum quemcumq; calorem; siquidem specificatur à calefactione absolute sumpta: & nihilominus nõ habet proportionem virtutis, & efficacitatis proximæ ad producendum calorem vt septem, vsquedum determinetur per modum intensionis vt septem. Et denique vt ad propriam materiam accedamus, intellectus habet ex se primam illam proportionem ad videndum Deum: caret autem secunda, nisi eleuetur per lumen gloriæ. Vnde ad obiectionem, vel neganda est major absolute intellecta; vel distinguenda: & si intelligatur de objecto proportionato proportione præcisè cõmensurationis essentialis, concedatur: si autem procedat de obiecto proportionato absolute, siue omnino proportionato, negetur.

16 Obij

16 Obijcies ſecundo : nam ſi quidditas materialis eſſet obiectum proportionatum noſtri intellectus in hoc ſtatu : quò aliquid eſſet materialiùs , eò eſſet obiectum magis proportionatum reſpectu illius : ſic recte colligitur magis album eſſe magis disgregatiuum , quia album eſt disgregatiuum : conſequens eſt abſurdum , vt ex ſe liquet: ergo quidditas materialis non eſt obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu.

Reſpondetur negando ſequelam, quam non euincit exemplum inſertum ob manifeſtam diſparitatem : nam album præcisè quia album disgregat viſum , & ideo magis album magis disgregat. Quidditas autem materialis non præciſe quia materialis eſt obiectum proportionatum noſtri intellectus ; ſed potius ob modum immaterialitatis eſſendi partim in materia , & partim extra illam. Vnde quia in hac poſteriori ratione conueniunt omnes quidditates materiales ; propterea omnes etiam conueniunt in æquali modo proportionis reſpectu noſtri intellectus pro hoc ſtatu : & ideo formaliter loquendo vna non eſt obiectum magis proportionatum, quam alia. Cum quo tamen recte cohæret, quod illæ quidditates, quæ magis dominantur materiæ , & important gradus ſpecificos , ſint ſaltem materialiter obiecta, magis proportionata noſtro intellectui, quam illæ quidditates , quæ dicunt magnam immerſionem in materia , vel explicant conceptus valde potentiales, & communes. Et ratio eſt: quia intellectus noſter ita partim eſt in materia , & partim extra illam, vt tamen dominetur materiæ , & dicat gradum atomum ſpecificum: & ideo magis proportionatur , proportione ſaltem de materiali importata , ad quidditates magis actuales, & dominantes materiæ , quam ad oppoſitas ; licet omnes conueniant in eadem proportione formali.

17 Tertio obijcies : quia intellectus noſter poteſt ſuis viribus deuenire in cognitionem perfectam quidditatum ſpiritualium : ergo non ſola quidditas materialis eſt obiectum proportionatum noſtri intellectus. Conſequentia conſtat ex ſupra dictis. Antecedens autem ſuadetur : nam ideo poteſt noſter intellectus ſuis viribus venire in perfectam cognitionem ſubſtantiæ mediis accidentibus , quia hæc ſunt effectus ſubſtantiæ : ſed etiam quidditates materiales ſunt effectus alicuius quidditatis ſpiritualis , nempe Dei: ergo poteſt intellectus noſter ſibi relictus media cognitione quidditatum materialium , peruenire in cognitionem perfectam alicuius quidditatis ſpiritualis. ¶ Et confirmatur : quia intellectus noſter poteſt ſuis viribus cognoſcere animam rationalem ; alioquin non poſſet perfecte cognoſcere quandam quidditatem materialem nempe hominem per prædictam animam conſtitutum : ſed anima rationalis eſt quædam quidditas ſpiritualis : ergo noſter intellectus poteſt ſuis viribus cognoſcere aliquam quidditatem ſpiritualem, quæ proinde pertinebit ad obiectum connaturale illius.

Reſpondetur obiectioni negando antecedens , ad cuius probationem dicen-

dicendum est accidentia materialia, vtputa proprietates, esse effectus adæquatos substantiæ materialis, & cum ipsa conuertibiles: creaturæ autem ita sunt effectus Dei; vt nihilominus non adæquent eius virtutem, & perfectionem. Vnde intellectus noster potest per accidentia sensibilia deuenire in perfectam cognitionem substantiæ materialis: nequit autem per quidditates materiales attingere ad quidditatiuam, & perfectam Dei notitiam. ¶ Ad confirmationem respondemus intellectum nostrum non posse pro hoc statu cognoscere perfecte quidditatem animæ rationalis consideratæ in se ipsa, & quatenus est spiritualis vt *quod*, valetque à corpore absolui: quod opus erat, vt diceretur posse cognoscere proprijs viribus quidditatem spiritualem. Sed cognoscit animam quatenus constituit hominem & habet esse corporeum vt *quo*: & hoc satis est, vt queat hominem perfecte quidditatiue cognoscere.

DISPVTATIO XVII.

De speciebus intelligibilibus.

VIA obiectum intellectus fit proxime intelligibile per speciem, seu similitudinem suam, qua trahitur ad intellectum, eique vnitur: rectus ordo postulat, vt post obiectum intellectus succedat notitia specierum intelligibilium. Plura tamen, quæ etiam speciebus sensibilibus communia sunt, huic disputationi inseremus: & quia vtrarumque rationes mutuò se iuuabunt, & quia nequeunt facile separari.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſpecies impreſſæ ſint neceſſariæ ad cognitionem?

DVas ſpecies, ſeu obiecti ſimilitudines diſtinguunt communiter Philoſphi, aliam impreſſam, vel immiſſam ab obiecto, quæ eſt principium cognitionis; aliam vero expreſſam, ſeu cauſatam à potentia, quæ eſt terminus per cognitionem productus, & in qua tanquam in ſpeculo, actu repræſentatur obiectum. Quæſtio igitur præſens de ſpeciebus impreſſis procedit: de expreſſis autem infra agendum eſt.

§. I.

Sententia Ariſtot. & D. Thom. proponitur, & defenditur.

2 DIcendum eſt tàm ſenſum, quàm intellectum indigere ſpeciebus impreſſis ad eliciendum ſuas cognitiones. Ita Ariſtot. *in hoc libro, textu* 3, *&* 6. *&* 38. D. Thom. ad eadem loca, *& prima parte quæſtione* 12. *art. ſecundo, & quæſtione* 79. *art.* 2. *& lib.* 3. *contra Gentes, cap.* 49. D. Auguſt. *lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 10. *& libr.* 17. *ſuper Geneſ. cap.* 10. D. Damaſc. *lib.* 2. *Fidei Orthodoxæ*, D. Anſelmus *in Monolog. cap.* 36. quibus communiter ſubſcribunt Theologi, & Philoſophi.

Probatur primo auctoritate ſimul, & ratione deſumptis ex Ariſtot. & D. Thoma: quoniam anima mediante ſenſu, & intellectu, fit quodammodo ipſa ſenſibilia, & intelligibilia: & ita viſus videns colorem fit quodammodo color, & intellectus intelligens leonem fit quodammodo leo: ſed hæc transformatio fieri nequit ex eo, quod ſenſus, & intellectus fiant in eſſe naturali ipſa obiecta ſenſibilia, & intelligibilia: ergo contingit ex eo, quod recipiant imagines, ſeu ſimilitudines obiectorum, in quibus obiecta repræſentantur, & quodammodo continentur. Minor, & conſequentia conſtant. Major autem ſuadetur, tum quia eſt expreſſa Ariſt. *loc. ſupr. cit.* Tùm etiam quia vt D. Thom. inquit *in hoc lib. lect.* 13. *Anima aſſimilatur manui: manus enim eſt organum organorum: quia manus datæ ſunt homini loco omnium organorum, quæ datæ ſunt aliis animalibus ad defenſionem vel impugnationem, vel cooperimentum: omnia enim hæc homo ſibi manu præparat. Et ſimiliter anima data eſt homini loco omnium formarum, vt ſit homo quodammodo totum ens, in quantum ſecundum animam eſt quodammodo omnia, prout eius anima eſt receptiua omnium formarum intelligibilium, & ſenſus eſt quædam potentia receptiua omnium formarum ſenſibilium.* Tum etiam, nam ideo Auctores docent communiter cum D. Th.

1. *p.*

1. p. q. 14. a. 1. immaterialitatem esse radicem cognitionis; quia materia determinat, & coarctat ne aliquid fiat alia, quod requiritur ad vim cognoscitiuam: & ita ea solum habent vim cognoscendi, quæ vel carent materia, vel ei dominantur.

2 Secundo probatur eadem conclusio: quoniam id, quod est pura potentia in aliquo ordine, nequit concurrere ad operationes illius ordinis, nisi prius actuetur per aliquam formam: hac quippe ratione nequit materia modo sibi proprio, nempe per modum partis suppositi concurrere ad operationes ordinis naturalis, antequam actuetur, & determinetur per formam illius: atqui intellectus noster pro hoc statu est pura potentia in ordine intelligibili, & sensus in ordine sensibili: ergo nequeunt concurrere ad cognitionem nisi determinentur, & actuentur per formas intentionales, quas vocamus species. Cætera constant, & minor quoad primam partem suadetur: quia sicut in ordine naturali datur purus actus & pura potentia, & aliquid permixtum ex actu, & potentia: ita in linea intelligibili (quæ non minus patet, quam naturalis) debet dari intellectus, qui sit purus actus, nempe diuinus; & intellectus partim in actu, & partim in potentia scilicet angelicus; & denique intellectus omnium infimus, qui sit pura potentia in ordine intelligibili, & huiusmodi est noster intellectus pro hoc statu. Vnde etiam suadetur secunda eiusdem minoris pars: nam hoc ipso, quod sensus fiat in actu, in ordine sensibili, etiam intellectus constituitur in actu in ordine intelligibili, vt experientia ipsa deprehendimus: ergo è conuerso si intellectus noster pro hoc statu est pura potentia in ordine intelligibili, etiam sensus debet esse pura potentia in ordine sensibili.

3 Respondebis esse apertam disparitatem inter materiam primam ex vna parte, & sensum ac intellectum ex alia: nam materia prima ita est pura potentia, vt in nullo ordine sit actus; & ideo nequit ex se concurrere vllo modo ad operandum, antequam determinetur per actum. Cæterum sensus, & intellectus ita dicuntur pura potentia in ordine sensibili, & intelligibili, quod nihilominus sunt actus in ordine naturali: quamobrem poterunt se ipsis, & absque alia forma superaddita aliquam operationem elicere: quia vnumquodque agit secundum quod est in actu.

Sed contra: nam licet sensum, & intellectum esse puram potentiam in ordine sensibili, vel intelligibili, necessario importet per modum fundamenti aliquam actualitatem in ordine naturali; nihilominus impossibile est, quod sensus, & intellectus operentur in ordine naturali, quin simul operentur in ordine sensibili, & intelligibili: vnica enim operatio correspondet illis, prout ad vtrumque ordinem pertinent: sed implicat puram potentiam in aliquo ordine operari in eodem ordine, nisi prius actuetur, & determinetur per aliquam ipsius ordinis formam: ergo sensus,

& intellectus nequeunt concurrere ad suas operationes, nisi prius determinentur per formas intentionales, siue species. Et in hoc stat paritas inter materiam primam absolute accepram, & huiusmodi potentias in ordine cognoscibili; quamvis alias materia prima illas longè excedat in ratione potentialitatis; quod non negamus.

4 Tertium, & potissimum eiusdem assertionis fundamentum applicatum nostro intellectui sic formatur: nam actio determinata, qualis est cognitio vnius obiecti potius, quam alterius, nequit procedere nisi à principio magis determinato ad illam, quam ad alteram actionem, vt ex se constat: sed intellectus noster est de se indifferens, & indeterminatus ad intelligendum hoc obiectum potius, quam aliud: ergo nulla cognitio potest oriri à nostro intellectu, nisi hic prius determinetur magis ad illam, quam ad aliam: atqui nequit explicari, qualiter intellectus determinetur ad peculiarem cognitionem huius obiecti potius, quam alterius, nisi recipiat aliquam formam, seu similitudinem obiecti, quam vocamus speciem impressam: hæc igitur est necessaria, vt intellectus eliciat suam cognitionem.

5 Respondebis negando minorem subsumptam: nam intellectus potest aliter, quam per receptionem speciei determinari, vt determinatum cognitionem eliciat: frequenter enim contingit, quod causa determinetur per aliquid extrinsecum ad producendum peculiarem effectum, vt videre est in sole, qui ratione diuersarum dispositionum existentium in luto & in cera sufficienter determinatur: vt hanc liquefaciat, & illud induret. Et similiter voluntas, quamvis sit ex se indeterminata ad volitionem huius obiecti potiùs, quam alterius; potest determinari ad illam absque aliqua forma intrinseca, per hoc solùm quod connotet præcessisse in intellectu apprehensionem huius potius, quam alterius obiecti. Sic ergo poterit intellectus sufficiẽter determinari ad cognoscendum potius hoc obiectum, quam aliud per hoc præcise, quod connotet præcessisse sensationem vnius potius, quam alterius; quamvis nullam formam intrinsecam recipiat.

Vt hanc euasionem efficaciter præcludamus, duo breuiter supponenda sunt. Primum est potentias vitales esse in duplici differentia: nam aliæ sunt pure actiuæ, vt potentia argumentatiua, & generatiua; aliæ vero sunt passiuæ: non quia sint omnis actionis expertes, aliàs non essent vitales; sed quia priusquam in operationem prorumpant debent immutari, & aliquid recipere ab obiectis. Quam doctrinam tradit Aristot. in hoc *lib. t. 3.* & admittunt communiter DD. ¶ Secundum sit intellectum esse de numero potentiarum vitalium passiuarum. Nam in hoc distinguitur potentia cognoscitiua, à non cognoscitiua, quod hæc fertur in ipsum obiectum; illa vero trahit ad se obiectum: & ideo beatitudo formalis, quæ est possessio summi boni consistit in actu intellectus: quia scilicet cognitio ex genere suo est apprehensio

&

& possessio vitalis obiecti. Quod non verificatur, si intellectus non sit potentia vitalis passiua, & immutabilis ab obiecto.

Hinc ergo confutatur illa solutio: quia potentia vitalis passiua debet pati, & immutari ab obiecto antequam illud attingat: sed intellectus noster est potentia vitalis passiua: ergo debet immutari, & pati ab obiecto, priusquam feratur in ipsum; & consequenter non sufficit illa determinatio extrinseca, quam adducit euasio. ¶ Confirmatur: quoniam vt intellectus intelligat aliquod obiectum, quod non est ipsum intelligi per essentiam, requiritur, quod producat intra se verbum, siue speciem aut similitudinem expressam, quæ actu repræsentet obiectum, & terminet cognitionem: & ideo quo producimus speciem melius repræsentantem obiectum, eò melius intelligimus: sed nequit intellectus producere prædictam similitudinem expressam, nisi prius in actu primo sit similis obiecto: ergo nequit intelligere nisi prius habeat similitudinem, siue speciem impressam obiecti, qua illi assimiletur in actu primo: atqui neque per suam entitatem est obiecto similis, neque fit ei similis per determinationem extrinsecam factam in sensibus: ergo vltra hæc debet recipere aliquid intrinsecum, per quod determinetur, & assimiletur obiecto, quodque appellemus speciem intelligibilem. Et huic doctrinæ, & confirmationi fauet commune proloquium Theologorum desumptum ex August. *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*: nam quemadmodum in generatione naturali fœmina fœcundatur à masculo medio semine, antequam fœtum generet, & emittat; ita ad intellectionem, quæ partus intentionalis est, requiritur potentiam intellectiuam fœcundari ab obiecto media specie.

Vnde euanescent duo illa exempla in responsione, quam impugnamus, inducta: nam sol non est potentia passiua, & alias continet in actu primo quidquid requiritur ad liquefaciendum, vel indurandum: vnde sola dispositione extrinseca passiua valet determinari ad producendum vnum effectum præ alio. Similiter voluntas non est potentia vitalis passiua, & habet alias in actu primo quidquid desideratur, vt tendat in omne bonum naturale: quamobrem per solam diuersam intellectus apprehensionem, & propositionem obiecti queit sufficienter determinari ad prosequendum vnum potius, quam aliud. Intellectus autem & est potentia vitalis passiua, & non continet ex se similitudinem expressam obiecti, quam per intellectum debet producere: & ideo indiget specie impressa, per quam compleatur, & fiat obiecto similis in actu primo.

§. II.

Referuntur modi dicendi nobis contrarij, & eorum argumenta soluuntur.

7 ADuersus communem, & veram sententiam sunt variæ opiniones magis, & minus vniuersales. Quidam enim vniuersaliter negant dari species impressas. Ita Durand. Ocham, Gabriel & alij. Quidam autem negant dari prædictas species in intellectu; & eas admittunt in sensibus. Ita Themist. Theophrast. Baccon. & alij. Quidam vero eas admittunt in intellectu, & negant in sensibus. Ita Galenus Plotin. & alij Platonici quos refert Tolet. 2. *de anima, q.* 35. Et quia omnes ij dicendi modi, licet inter se contrarij, aduersantur nostræ assertioni; propterea eorum argumenta permixtim subjiciemus.

Arguitur ergo primo: quoniam si species impressæ essent necessariæ, maxime ad determinandum potentiam cognoscitiuam: sed sensus externi valent sufficienter derminari absque aliqua specie sibi impressa ab obiecto: ergo non indigent speciebus impressis, vt eliciant suas sensationes. Probatur minor: quia sensus externus nequit sentire nisi obiectum præsens: ergo per ipsam præsentiam obiecti determinatur sufficienter ad attingendum hoc potius obiectum, quam aliud. Vnde potest etiam trahi argumentum ad alios sensus internos: quoniam ij non possunt sentire nisi media sensatione externorum: ergo hoc ipso quod sensus externi sentiant hoc obiectum potius, quam aliud, determinantur sensus interni ad hoc potius, quam aliud obiectum attingendum.

Respondetur negando minorem: ad cuius probationem dicendum est obiectum sensus externi duplex munus circa illum exercere, videlicet & obiecti motiui, & obiecti terminatiui. Quamvis ergo ad hoc posterius munus non sit necessaria species, eò quod ipsum obiectum præsens terminat per se ipsum sensationem: attamen ad illud primum est omnino necessaria eò, quod obiectum nequit per suam entitatem vniri sensui, & simul cum eo influere in sensationem: vnde oportet, quod coniungatur ei per aliquam speciem sui repræsentatiuam: alias sensus non continebit in actu primo hanc potius sensationem, quam aliam. Cui doctrinæ duplex experientia satis manifesta suffragatur: nam in primis experimur visum non posse videre, quæ à tergo sunt; si autem objciatur speculum, ea videre. Quod ideo contingit: quia obiecta mittunt species ad speculum, & istæ ab speculo reflectuntur ad oculos. Si autem sensus externus non indigeret specie impressa, nil horum contingeret, vt ex se liquet. Deinde cum, nobis longe astantibus, aliquis securi percutit lignum; prius videmus percussionem, quam audiamus sonum. Quod minimè contingeret, si sufficeret præsentia obiecti ad determinandum sensum externum; siquidem vtrumque obiectum est simul, & æquè præsens.

Contra

Contingit vero, & recte explicatur talis differentia prædictis speciebus admissis: nam species visibilis citius peruenit ad visum, quam species audibilis ad auditum: quia procedit ab obiecto magis perfecto, & actiuo in linea intentionali. Ex quibus etiam satis liquet ad id, quod additur de sensibus internis.

8 Secundo arguitur: nam si sensus interni indigerent speciebus; eas etiam retinerent in absentia obiecti, vt possent obiectũ absens cognoscere: hoc autem est absurdum: ergo non indigent speciebus. Probatur minor: quia agens naturale, positis omnibus requisitis ad agendum necessario agit: sed sensus interni sunt agentia naturalia, & constituuntur proxime potentes per species ad eliciendum suas sensationes: ergo si conseruarent species obiectorum in eorum absentia, non possent non esse in actuali sensatione omnium obiectorum, quorum species habent: quod proculdubio est manifestum absurdum.

Respondetur concedendo sequelam, & negando minorem, cuius probatio non vrget: quia licet sensus internus habeat species plurium obiectorum, non ideo habet omnia requisita, vt possit illis vti ad cognoscenda omnia obiecta; ipsa enim limitatio virtutis est sufficiens impedimentum, vt non valeat simul vti omnibus suis speciebus, atque in cognitionem omnium obiectorum prorumpere. Si autem inquiras, cur sensus internus habens plures species vtatur potius ista, quam illa. Respondendum est id reducendum esse vel in aliquam causam extrinsecam excitantem; vel in aliquem humorem intrinsecum; vel in appetitum sensitiuum, aut rationalem: hinc enim prouenit, quod ex pluribus speciebus præhabitis vna potius determinatè occurrat, & influat.

9 Tertio arguitur: quia ex nostra sententia sequitur duo accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto: & accidens magnæ extensionis recipi in subiecto satis exiguo: vtrumque consequens est absurdum: ergo & antecedens. Suadetur sequela quoad vtramque partem: nam in primis; si datur species rei cognitæ, dum quis percipit duo obiecta solo numero diuersa, v. g. duos hominẽs, haberet duas species eorum solo numero distinctas. Deinde, species ingentis montis, si est possibilis talis species deberet habere satis magnam extensionem: & tamen prædicta species reciperetur in subiecto valde exiguo, vtputa in pupilla: ergo.

Respondetur negando sequelam quoad vtramque partem: & ad prioris probationem dicendum est species duorum hominum essentialiter differre: quia licet duo homines non distinguantur essentialiter in esse rei; differunt tamen in esse obiecti repræsentati per illas species. Et ratio est: quoniam species repræsentans v. g. Paulum non repræsentat præcisè conceptum specificum, in quo Paulus conuenit essentialiter cum Petro; sed tendit etiam per se primo ad repræsentandum ipsam differentiam individualem Pauli, & eidem differentiæ essentialiter adæquatur. In differentiis autem

autem indiuidualibus. nulla datur conuenientia vniuoca inter Petrum, & Paulum: & ideo neceſſarium eſt, quod prædictæ ſpecies eſſentialiter diſtinguantur; cum non trahant conuenientiam ab obiectis, quæ primario repræſentant. Ad probationem alterius partis reſpondemus ſpeciem ob ſuam immaterialitatem non poſſe dare extenſionem maiorem, illa, quam habet ſubiectum, in quo recipienda eſt: quamobrem ſpecies magni montis poteſt recipi in ſola pupilla.

10 Quarto arguitur: quoniam ſi intellectus determinaretur per ſpeciem impreſſam ad intelligendum obiectum, poſſet illud intelligere independenter à conuerſione ad phantaſmata: conſequens eſt abſurdum: ergo &c. Probatur ſequela: nam ad intelligendum aliquod obiectum ſolum requiritur intellectus, & aliquid determinans ipſum ad cognitionem prædicti obiecti: ergo ſi intellectus determinatur per ſpeciem impreſſam, poterit intelligere obiectum abſque conuerſione ad phantaſmata. ¶ Reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicendum eſt antecedens ſolum verificari de requiſitis per modum rationis primæ, & formalis intelligendi; non vero de illis, quæ deſiderantur per modum conditionis, & modificationis ad agendum. Cur autem ad intellectionem huius ſtatus requiratur ſaltem per modum conditionis conuerſus phantaſiæ, & conuerſio ad phantaſmata, conſtabit ex infra dicendis *diſp. 20. quæſt. 6.*

11 Quinto arguitur: quia intellectus cognoſcit res ſpirituales, & relationes, & priuationes: ſed hæc non attingit per ſpecies: ergo non requiruntur ſpecies ad cognitionem. Probatur minor: quia intellectus pro hoc ſtatu non habet niſi ſpecies abſtractas à phantaſmatibus: ſed huiuſmodi ſpecies nequeunt repræſentare res ſpirituales, relationes, & negationes; cum hæc obiecta non valeant in phantaſmatibus repræſentari: ergo intellectus noſter non cognoſcit prædicta obiecta per ſpecies. ¶ Reſpondetur negando minorem: quia licet illa obiecta nequeant repræſentari per ſe, & immediate in phantaſmatibus, repræſentantur tamen mediate, ſeu per aliud: nam obiecta directe in phantaſmatibus repræſentata deſeruiunt, vt intellectus ducatur in cognitionem aliarum rerum, quæ in eiſdem expreſſe non relucent: hæc quippe eſt noſtri intellectus conditio, vt ex vno obiecto veniat in cognitionem alterius.

QVÆSTIO II.

Qualiter ſpecies impreſſa repræſentet obiectum.

AD perfecte cognoſcendam conditionem ſpeciei impreſſæ plurimum conducit deciſio præſentis difficultatis. Pro cuius, & tituli intelligentia notandum eſt duplicem eſſe modum repræſentandi, nempe virtualem, quo pacto ſemen repræſentat principium, à quo deciditur:

&c.

& formalem, qua ratione filius repræsentat Patrem. Supposito ergo, quod species aliquo modo repræsentet obiectum, vt constat ex dictis *quæst. præced.* inuestigamus in hac, qualis sit hæc repræsentatio.

§. I.

Elucidatur placitum Thomistarum.

12 Dicendum est speciem impressam repræsentare formaliter suum obiectum primarium. Ita Aristot. *in 2. lib. huius operis cap.* 12. vbi speciem impressam potentiæ ab obiecto comparat figuræ impressæ ceræ ab anullo: figura autem ceræ impressa repræsentat formaliter anullum: vnde sentit Philosophus speciem impressam ab obiecto repræsentare formaliter ipsum; alias non teneret comparatio. Idemque expressius tradit eodem *lib. cap.* 5. *text.* 62. vbi loquens de potentia sensitiua antequam patiatur, seu recipiat speciem ab obiecto, & postquam informatur per illam, inquit: *Patitur igitur non simile existens, passum autem assimilatum est* (nempe obiecto) *& est, quale illud.* Id autem, quod solum virtualiter aliud repræsentat, non est quale illud; sed diuersæ rationis. Eandem conclusionem docet D. Thom. 1. *p. qu.* 12. *art.* 2. *& lib.* 2. *cont. Gent. cap.* 98. Vnde illam amplectuntur Caiet. 1. *p. q.* 53. *art.* 3. Ferrar. 2. *contra Gent. c.* 8. Bañez 1. *p. qu.* 85. *art.* 2. *dub.* 3. Ledesma de perfect. Dei *quæst.* 4. *art.* 4. *fol.* 245. & communiter Thomistæ.

Probatur primo ratione: nam quod est per se primo institutum ad repræsentandum, repræsentat formaliter: sed species impressa est per se primo instituta à natura, vt repræsentet obiectum primarium: ergo repræsentat illud formaliter. Probatur major: nam primum prædicatum, quod inuenitur in aliqua re, nequit esse virtualiter tale, sed debet esse formaliter tale, vt inductione constat: atqui in eo, quod est per se primo institutum ad repræsentandum, primum prædicatum est esse repræsentatiuum: ergo quod per se primo instituitur ad repræsentandum, repræsentat formaliter, & non præcise virtualiter. Minor etiam ostenditur: quoniam species impressa est per se primo instituta à natura ob indigentiam potentiæ cognoscitiuæ, vt constat ex dictis *quæst. præced.* sed potentia cognoscitiua indiget speciebus, vt illi repræsentent obiectũ primarium: ergo species impressa est per se primo instituta, vt obiectum primarium repræsentet. Nam sicut substantia indiget potentiis proximè operatiuis ad operandum; & ideo instituuntur per se primo, vt operẽtur: ita potentia cognoscitiua indiget speciebus ad repræsentandum sibi obiectum; & propterea instituuntur per se primo, vt repræsentent.

Confirmatur: nam quod non est per se primo institutum ad repræsentandum aliud, solum repræsentat illud eo modo, quo vnum indiuiduum repræsentat aliud eiusdem speciei, & habens eundem modum essendi; vel eo modo,

quo effectus repræsentat suam causam : sed species impressa neutro ex his modis repræsentat suum obiectum primarium : ergo instituitur per se primo ad repræsentandum , & consequenter repræsentabit formaliter. Minor suadetur : nam in primis species , & obiectum non habent eundem modum essendi ; illa enim habet esse intentionale ; istud vero naturale : ergo species nequit repræsentare obiectum eo modo , quo vnum indiuiduum repræsentat aliud , cum quo conuenit in natura , & in modo essendi. Deinde ad rationem speciei per accidens se habet , quod sit effectus obiecti : esset enim eiusdem rationis , etiam si non ab obiecto produceretur , sed à solo Deo : ergo species non repræsentat obiectum eo modo , quo quilibet effectus suam causam repræsentat.

13 Secundo suadetur eadem conclusio ratione desumpta ex D. Th. 1. *p. qu.* 27. *art.* 2. quæ potest ad hanc formam reduci : quoniam in quacumque generatione vitali terminus euadit similis suo principio, ita vt filius in esse naturali sit in eodem ordine eiusdem naturæ cum suo principio , & filius in esse intentionali sit in eodem esse similis suo principio in natura : atqui intellectio producens verbum est quædam vitalis generatio , cuius principium est species impressa ; terminus vero est verbum procedens vt filius in esse intentionali : ergo verbum , & species debent esse eiusdem naturæ saltem in linea intentionali , seu repræsentatiua : sed verbum repræsentat formaliter suum obiectum primarium, vt modo supponimus , & admittunt Aduersarij : ergo etiam species impressa debet obiectum primarium formaliter repræsentare. Cætera constant, & minor primi syllogismi suadetur , tum quia generatio vitalis nihil aliud est , quam origo viuentis à viuenti , & à principio coniuncto in similitudinem naturæ : sed intellectio producens verbum est huiusmodi ; siquidem verbum est terminus vitalis , & procedit à viuenti , & à principio coniuncto, nempe ab specie impressa , quæ intrinsecè coniungitur intellectui , & denique euadit simile in natura suo principio , nempe obiecto , quod vt repræsentatum in specie impressa influit : ergo intellectio producens verbum est quædam vitalis generatio. Tum etiam , nam hac ratione docent communiter Theologi productionem verbi diuini esse ex propria linea generationem , quia videlicet productio verbi vt sic habet ex suo genere rationem generationis : & ideo productio substantialis , & perfectissima verbi , debet esse perfectissima , & substantialis generatio. Tum denique , quia iuxta commune axioma , *Ab obiecto, & potentia paritur notitia :* per quod significatur productionem verbi esse partem , seu generationem & verbum esse intentionaliter filium.

14 Sed obijcies : nam verbum, & species impressa nequeunt esse eiusdem naturæ in esse repræsentatiuo: ergo ex eo , quod verbum repræsentet

sentet formaliter obiectum ; non sequitur idem attribuendum esse speciei impressæ ; sed magis infertur oppositum. Antecedens suadetur primo : quia verbum habet esse transiens, & dependens ab intellectione ; species vero impressa est quid permanens, & ab intellectione independens : ergo nequeunt esse eiusdem naturæ in esse repræsentatiuo. *Secundo* : quia esse repræsentatiuum fundatur in esse naturali : sed verbum, & species distinguntur in hoc : ergo & in illo. *Tertio* : quia si verbum, & species essent eiusdem naturæ, sequeretur duo accidentia eiusdem rationis seu numero solum distincta, inueniri in eodem subiecto ; quandoquidem verbum, & species impressa simul in eodem intellectu, & ad eandem intellectionem concurrunt : consequens est absurdum : ergo, &c.

Respondetur negando antecedens, cuius probationibus vt occurramus, animaduertendem est, quod verbum, & obiectum possunt considerari vel ex parte naturæ repræsentatæ, vel ex parte modi habendi naturam. Et quidem si considerentur ex parte naturæ cum præcisione ab aliis, sunt eiusdem rationis : quia eademmet natura, quæ est in obiecto sub modo naturali, est in verbo sub modo intentionali, vt magis constabit ex dicendis *quæst. seq.* Si vero considerentur ex parte modi habendi naturam, sunt rationis longè diuersæ : nam obiectum habet suam naturam naturaliter ; verbum, autem solum habet naturam obiecti repræsentatiuè, vt ex se constat. Et eodem modo proportionabiliter philosophandum est de specie impressa, & verbo sibi primario correspondente : quoniam si considerentur ex parte naturæ repræsentatæ, sunt eiusdem prorsus rationis ; cum vnam, & eandem obiecti naturam repræsentent. Cæterum si considerentur ex parte modorum, quibus illam continent, & repræsentant, differunt in linea etiam intentionali : nam species impressa repræsentat per modum habitus, & principij ; verbum autem per modum termini, & obiecti actu intellecti.

Hinc patet ad omnes illius antecedentis probationes : ad primam quidem : nam speciem esse quid permanens, & independens ab intellectione, verbum autem quid transiens, atque ab intellectione dependens, non conuincit distinctionem naturæ quam repæsentant, seu quam habent in ordine repræsentatiuo ; sed solum diuersum modum repræsentandi. Ad secundam negatur consequentia : quia licet esse repræsentatiuum supponat esse naturale ; attamen ij ordines sunt diuersæ rationis : & ideo benè componitur, quod verbum, & species conueniant in vno, & distinguantur in alio, vt constat in verbo, & obiecto. Ad tertiam negatur sequela : nam verbum, & species non distinguntur numero ex parte naturæ repræsentatæ ; cum repræsentent eandem numero naturam obiecti : & ideo non sequitur dari in eodem subiecto duo accidentia solo numero

mero distincta; sed infertur dari duo accidentia non distincta numero ex parte naturæ in esse repræsentatiuo, & diuersa plusquam numero in esse naturali: quod non est inconueniens.

§. II.

Respondetur argumentis opinionis aduersæ.

15 CONtraria sententia docet speciem impressam non repræsentare formaliter obiectum, sed tantum virtualiter. Ita Torres *de Trinit. q. 27. disp. 5. quæst. 1.* Tolet. *2. de Anima q. 34. conclus. 3.* Suar. *tract. 3. de anima lib. 3. cap. 2.* & plures recentiores. Probatur ratione primo, & simul euertitur fecundum nostræ assertionis fundamentum: quia semen in generatione naturali non repræsentat formaliter principium, à quo deriuatur; sed tantum virtualiter, & eo modo quo instrumentum refertur ad causam principalem: atqui in generatione intentionali, nempe in intellectione producente verbum, species impressa se habet, vt semen obiecti: ergo species impressa non repræsentat formaliter obiectum, sed virtualiter tantum. Probatur minor tum ex D. August. *1. de Trinit. cap. 12.* vbi docet, quod in cognitione species se habet ad instar seminis, & verbum ad instar prolis. Tum etiam, quia causa principalis verbi, & quæ in hac generatione intentionali se habet ad instar patris, est obiectum iuxta illud, *Ab obiecto, & potentia paritur notitia:* ergo species solum concurrit per modum seminis obiecti: nam quia obiectum nequit se ipso vniri potentiæ, imprimit illi suam speciem, qua ipsam fœcundat: quod est propriissimum munus seminis.

Respondetur negando minorem: quia in generatione intentionali obiectum, & species illius non ponunt in numero; sed pro vnico, ac indiuisibili principio computantur: nam obiectum non influit, nisi quatenus redditur intelligibile per speciem; nec ista influit, nisi quatenus reddit intelligibile obiectum: & ideo se habent vt forma, & id, cuius est forma: quæ non ponunt in numero in ratione principij, vt ex se constat. Eò præsertim, quod hæc intentionalis generatio est omnino immanens, & ad intra: quamobrem petit, quod eius principium principale sit intra intellectum, illique intime vniatur. Vnde cum obiectum non sit intra intellectum per entitatem, quam habet ad extra: sed per speciem illi impressam, & vnitam: sequitur, quod hæc non ponat in numero cum obiecto, quatenus est principium cognitionis; sed sit ipsummet obiectum in linea intentionali, in qua prædicta generatio exercetur. Quæ satis euincunt, quam diuerso modo se habeant species impressa in generatione intentionali, & semen in generatione naturali. Et ad auctoritatem D. August. respondetur S. Doctorem solum asserere, quod species se habeat ad instar seminis: ad quod sufficit, quod immittatur ab obiecto,

& imprimatur potentiæ; in hoc quippe stat analogia inter semen, & speciem, quam libenter admittimus. Minime tamen asserit, quod species se habeat proprie, & præcise vt semen: & hoc posterius desiderabatur ad intentionem argumenti. Altera probatio jam manet exclusa ex dictis.

16 Secundo arguitur: nam habitus intellectus concurrunt effectiuè ad producendum verbum, quod est formaliter simile obiecto: & tamen prædicti habitus non repræsentant formaliter obiectum; sed tantum virtualiter, quatenus habent virtutem ad producendam formalem similitudinem: ergo ex eo, quod species impressa concurrat ad productionem verbi; non sequitur, quod repræsentet formaliter obiectum. ¶ Et confirmatur: nam essentia diuina vnita intellectui beato concurrit per modum speciei impressæ ad cognitionem creaturarum: & tamen non repræsentat formaliter creaturas, sed tantum causaliter: ergo non est necessarium, vt species creata repræsentet formaliter obiectum, ad cuius cognitionem concurrit.

Respondetur argumento negando consequentiam: & ratio disparitatis habetur ex dictis, nam habitus non instituuntur per se primo ad repræsentandum; sed ad alia munera: & ideo non petunt repræsentare formaliter. Species autem impressa est per se primo instituta, vt repræsentet: quamobrem postulat repræsentare formaliter. ¶ Ad confirmationem negamus consequentiam intellectam de obiecto primario: & contrarium non euincitur ex præmissis, quia obiectum primarium diuinæ essentiæ habentis rationem speciei intelligibilis est ipsa diuina essentia, quam certum est in prædicta specie formaliter repræsentari: creaturæ autem sunt obiectum secundarium, quæ proinde non postulant repræsentari formaliter; sed sufficit, quod virtualiter repræsententur.

17 Tertio arguitur: quoniam si species impressa esset formalis similitudo obiecti, per solam receptionem speciei intelligibilis, & alijs circumscriptis, intellectus fieret actu intelligens: consequens est absurdum; cùm intellectus nequeat intelligere ante intellectionem, & verbum: ergo. Antecedens est falsum. Sequela ostenditur: nam tunc intellectus fit actu intelligens, quando fit actu similis formaliter obiecto; siquidem cognitio nihil aliud est, quam assimilatio intelligentis ad rem intellectam, vt docet D. August. *lib.* 14 *de Trinit. cap.* 11. asserens: *Tunc fore perfectam Dei similitudinem in mente, cùm fuerit perfecta Dei visio*, iuxta illud 2. Ioan. *cap.* 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*; sed si species intelligibilis esset formalis similitudo obiecti; intellectus per solam receptionem speciei fieret obiecto formaliter similis: ergo per solam receptionem speciei fieret actu intelligens.

Respondetur negando sequelam: & ad illius probationem dicendum est tunc intellectum reddi formaliter intelligentem, quando actu fit similis obiecto non quidem pure

passiue se habendo; sed vitaliter, & eliciendo actionem, per quam se intelligibiliter vniat obiecto cognito. Quod quia fieri nequit absque intellectione, & verbo; propterea nequit intellectus denominari actu intelligens per solam receptionem speciei impressæ; licet hæc repræsentet formaliter obiectum. Sed prædicta similitudo formalis deseruit vt intellectus constituatur in actu secundo similis passiue obiecto; & in actu primo proximo ad se assimilandum actiue eidem obiecto, siue ad producendum vitaliter similitudinem expressam illius, vel saltem vnionem cum eo: & ab hac productione: siue vnione denominatur intellectus actu formaliter intelligens. Loquutiones autem illæ scripturæ, & D. August. verissimæ quidem sunt; sed non excludunt intellectionem, vt ex ipsis liquet.

QVÆSTIO III.

An species, & obiectum sint eiusdem naturæ in esse repræsentatiuo?

SVnt, qui existiment quæstionem hanc esse de nomine, non de re: nam speciem esse eiusdem naturæ cum obiecto in esse repræsentatiuo nil aliud putant esse, quam quod species repræsentet obiectum: id quod nemo sanæ mentis negabit. Hi tamen scopum difficultatis non attingunt: quia licet speciem esse eiusdem naturæ cum obiecto sit realiter idem, ac ipsum formaliter repræsentare, & hoc forte concedatur à pluribus: attamen in hoc ipso includi, quod eademmet natura obiecti sit sub aliquo modo vero, & reali in specie; nec est ita intelligibile, nec ita commune; vt à pluribus non negetur. Quod ergo in præsenti inquirimus est, vtrum tanta intercedat similitudo inter speciem, & obiectum, vt ex parte naturæ repræsentatæ nõn distinguantur; sed solum ex parte modorum habendi illam: quatenus natura, quæ est in obiecto sub modo essendi naturali, sit in specie sub modo intentionali, & intelligibili. Et procedit quæstio de obiecto, quod primario repræsentatur in specie.

§. vnicus.

Resoluitur difficultas iuxta mentem D. Thom.

18 DIcendum est speciem habere in esse repræsentatiuo eandem naturam, quam illius obiectum habet in esse naturali. Hanc conclusionem frequenter repetit Angel. Doct. præcipue *quodl.* 8. *a.* 4. his verbis: *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentiæ rei, & est quodammodo ipsa quidditas, & natura rei, secundum esse intelligibile; non secundum esse naturale, pro vt est in rebus.* Quod etiam tradit 1. *p. q.* 12. *a.* 2. *&* *q.* 14. *a.* 1. & alibi sæpe. Desumpsitque hanc doctrinam ex Arist. 7. *Metaph.* vbi ait: *Ab arte vero fiunt, quorum species in anima est:*

speciem

speciem autem dico quodquid erat esse cuiuslibet. Vnde hanc conclusionem docent communiter Thomistæ, Caiet. Bañez, Zumel, Ripa, Nazar. & Gonsalez 1. *p. q.* 14. *a.* 1. Ledesma *de perfect. Dei q.* 8. *a.* 4. in explicatione primæ rationis *pro concluſ.* N. Salmantic. *de Visione Dei disp.* 2. *dubio* 5. & de scientia Dei *disp.* 4. *dubio* 1. & alij plures, quibus etiam adhæret Durandus *in quarta distinct.* 49. *qu.* 2.

Probatur conclusio hoc vnico fundamento : quoniam id, quod est formaliter simile alteri in aliqua ratione, debet eandem rationem in se habere : sed species est formaliter similis obiecto in natura, seu conceptu, quæ repræsentat : ergo habet naturam obiecti saltem in esse repræsentatiuo. Minor constat ex dictis *quæst. præced.* vbi ostendimus speciem esse formalem similitudinem, & repræsentationem obiecti primarij. Major autem suadetur: quoniam relatio similitudinis fundatur in vnitate, seu conuenientia, vt statuimus *in Logica disp.* 14. *q.* 4. §. 2. ergo vt vnum sit formaliter simile alteri, debet habere in se illam rationem, seu naturam, in qua illi assimilatur. Vnde sicut album esse formaliter simile alteri albo in esse naturali, importat naturam albedinis in vtroque : ita speciem esse formaliter similem obiecto in aliqua ratione, importat quod illa ratio obiecti inueniatur etiam in specie saltem in illo ordine, in quo ei assimilatur, videlicet in esse repræsentatiuo. Et quia species est formaliter similis obiecto, non solum in eadem natura specifica, sed etiam in eadem natura numerica ; siquidem eandem numero naturam obiecti formaliter repræsentat : fit, quod species habeat in se non solùm naturam specificam obiecti, sed etiam eandem numero naturam, quæ est in obiecto. Habetur tamen hæc natura diuerso modo : nam in obiecto est sub modo naturali, atque ideo absolute : in specie autem solum est sub modo repræsentatiuo, ac proinde secundum quid. Ex quo etiam prouenit, quod licet species dicatur similis obiecto ; hoc tamen non dicatur simile speciei : quia quando vna ratio habetur inæqualiter, inferius dicitur simile superiori ; sed non è contra.

19 Contrariam sententiam docet B. Albertin. *de Anima, tract.* 9. *cap.* 11. Molina, & Vasquez 1. *parte quæstione* 12. *art.* 1. *&* 2. Suarez *tract.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. & alij. Quæ potest suaderi primo ex D. Thom. *qu.* 8. *de Veritate, art.* 11. *ad* 3. vbi ait: *Dicendum, quod inter cognoscens, & cognitum non exigitur similitudo, qua est secundum conuenientiam in natura, sed secundum repræsentationem tantum Constat enim, quod species lapidis in anima est longè alterius naturæ à lapide in materia.* Ergo secundum D. Thom. species, & obiectum non sunt eiusdem naturæ.

Respondetur S. Doctor. nobis non opponi : solùm enim docet, quod species, & obiectum sint absolute diuersæ naturæ, quod nos nec volumus, nec valemus negare ; cùm obiectum habeat naturam sibi propriam, & sub modo naturali sibi debito ; species verò solum importet eandem naturam repræsentatiuè,

ſentatiuè, & ſub modo diminuto. Hinc tamen non excluditur, quod ſpecies habeat *quodammodo, & in eſſe intelligibili* (vt loquitur ipſe S. Doct. *quodlib. citat.*) naturam, & quidditatem obiecti: ad hoc enim ſatis eſt, quod natura exiſtens ſimpliciter, & naturaliter in obiecto, exiſtat in ſpecie, ſaltem ſecundum quid, ſiue in eſſe repræſentatiuo. Quod etiam ſufficiet, vt obiectum, & ſpecies dicantur eſſe eiuſdem naturæ in aliquo vero, & reali ſenſu, videlicet præſcindendo à modis, quibus natura participatur.

20 Secundo arguitur: quia ſi ſpecies, & obiectum eſſent eiuſdem naturæ, prædicata conuenientia obiectis conuenirent etiam ſpeciebus, & è conuerſo: atqui ſpecies, & obiectum non habent eadem prædicata; ſed potius rationes valde oppoſitas, & diuerſas: ergo ſpecies & obiectum non ſunt eiuſdem naturæ. Probatur minor: nam ſpecies ſolet eſſe accidens ſpirituale; obiectum vero ſubſtantia corporea, vt cùm intelligimus lapidem: deinde ſpecies poſita ſupra ſenſum non impedit ſenſationem; obiectum autem impedit illam; præterea ſpecies v. g. audibilis nequit audiri; obiectum vero ab ea repræſentatum, nempe ſonus auditur: & denique ſpecies albedinis, & nigredinis non habent inter ſe contrarietatem; ſed poſſunt conjungi in eodem medio, vel potentia; albedo autem, & nigredo contrariantur: ergo ſpeciei, & obiecto non eadem, ſed valde diuerſa prædicata conueniunt.

Reſpondetur ſpeciem, & obiectum poſſe bifariam conſiderari: primo ex parte quidditatis, ſeu naturæ præciſiuè ſumptæ: & hoc pacto non explicant diuerſitatem, ſed conuenientiam. Secundo ex parte modorum, quibus participant illam naturam: & hac ratione maximè differunt; cum obiectum habeat ſuam quidditatem naturaliter, & ſimpliciter; ſpecies vero habeat quidditatem obiecti ſolùm ſecundum quid, ſeu repræſentatiue. Et quia nomen obiecti eſt impoſitum ad ſignificandum naturam non præciſiue, ſed cum modo naturali; nomen vero ſpeciei deſignatum eſt ad ſignificandum naturam obiecti non præciſiue, ſed cum modo intentionali: fit vt ſpecies ſub conceptu adæquato ſpeciei, & obiectum ſub conceptu adæquato obiecti, habeant valde diuerſa, & oppoſita prædicata; quamvis accepta ex parte quidditatis præciſiue ſumptæ, dicant ſimilitudinem, vnitatem, & conuenientiam. Et hoc tantum euincunt exempla in contrarium adducta: nam licet ſpecies adæquatè accepta (quo pacto dicit tùm eſſe naturale, tùm modum diminutum intentionalem) ſoleat eſſe accidens ſpirituale; nihilominus conſiderata ex parte quidditatis, quam habet in eſſe repræſentatiuo, poteſt eſſe ſubſtantia, ſi hanc primario repræſentet. Deinde impedire ſenſationem non conuenit naturæ poſitæ ſupra ſenſum, ſi conſideretur ſecundum ſe; ſed præcisè quatenus habet eſſe naturale, ſeu valde materiale: & ideo obiectum habens illam ſub-

sub prædicto esse impedit sensationem; species vero illam habens sub modo diminuto, & minus materiali illam non impedit. Similiter sentiri, aut audiri non conuenit naturæ secundum se; sed quatenus habet esse naturale, & materiale: vnde obiectum prædicto modo illam habens auditur; species vero non auditur, quia eam habet alio modo longe diuerso. Pariter incompossibilitas, & contrarietas inter albedinem, & nigredinem non competit eis, si ex parte naturarum præcisiuè sumptarum considerentur; sed quatenus habent illas naturas simpliciter, & sub modo naturali: & ideo species albedinis, & nigredinis non contrariantur, quia solùm habent eas naturas repræsentatiue, & secundum quid.

QVÆSTIO IV.

Vtrum potentia cognoscitiua vniatur per identitatem cum specie, & obiecto?

HVic quæstioni occasionem præbuit Auerroes asserens ex potentia cognoscitiua, & specie fieri magis vnum, quam ex subiecto, & accidenti, aut ex materia, & forma. Quod an verum sit, inuestigamus in præsenti. Et plane, quod potentia cognoscitiua fiat aliquomodo mediante specie ipsum obiectum, satis liquet ex dictis *quæst. præced.* vbi ostendimus speciem esse aliquo modo ipsam naturam obiecti. Vnde sicut habens naturam lapidis in esse naturali, est naturaliter lapis: ita potentia cognoscitiua habens in esse repræsentatiuo naturam lapidis, mediante specie illius repræsentatiua, debet esse quodammodo ipse lapis, videlicet intentionaliter, & repræsentatiuè. Difficultas autem est vtrum hæc transmutatio fiat per solam compositionem ex potentia cognoscitiua, & specie tanquam ex partibus actu distinctis; an vero tam intima vnio hic intercedat, vt potentia fiat per identitatem ipsa species; & consequenter ipsum obiectum, quod intentionaliter non habet esse, nisi in specie per quam redditur cognoscibile.

§. vnicus.

Eligitur, & defenditur D. Thom. sententia.

21 DIcendum est potentiam cognoscitiuam fieri per identitatem ipsas species, & obiecta in illis repræsentata, non quidem absolute, vel in esse naturali; sed quodammodo, & secundum quid, siue in esse intentionali. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 38. quam sic illustrat D. Thom. *lect.* 13. *Ostendit quod alio modo est omnia, quam antiqui ponerent, quod si anima est omnia, necesse est, quod sit vel ipsæ res scibiles; sicut Empedocles posuit, quod terra terram cognoscimus, & aqua aquam, & sic de alijs: aut sit species ipsorum. Non autem anima est ipsa res, sicut illi posuerunt: quia lapis non est in*

anima, ſed ſpecies lapidis. Et per hunc modum dicitur intellectus in actu eſſe ipſum intellectum in actu, in quantum ſpecies intellecti eſt ſpecies intellectus in actu. Si autem intellectus præcisè vniretur ſpeciei per receptionem, & inhærentiam, diceretur quidem habens ſpeciem obiecti; minime vero poſſet dici ipſum obiectum, aut ſpecies illius, ſicut materia recipiens formam, & ſubiectum recipiens accidens dicuntur habere formam, & accidens; minime autem poſſunt dici in vero ſenſu ipſa forma, & accidens: quia actu diſtinguuntur ab ipſis. Si ergo iuxta mentem Philoſophi, & D. Thom. intellectus eſt quodammodo res intellecta, ſequitur quod aliquomodo, ideſt, in eſſe repræſentatiuo, fiat ipſa ſpecies, & obiectum per identitatem. Idem tradit Angel. Doct. 1. *p. q.* 14. *art.* 1. *& qu.* 2. *de Veritate, art.* 2. *&* 1. *contra Gent. cap.* 44. Vnde hanc ſententiam docent communiter Thomiſtæ, Caietanus, Bannez, Zumel, Nazarius, & Gonſalez *loc. cit. ex* 1 *p.* Idem Caiet. 1. *p. q.* 79. *a.* 2. & alij plures.

Fundamentum eſt: nam quæcumque forma vnitur alicui, vnitur illi, vel per informationem, vel per inhærentiam, vel per identitatem: ſed forma, ſiue ſpecies intelligibilis vnitur intellectui, & non per inhærentiam, aut informationem in ordine intentionali: ergo vnitur ei per identitatem in prædicto ordine: & conſequenter intellectus, ſpecies, & obiectum fient idem per identitatem in eſſe intentionali. Major & conſequentia conſtant. Minor autem ſuadetur: quoniam forma non vnitur per informationem, niſi quatenus eſt forma ſubſtantialis; nec per inhærentiam, niſi quatenus eſt forma accidentalis: ſed reſpectu ſpeciei intelligibilis, quatenus pertinet ad ordinem intentionalem, eſt omnino per accidens, quod ſit entitatiuè accidens, vel ſubſtantia: ergo prædicta ſpecies in eſſe intentionali conſiderata non vnitur intellectui per informationem, vel inhærentiam. Probatur minor: nam ſiue ſpecies ſit entitatiue ſubſtantia, ſiue ſit accidens, eſt eiuſdem prorſus rationis in eſſe repræſentatiuo; quando idem obiectum repræſentat: & ideo ſpecies, qua Gabriel. cognoſcit ſe ipſum, & ſpecies qua cognoſcitur à Michaële, ſunt eiuſdem prorſus rationis in eſſe intentionali; licet illa prior ſit ſubſtantia ipſius Gabrielis, & hæc poſterior ſit quoddam accidens ſuperadditum intellectui Michaelis: ergo reſpectu ſpeciei conſideratæ in ordine intentionali per accidens omnino eſt, quod ſit ſubſtantia, vel accidens.

Confirmatur: quia omnis forma, quæ vnitur alteri per informationem, vel inhærentiam, limitatur à ſubiecto, & fit hæc determinate, vt inductiue conſtat: atqui ſpecies intelligibilis per vnionem ad intellectum non limitatur in eſſe repræſentatiuo; ſed manet cum eadem indifferentia, & vniuerſalitate, quam antea habebat: ergo conſiderata in eſſe repræſentatiuo non vnitur intellectui per informationem, vel inhærentiam; ſed ſolùm per identitatem: fiet ergo ex intellectu,

&

& specie, atque obiecto intelligibiliter in specie existente vnum, & idem per identitatem. Minor, in qua poterat esse difficultas ostenditur: nam species intelligibilis hominem quidditatiue, & in communi repræsentans, minime amittit hanc vniuersalitatem per hoc, quod vniatur intellectui; sed manet in repræsentando cum eadem prorsus vniuersalitate, & indifferentia, quam ex se habebat: alias non posset repræsentare quidditatem hominis in communi: ergo prædicta species per vnionem ad intellectum non limitatur in esse repræsentatiuo.

22 Auctores *num.* 19. relati sentiunt etiam contra præsentem assertionem, & arguunt primo auctoritate D. Thom. 1. *p. q.* 55. *art.* 1. *ad* 2. vbi inquit: *Dicendum, quod sicut sensus in actu est sensibile in actu, vt dicitur in* 3. *de Anima*; *non ita, quod ipsa vis sensitiua sit ipsa similitudo sensibilis, quæ est in sensu*; *sed quia ex vtroque fit vnum sicut ex actu, & potentia: ita & intellectus in actu dicitur esse intellectum in actu*; *non quod substantia intellectus sit ipsa similitudo, per quam intelligit*; *sed quia illa similitudo est forma eius.*

Respondetur S. Doct. solùm excludere identitatem intellectus, & speciei in esse naturali, in quo proprie comparantur *substantia intellectus* tanquam subiectum, & species tanquam *forma eius*, vt loquitur D. Thom. & hoc sufficit, ne absolutè dicamus intellectum esse rem intellectam, quod ibidem intendebat. Cum hoc tamen cohæret, vt in ordine intentionali, in quo comparantur non tàm vt subiectum, & forma, quam vt extrema identificabilia, fiant vnum, & idem per identitatem: & hoc satis est, vt dicamus intellectum, & speciem esse idem cum addito, nempe in ordine intentionali: quod differtis verbis asserit S. Doct. *in locis* pro conclusione *citatis.*

23 Secundo arguitur ratione: quia forma, quæ secundum omnia, quæ habet, vnitur intellectui per inhærentiam, nequit secundum aliquid sui vniri illi per identitatem, vt constat ex terminis: sed species intelligibilis accidentalis secundum omnia, quæ habet, vnitur intellectui per inhærentiam: ergo secundum nihil sui vnitur cum intellectu per identitatem: & consequenter neque vnietur in esse repræsentatiuo; cum hoc sit aliquid in specie. Suadetur minor: nam forma accidentalis, quæ educitur ex aliquo subiecto, nequit ei vniri, nisi per inhærentiam: nulla quippe potest esse identitas inter subiectum, & formam eductam, cùm ibidem intercedat vera, & realis dependentia: sed species intelligibilis accidentalis secundum omnia, quæ habet, educitur ex intellectu; siquidem nihil est in prædicta specie, quod fiat per creationem: ergo secundum omnia, quæ habet, vnitur intellectui per inhærentiam.

Respondetur negando minorem: quia sicut species pertinet ad duplicem ordinem, nempe entitatiuum, & intentionalem, ita vendicat sibi duplicem vnionem, videlicet entitatiuam, & intentionalem: ex quibus illa est inhærentia, quando species

est accidens; hæc vero semper est quædam identitas. Cuius signum est, quod species per vnionem entitatiuam limitatur in esse entitatiuo, & fit hæc: at per vnionem intentionalem non limitatur in ordine intentionali; sed manet cum vniuersalitate, quam ex se habet: quod minime posset verificari, si in vtroque ordine inhæreret. Ad probationem autem in contrarium dicendum est speciem intentionaliter sumptam neque educi, neque creari: quia fieri cuiuscumque rei terminatur ad illius esse entitatiuum. Et ideo secundum esse intentionale considerata neque informat, neque inhæret intellectui; sed vnitur ei per identitatem. Vt autem prædictum esse intentionale ponatur de nouo in rerum natura, sufficit, quod transcendentaliter sit ipsum esse entitatiuum, quod producitur per se: hinc enim habet, quod comproducatur ad productionem illius.

24 Tertio arguitur: nam ea, quæ ante vnionem realiter distinguuntur, & post vnionem sunt realiter separabilia, nequeunt per vnionem identificari; sed semper manent actu distincta, vt potest inductiue ostendi: atqui intellectus, & species antequam vniantur, realiter differunt, & post vnionem sunt realiter separabilia, vt ex se liquet: ergo nequeunt per vnionem identificari, sed semper manent actu distincta.

Respondetur majorem non esse vniuersaliter veram: nam aliqua sunt, quæ ante vnionem differunt actu; & post vnionem actu non distinguuntur; quamvis retineant distinctionem potentialem, siue capacitatem, vt fiant per separationem actu distincta. Sic enim materiæ existentes sub quantitatibus separatis distinguuntur actu: & tamen si sub eadem quantitate constituantur, fiunt vna materia per identitatem in genere substantiæ: si autem quantitas diuidatur, fiunt plures actu materiæ, vt constat ex dictis *in lib. de Generatione disp. 5. quæst. 1.* Hoc ergo modo intellectus, & species, quæ ante vnionem actu distinguuntur, fiunt per vnionem vnum, & idem in esse intelligibili: retinent tamen capacitatem, vt per separationem fiant actu plura. Vnde sicut ante vnionem habent identitatem potentialem, quia possunt per vnionem fieri idem in esse intentionali: ita post identitatem retinent distinctionem potentialem, quia possunt per separationem fieri plura. Nam & quod per vnionem identificentur in esse intentionali, suadent quæ pro assertione diximus: & quod post vnionem retineant distinctionem saltem potentialem, satis conuincit obiectio. Distinctio ergo actualis inter intellectum, & speciem in linea intentionali non conuenit eis ratione suarum entitatum præcisiue sumptarum & quatenus ad eandem lineam intentionalem spectant; sed conuenit eis dependenter à separatione in esse entitatiuo, & quatenus non subsunt vnioni. Vnde hoc ipso, quod vniãtur in esse entitatiuo identificantur in esse intentionali. Quæ omnia illustrari possunt exemplo partium substantialium, quod supra adduximus. Consultò autem

tem

tem tam in hoc, quam in *præced. dub.* plures & pro nostra, & pro aduersa opinione non attulimus: quia dicta sufficiunt pro physico captu, & cognitione specierum intentionalium. Qui plura voluerit, eaque difficultates Theologicas satis graues concernentia, consulat N. Salmant. *tract. de Scientia Dei. disp. 2. per totam.*

QVÆSTIO V.

An species impressa concurrat actiue ad cognitionem?

QVæ hactenus de specie impressa diximus, conueniunt, illi majori ex parte per habitudinem ad obiectum. Oportet nunc videre, qualiter se habeat ad cognitionem: quod multum dependet à resolutione præsentis dubij.

§. I.

Defenditur D. Thomæ sententia.

25 DIcendum est speciem impressam concurrere actiue ad cognitionem. Ita colligitur ex Aristot. *in hoc opere lib. 2. text. 60.* vbi docet sensibilia esse actiua sensitiuæ operationis: nam cum sensibile non influat in cognitionem, nisi media specie, debet hæc actiuè concurrere, si semel illud influit prædicto modo. Quod aperte docet D. Thom. *1. p. qu. 56. art. 1. qu. 85. art. 2.* vbi ait: *Species intelligibilis se habet ad intellectum, vt quo intelligit intellectus, quod sic patet: cum enim sit duplex actio, sicut dicitur 9. Metaph. vna, quæ manet in agente, vt videre, & intelligere; & altera, quæ transit in rem exteriorem: vt calefacere, & secare: vtraque fit secundum aliquam formam. Et sic forma, secundum quam prouenit actio tendens in rem exteriorem, est similitudo obiecti actionis, vt calor calefaciens est similitudo calefacti. Similiter forma, secundum quam prouenit actio manens in agente, est similitudo obiecti. Vnde similitudo rei visibilis est secundum quam visus videt: & similitudo rei intellectæ, quæ est species intelligibilis est forma secundum quam intellectus intelligit.* Vnde hanc conclusionem docent communiter Thomistæ vt testatur Ioan. Gonzalez *1. p. qu. 12. art. 2. disp. 25. sect. 5.* Videantur N. Salmantic. *tract. de Visione Dei disp. 2. dub. 3.*

Probatur primo ratione desumpta ex verbis D. Thom. quoniam principium, cui per se assimilatur terminus actionis, influit actiuè in actionem; proprium quippe est causæ efficientis producere sibi simile: sed species impressa est principium, cui per se assimilatur terminus cognitionis: ergo species impressa influit actiuè in ipsam cognitionem. Minor liquet: nam in primis species impressa est principium desideratum ad productionem verbi, siue speciei expressæ productæ per cognitionem: deinde species expressa repræsentat actu id ipsum, quod species impressa quasi habitualiter repræsentabat, suntque

eiusdem rationis in esse repræsentatiuo : ergo species impressa est principium, cui per se assimilatur terminus cognitionis.

Confirmatur, & simul occurritur tacitæ obiectioni : nam licet aliquando per cognitionem non producatur terminus : attamen ipsa cognitio euadit similis speciei impressæ in principali munere, quod exercet: hoc autem non contingeret, nisi species esset principium per se influens actiuè in cognitionem : ergo species influit in cognitionem prædicto modo. Suadetur, & explicatur maior: quia præcipuum munus speciei impressæ est vnire in actu primo obiectum cum potentia : sed quæcumque cognitio est vnio vitalis, & actualis potentiæ cum obiecto : ergo cognitio euadit similis speciei impressæ in præcipuo munere, quod exercet. Distinguuntur tamen in modo vniendi : nam species vnit obiectum potentiæ, quatenus in esse repræsentatiuo habet naturam obiecti ; cognitio vero vnit potentiam obiecto, quatenus est tendentia vitalis potentiæ in obiectum.

26 Sed obijcies : idea est principium, cui per se assimilatur terminus actionis artificiosæ, nempe artefactum : & tamen idea non concurrit actiue, nec ad prædictam actionem, nec ad terminum illius: ergo ex eo, quod terminus cognitionis assimiletur speciei impressæ, non concluditur efficaciter, quod hæc concurrat actiue ad cognitionem.

Respondetur primo negando minorem : nam idea concurrit actiuè ad actionem artis, & ad terminum illius, vt constat ex dictis *in lib. Physic. disp. 9. q. 3. §. 2.* Respondetur secundo negando consequentiam : nam id, cui per se assimilatur effectus, vel debet esse eius exemplar, & idea ; vel principium actiuè influens in ipsum : species autem impressa est principium, cui per se assimilatur terminus cognitionis, vt constat ex dictis : & alias non concurrit per modum ideæ, siue exemplaris, vt communiter docent Philosophi : vnde relinquitur, quod sit principium actiuè influens in cognitionem.

27 Secundò suadetur conclusio alia ratione : quoniam id, quod in aliquo ordine se habet vt actus, & forma, debet influere actiue ad operationes prædicti ordinis, vt patet inductiuè in formis ordinis naturalis : formæ quippe ignis, equi, plantæ, & aliorum entium naturalium concurrunt actiue ad operationes entium, quæ constituunt : atqui species impressa est actus, & forma potentiæ cognoscitiuæ in linea cognoscibili, ipsamque vltimò complet, vt possit cognoscere : ergo concurrit actiuè ad operationem propriam potentiæ cognoscitiuæ, videlicet ad cognitionem.

27 Dices hinc fieri, quod species impressa principalius concurrat ad cognitionem, quam ipsa potentia cognoscitiua : consequens est aperte falsum ; cum potentia sit intimius coniuncta principio fontali, & radicali cognoscendi, nempe animæ, à qua dimanat : ergo &c. Sequela ostenditur : nam actus, & forma principalius influit, quam id, respectu cuius est actus, & forma,

cum

cum ei tribuat virtutem, & rationem agendi: & hac ratione principalius concurrit ad agendum forma substantialis, quam materia; & calor aquæ calidæ, quam ipsa aqua: eò quod se habent vt actus, & forma respectu materiæ, & aquæ.

Respondetur negando sequelam: nam id, quod se habet per modum actus, & formæ, concurrit principalius, quam subiectum, quoties non desideratur propter operationem propriam subiecti; sed vel propter operationem propriam ipsius formæ, vel propter operationem alterius tertij. Quod præcisè conuincunt exempla in contrarium adducta: calor enim aquæ calidæ, non est propter operationem aquæ, sed propter operationem propriam ipsius caloris: & similiter forma substantialis non deseruit ad operationem propriam materiæ, sed ad operationem compositi. Cæterum quando id, quod se habet per modum actus, & formæ instituitur propter operationem eius, respectu cuius est forma, non oportet, quod principalius concurrat: vt patet in calore ignis, qui se habet per modum actus, & formæ respectu ignis; & tamen non influit principalius, quam ignis in calefactionem: quia videlicet desideratur propter operationem propriam ipsius ignis, cui proinde relinquit principaliorem concursum. Vnde cum species desideretur propter operationem propriam potentiæ cognoscitiuæ; non sequitur, quod influat principalius, quam potentia; quamvis se habeat ad instar actus, & formæ respectu illius. Et ratio vtrobique eadem: nam sicut calor non se habet per modum formæ dantis primam, & radicalem vim agendi; sed solum per modum formæ complentis virtutem propriam, & radicalem ignis: ita species intentionalis non dat potentiæ cognoscitiuæ vim præcipuam, & radicalem cognoscendi; sed tantum se habet per modum complementi determinantis vim cognoscitiuam potentiæ, vt valeat peculiare obiectum attingere, & assimilare sibi terminum producendum per cognitionem.

§. II.

Conuelluntur fundamenta contraria.

28 ADuersus nostram assertionem duæ sunt opiniones. Prima docet speciem impressam non concurrere actiue ad cognitionem; sed solum dispositiuè, quatenus disponit, & excitat potentiam cognoscitiuam. Ita Henric. quodl. 4. *qu.* 7. Tolet. 2. *de Anima qu.* 12. *concl.* 4. & alij plures. Quod potest suaderi primo: nam id, quod non est vitale, nequit influere actiue in actionem vitalem; alias effectus excederet perfectionem principij: at species impressa non est vitalis; cum non procedat à principio vitæ, sed ab obiecto, quod frequenter est quid inanime: ergo species impressa nequit concurrere actiuè ad cognitionem.

Respondetur negando minorem: quia species impressa habet sufficiẽtem vitalitatem, vt valeat influere actiuè in cognitionem: est enim per se,

se, & ab intrinseco determinatio potentiæ vitalis cum habitudine ad actionem vitalem: vnde nequit non in ordine vitali constitui. Nec oppositum suade infertat probatio: nam esse à principio intrinseco non est de ratione cuiuscumque entis vitalis; sed specialiter conuenit actioni vitali ob peculiarem eius rationem. Alia autem sunt, quæ pertinent ad ordinem vitalem, influuntque in vitalem operationem; quamvis non sint ab intrinseco viuentis, sed illi communicentur ab extrinseco, vt patet in habitibus supernaturalibus: ij enim non dimanant ab intrinseco; & tamen concurrunt actiue ad operationem vitalem. Quod autem species impressa causetur ab obiecto non viuenti; minime illius vitalitati præiudicat: nam sicut species immaterialis causatur ab obiecto corporeo, non quatenus corporeum est; sed quatenus participat aliquid immaterialitatis à substantiis separatis immaterialibus: ita potest species vitalis causari ab obiecto inanimato, non quatenus vitæ experte; sed quatenus aliquid vitalitatis à substantiis separatis, & viuentibus participat. Et hoc sufficit, vt species habeat vel minimam vitalitatem, qualis requiritur, vt influat actiuè in cognitionem, non per modum potentiæ, virtutis, aut rationis agendi, sed vt determinans, & complens potentiam.

29 Secundo arguitur: quoniam respectu vnius effectus nequeunt dari plures causæ totales & eiusdem ordinis, vt constat ex dictis *in lib. Physicor. disp. 15. quæst. 3.* sed si species impressa influeret actiuè in cognitionem, darentur plures causæ totales, & eiusdem ordinis respectu ipsius cognitionis: ergo species non concurrit actiuè ad cognitionem. Suadetur minor: quia potentia cognoscitiua concurrit in genere causæ efficientis proximæ per modum causæ totalis ad cognitionem; siquidem eam continet eminenter: ergo si species concurrit actiue ad cognitionem; nequit non constituere aliam causam efficientem totalem proximam, ac proinde eiusdem ordinis.

Respondetur negando minorem: quia potentia cognoscitiua, & species impressa non influunt in cognitionem, nisi quatenus prius fiunt vnum per identitatem in linea intentionali: vnde nequeunt duo principia totalia constituere. Ad probationem autem in contrarium dicendum est, quod licet potentia cognoscitiua præstet omnem concursum, qui à potentia debet præstari; & similiter species impressa exhibeat omnem concursum, quem species potest communicare: adhuc tamen non constituunt duo principia totalia proxima cognitionis: quia vterque ille modus concurrendi desideratur ad constituendum vnum principium proximum, & adæquatum. Sicut etiam in generatione naturali (cui notitia; seu generatio intentionalis assimilatur) fœmina exhibet concursum totalem proprium fœminæ, & vir etiam exhibet concursum totalem proprium viri: & tamen non constituunt duas causas totales; sed vtriusque concursus desideratur ad constituendum vnicum, & totale generationis principium.

Quod

Quod in præsenti à fortiori dicendum est, cum species non afferat ex se distinctam virtutem, aut potentiam; sed solum compleat, ac determinet potentiam cognoscitiuam: vnde illius influxus effectiuus (quidquid sit de aliis modis influendi) ad idem genus proximum & totale simul cum influxu potentiæ cognoscitiuæ reuocandus est.

30 Secunda sententia concedit species, quæ sunt accidentia, influere actiuè in cognitionem: id vero denegat speciebus, quæ sunt substantia, vti se habet essentia Angeli respectu cognitionis sui, & essentia Dei respectu visionis beatificæ. Ita Bañez 1. *p. quæst.* 12. *articulo* 1. *& quæst.* 85. *articulo* 2. *dub. vnic. concl.* 2. Et probatur primo: nam species influens actiuè in cognitionem subordinatur potentiæ cognoscitiuæ: sed substantia nequit subordinari potentiæ cognoscitiuæ, quæ est accidens, vt satis constare videtur tum ex se, tum ex incapacitate subordinationis essentiæ diuinæ ad intellectum creatum: ergo species, quæ est substantia, nequit influere actiuè in cognitionem. Maior suadetur: quia principium *quo* subordinatur principio *quod*: sed quando species influit actiuè, species se habet vt principium *quo*; potentia verò cognoscitiua vt principium *quod*; siquidem hæc determinatur per illam: ergo species influens actiuè subordinatur potentiæ cognoscitiuæ.

Respondetur negando maiorem vniuersaliter intellectam: nam quando species est superioris ordinis ad potentiam cognoscitiuam, non subordinatur ei, quamvis influat actiuè cum illa. Et ad probationem in contrarium dicimus maiorem solum verificari in principio *quo* eiusdem vel inferioris ordinis cum principio *quod*; secus vero, quando principium *quo* est ordinis superioris. Vnde videmus, quod licet forma, quæ est principium *quo* eiusdem ordinis cum corpore, subordinetur huic, & dependeat ab eo; nihilominus forma, quæ est principium *quo* superioris ordinis, vti est anima rationalis, non subordinatur principio *quod*, videlicet corpori, nec dependet ab ipso. Et idem de specie, quæ est substantia respectu potentiæ cognoscitiuæ dicendum est. Eo, vel maxime, quod potentia, & species identificantur actu in linea intentionali: & ideo nequeunt subordinari actu in eadem linea: cum ad subordinationem actualem sit necessaria actualis distinctio.

31 Arguitur secundo: quoniam species influens actiue in cognitionem influit in eam proximè, & immediatè; cum nihil mediet inter vtramque: sed nulla substantia creata valet immediatè operari vt statuimus *in libris Physicorum, disputatione* 10. *quæst.* 2. ergo quando substantia creata exercet munus speciei, vti se habet essentia Angeli ad sui cognitionem, non potest actiuè concurrere ad cognitionem.

Respondetur negando maiorē vniuersaliter intellectam: nam species, quæ est substantia, sicut in ratione

formæ radicaliter intellectiuæ influit per intellectum: ita in ratione obiecti aut ſpeciei intelligibilis concurrit actiuè ad cognitionem mediante eodem intellectu. Et ratio eſt proportionabiliter eadem: nam quemadmodum intellectus dimanat ab eſſentia Angeli, quatenus eſt intellectiua: ita dimanat ab eadem eſſentia, quatenus eſt intelligibilis: & ideo intellectus debet eſſe virtus, per quam eſſentia influat vtroque modo, nempe per modum principij intellectiui, & per modum ſpeciei intelligibilis. Ex quo tamen non fit, quod eſſentia Angeli exerceat omnia aut principaliora munia ſpeciei intelligibilis mediante intellectu: nam ſpecies, & habet vnire, ac præſentare obiectum potentiæ, & habet influere actiuè in cognitionem. Ex quibus illud prius eſt potiſſimum munus ſpeciei; hoc autem poſterius eſt minus principale: primum exercet ſpecies immediate per ſe ipſam; ſecundum vero exercere poteſt per intellectum.

QVÆSTIO VI.

Qualiter ſpecies intelligibilis huius ſtatus repræſentet ſingularia?

SVpponimus ſpecies ſenſibiles repræſentare formaliter, & directe ſingularia: & ideo in titulo conſulto addidimus ly *intelligibilis*. Qua etiam de cauſa adiecimus *huius ſtatus*: nam ſpecies à Deo infuſas & deſeruientes cognitioni alterius ſtatus poſſe repræſentare formaliter, & directe ſingularia, citra controuerſiam admittimus. Vnde ad ſolas ſpecies intelligibiles huius ſtatus deuoluitur præſens difficultas. Pro cuius reſolutione obſeruandum eſt duo eſſe genera ſpecierum intelligibilium: quædam enim producuntur immediatè ab intellectu agente, nulla ſuppoſita cognitione intellectus poſſibilis reſpectu obiecti per ipſas repræſentati: quædam vero immediate producuntur ab intellectu poſſibili, ſuppoſita aliquali cognitione obiecti, quæ repræſentatur in ipſis. Et quidem priores ſpecies admittunt cõmuniter omnes Theologi, ac Philoſophi: poſteriores vero admittendas eſſe docet D. Thom. 1. *p. qu.* 12. *art.* 9. *ad* 2. his verbis: *Dicendum quod aliquæ potentiæ cognoſcitiuæ ſunt, quæ ex ſpeciebus primò conceptis alias formare poſſunt: ſicut imaginatio ex præconceptis ſpeciebus montis, & auri format ſpeciem montis aurei: & intellectus ex præconceptis ſpeciebus generis, & differentiæ format rationem ſpeciei: & ſimiliter ex ſimilitudine imaginis formare poſſumus in nobis ſimilitudinem eius, cuius eſt imago &c.* Quæſtio ergo præſens præcipuè procedit circa ſpecies prioris generis; quamvis nonnihil etiam dicemus de illis, quæ pertinent ad poſterius.

§. I.

§. I.

Decisio quæstionis iuxta mentem Aristot. & D. Thom.

32 Dicendum est species intelligibiles, quæ immediatè producuntur ab intellectu agente, non repræsentare formaliter, & directè singularia; sed solam quidditatem materialem ab individuis præcisam. Hanc conclusionem apertè docet Philosophus 1. *Physic. text.* 20. vbi inquit: *Intellectus est vniuersalium; sensus vero singularium.* Et *in hoc lib. text.* 11. *asserit, intellectum intelligere vniuersale directè; singulare vero reflexè.* Si autem species, quæ immediate producuntur ab intellectu agente repræsentarent directè, & formaliter singularia; nulla esset ratio, cur intellectus illis informatus, & determinatus non intelligeret directè ipsa singularia, esseturque proinde æquè cognoscitiuus tam singularium, quam vniuersalium. Eandem doctrinam perpetuò statuit D. Thom. & præcipue *in 4. d. 50. qu. 1. art. 3. & quæst. de Anima art. 20. & lib. 2. contra Gentes cap. 100. & 1. p. qu. 85. art. 1. ad 3.* vbi hæc habet: *Virtute intellectus agentis resultat quædam similitudo in intellectu possibili ex conuersione intellectus agentis supra phantasmata, quæ quidem est repræsentatiua eorum, quorum sunt phantasmata solum quantum ad naturam speciei: & per hunc modum dicitur abstrahi species intelligibilis à phantasmatibus; non quod aliqua numero forma, quæ prius fuit in phantasmatibus, postmodum fiat in intellectu possibili ad modum, quo corpus accipitur ab vno loco, & transfertur ad alterum.* Vnde hanc sententiam docent Capreol. *in 1. d. 35. quæst. 2. ad argumenta contra 4.* Caiet. *loc cit. ex 1. parte* Ferrar. 2. *contra Gentes cap. 100.* & communiter omnes Thomistæ, quibus etiam consentiunt Henricus, Fonseca, Conimbr. & alij plures.

Fundamentum est: quoniam speciem intelligibilem fieri per abstractionem à phantasmatibus, nil aliud est, nisi quod ex rationibus repræsentatis in phantasmate quædam reluceat in specie, quædam vero non appareat: abstrahere enim est aliquid assumere, & aliquid relinquere: sed id, quod relinquitur in phantasmate, & non apparet in specie intelligibili, nequit esse quidditas, seu conceptus essentialis naturæ; cum proprium sit intellectus attingere rerum quidditates: ergo est singularitas; quam proinde non repræsentabit species intelligibilis abstracta à phantasmatibus: atqui omnis species, quæ immediatè producitur ab intellectu agente, fit per abstractionem à phantasmatibus: ergo species intelligibilis immediatè producta ab intellectu agente non repræsentat directè & formaliter singularia sed tantum quidditatem rei materialis.

33 Respondent aliqui negando minorem primi syllogismi; nam abstractio speciei à phantasmatibus non consistit in eo, quod quidditas assumatur, & singularitas relinquatur; sed in eo, quod relicta entitate materiali phantasmatis, assuman-

tur tam natura, quam ſingularitas repræſentata in phantaſmate, vt eluceant in ſpecie.

Hæc tamen ſolutio non penetrat vim argumenti, nec illius robur euacuat, ſed poteſt efficaciter refelli; quoniam ſpecies, quæ fit ab intellectu agente per abſtractionem à phantaſmatibus, debet repræſentare formaliter, & directe obiectum proportionatum noſtri intellectus; alia vero ſolum virtualiter, & indirecte: ſed obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas rei materialis vt præſcindit à ſingularibus; non vero ipſa ſingularia, vt ex profeſſo oſtendimus *diſp.* 16. *quæſt.* 2. ergo prædicta abſtractio non conſiſtit in eo, quod aſſumatur eſſe repræſentatiuum, & relinquatur eſſe entitatiuum phantaſmatis; ſed in eo, quod intra genus repræſentatiuum aſſumatur quidditas, & relinquatur ſingularitas. Cætera conſtant, & maior ſuadetur, tum quia ſpecies immediate productæ ab intellectu agente ſunt omnino connaturales, & proportionatæ noſtro intellectui in ordine repræſentatiuo: ſed non ſtat hæc connaturalitas, & proportio intra ordinem repræſentatiuum, niſi repræſentent formaliter, & directe obiectum proportionatum, & connaturale noſtri intellectus, vt ex terminis conſtare videtur: ergo illud repræſentant formaliter, & directe; alia vero indirecte, ac virtualiter. Tum etiam quia ſpecies intelligibiles, quæ immediate producuntur ab intellectu agente, ſunt primæ formæ intellectus poſſibilis in linea repræſentatiua: ergo debent repræſentare obiectum per ſe primum, & connaturale, quod ab intellectu reſpicitur, vt ſic detur debita proportio inter formam & potentiam: hoc autem obiectum non ſunt ſingularia, ſed quidditas ab illis præciſa, vt conſtat ex dictis loco citato: ergo prædictæ ſpecies non repræſentant directè, & formaliter ſingularia, ſed naturam in communi.

Confirmatur: nam phantaſma concurrit per modum inſtrumenti ad productionem ſpecierum intelligibilium, quæ immediate fiunt ab intellectu agente, vt *infra diſp.* 19. *quæſt.* 2. oſtendemus: ergo phantaſma habet aliquid, per quod præuiè concurrat ad actionem principalem intellectus agentis, iuxta ea, quæ diximus *in lib. Phyſic. diſp.* 12. *qu.* 2. ſed hæc virtus, ſeu ratio agẽdi ſe tenens ex parte phantaſmatis, nequit eſſe ſingularitas naturæ repræſentatæ; bene autem ipſa natura, quatenus ex ſe à ſingularitate præſcindit: ergo id, quod è phantaſmate aſſumitur, & debet elucere in ſpecie, non eſt ſingularitas: ſed quidditas à ſingularitate præciſa. Hæc conſequentia conſtat: nam hoc ipſo, quod ſingularitas non ſe habeat vt ratio agendi in productione ſpeciei intelligibilis, ſed tantum concomitanter, & materialiter; non oportet, quod aſſumatur, & reluceat in ſpecie. Minor vero ſuadetur: quoniam vt phantaſma valeat vtcumque virtute propria agere

præuiè

præuiè in intellectum ; debet illi, quoad fieri potest proportionari: sed major proportio est inter intellectum, & naturam relucentem in phantasmate, quatenus ex se præscindit à singularitate ; quàm inter eundem intellectum, & singularitatem, seu naturam singularitati concretam : nam sicut intellectus noster pro hoc statu partim est in materia, & partim extra materiam; ita quidditas materialis præscindés à singularitate quodammodo est in materia, & quodammodo extra illam : quidditas vero materialis vt concernens singùlaritatem nullo modo præscindit à materia : ergo ratio per quam phantasma proportionatur ad agendum præuiè in intellectum possibilem, non est singularitas rei repræsentatæ ; sed quidditas, vt, quantum est de se, præscindit à singularibus. Et quamvis nonnulla se se offerant contra hanc causalitatem, quam phantasmati attribuimus, facile diluentur loco supra citato, vbi commodius eis occurremus.

34 Ex dictis sequitur non repugnare, quod species intelligibiles productæ ab intellectu possibili, & relictæ ex priori intellectione, repræsentet formaliter, & quasi directè singularia. Nam quæ hactenus adduximus ad conuincendum repugnare id genus repræsentationis speciebus immediate productis ab intellectu agente ; id minime euincunt de speciebus immediatè productis ab intellectu possibili. Tùm etiam quia D. Thom. loquitur de speciebus primi generis, non vero de speciebus alijs, vt liquet ex ipso textu. Tùm etiam quia inter has, & illas datur manifesta disparitas: illæ enim, sicut sunt primæ formæ intellectus, ita debent repræsentare eius obiectum primò proportionatum pro hoc statu, quod est quidditas materialis à singularibus præcisa : istæ vero relinquuntur ex priori intellectione, quæ potest se extendere saltem indirecte ad obiectum secundarium, & ideo valent, & illud, & singularia repræsentare formaliter, & quasi directe. Diximus, *quasi directe* : nam repræsentatio absolute, & simpliciter directa non supponit per se cognitionem indirectam obiecti repræsentati : huiusmodi autem species supponunt per se cognitionem indirectam singularium medijs speciebus ab intellectu agente productis : & ideo non repræsentant singularia omnino directè, sed quasi directe.

§. II.

Satisfit argumentis opinionis aduersæ.

35 COntrariam nostræ conclusioni sententiam defendunt Scotus *in quarta distinct. 45. quæstion. 3.* Durand. *in secunda distinct. quæst. 7.* Gregor. *in 1. d. 3. qu. 1. art. 2.* & alij Nominales, quibus subscribunt Suar. *disp. 6. Metaph. sect. 6.* Rub. *in præf. tract. de intellect. possib. quæstion. 1.* & plures ex recentioribus extra scholam D. Th. Quod potest probari primo: quia nulla est repugnantia in eo,

quod ſpecies immediatè producta ab intellectu agente repræſentet formaliter, & directe ſingularia: ſed natura agit, quod poteſt, ſeu non repugnat: ergo dantur ſpecies intelligibiles immediatè productæ ab intellectu agente, quæ formaliter, & directe repræſentent ſingularia. Major ſuadetur: quia talis modus repræſentationis non repugnat ex eo, quod ſit rei ſingularis; cùm certum ſit poſſe ſpeciem intelligibilem repræſentare rem ſingularem, vt patet in ſpecie, qua Michaël Angelus cognoſcit Gabrielem: nec repugnat ex eo, quod ſit rei materialis; ſiquidem obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt aliquid materiale: nec denique repugnat ex parte vtriuſque; cùm de facto habeamus aliquas ſpecies repræſentantes formaliter ſingularia, vt admiſimus *num.* 31. & etiam detur verbum, ſeu ſpecies expreſſa, quæ repræſentet directe ſingularia, quando iſtud actu cognoſcitur: ergo nulla eſt repugnantia in eo, quod ſpecies intelligibilis immediatè producta ab intellectu agente repræſentet formaliter, & directe ſingularia.

Reſpondetur negando majorem: ad cuius probationem conſtat prædictam repugnantiam oriri ex eo, quod ſpecies producta ab intellectu agente debet repræſentare obiectum primario proportionatum noſtro intellectui, quod non eſt aliud, quam quidditas materialis à ſingularitate præciſa: & inſuper ex eo quod prædicta ſpecies producta ab intellectu agente attingitur etiam effectiuè à phantaſmate, non quatenus hoc concernit ſingularitatem in eſſe repræſentatiuo; ſed potius quatenus repræſentat naturam, quæ, quantum eſt de ſe à ſingularitate præſcindit. Quæ rationes, cùm non militent in ſpeciebus Angelorum, neque in illis, quæ relinquuntur ex præcedenti cognitione; mirum non eſt, quod prædictæ ſpecies poſſint formaliter, & directè repræſentare ſingularia. Species autem expreſſa ſingularis fit per cognitionem ſingularis ſupponẽtem cognitionem directam quidditatis à ſingularitate præciſæ: & ideo poteſt repræſentare ſingulare formaliter, & quaſi directe: quia commenſuratur cognitioni per quam fit.

36 Arguitur ſecundo: nam ad productionem ſpeciei intelligibilis concurrunt intellectus agens per modum cauſæ vniuerſalis, & phantaſma per modum cauſæ particularis: ſed effectus ſequitur conditionem cauſæ particularis: ergo cùm phantaſma repræſentet formaliter, ac directe ſingulare materiale; ſequitur, quod ſpecies intelligibilis debeat ipſum eodem modo repræſentare. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: nam cùm ratio agendi ſe tenens ex parte phantaſmatis in eſſe repræſentatiuo non ſit ſingularitas; ſed quidditas materialis, quatenus ex ſe à ſingularitate præſcindit: fit vt licet ſpecies ſequatur naturam phantaſmatis, nihilominus non repræſentet formaliter, & directe ſingularitatem; ſed quidditatem materialem à ſingularitate abſtractam: effectus enim ſequitur conditionem cauſæ particularis in

ijs, quæ se habent per se in causa comparatiue ad effectum.

37 Arguitur tertio: quia potentiæ superiores possunt, quod inferiores, & adhuc amplius, vt patet in sensu communi, qui recipit speciem rei visibilis, sicut potentia visiua, & insuper alias species: sed intellectus est potentia superior ad sensum, qui recipit species repræsentantes formaliter singularia: ergo intellectus potest recipere prædictas species, & insuper alias, quæ repræsentent vniuersalia.

Respondetur negando consequẽtiam intellectam de speciebus immediatè productis ab intellectu agente: nam potentia superior potest, quidquid potest inferior; seclusis tamen imperfectionibus propriis potentiæ inferioris, & quæ superiori repugnant. Quod autem primæ formæ potentiæ cognoscitiuæ formaliter, & primario repræsentent singularia, est proprium potentiæ sensitiuæ, & repugnat nostro intellectui ob ea, quæ supra diximus. Et ideo quamvis intellectus noster habeat species tùm vniuersalium, tùm singularium in quo plurimum præeminet sensui; attamen species singularium non sunt primæ formæ intentionales, quæ ab intellectu agente producuntur; sed fiunt ab intellectu possibili, supposita cognitione quidditatum in communi.

38 Arguitur quarto: quia nequit haberi cognitio directa alicuius obiecti, nisi per speciem, quæ ipsum directè repræsentet: sed intellectus noster potest pro hoc statu cognoscere directe singularia: neque enim id repugnat ex capite perfectionis obiecti, cum sensus ea directè cognoscat, neque ex capite imperfectionis, cum Angelus illa directe attingat: ergo intellectus noster habet pro hoc statu species intelligibiles repræsentantes directè & formaliter singularia.

Respondetur negando minorem, si intelligatur de cognitione absolute, & simpliciter directa, & quæ per se non supponat cognitionem virtualem, ac indirectam eiusdem obiecti: repugnat enim quod intellectus noster pro hoc statu cognoscat ita directe singularia. Cuius repugnantiæ radicem jam supra diximus: nam qua parte intellectus noster est imperfectior angelico, non petit species per se infusas; sed eas comparat interuentu sensuum, & ministerio phantasmatum: & qua parte est perfectior sensu, petit pati à phantasmatibus immateriali modo, proindeque postulat quod phantasmata non agant in esse repræsentatiuo ratione singularitatis; sed ratione naturæ, quæ quodammodo à singularitate præscindit: ita enim adest maior proportio inter phantasmata, & intellectum in ratione agentium, & patientis. Vnde species facta interuentu, ac ministerio immediato phantasmatum nequit repræsentare formaliter, & directe nisi quidditatem à singularitate præcisam; ipsam vero singularitatem repræsentat virtualiter. Potest tamen intellectus fœcundatus prædictis speciebus producere alias, quæ per se primo repræsentent singularia, & per quas ipsa singularia quasi directè cognoscat. Nunquam autem

autem hæc cognitio eſt ſimpliciter directa ; cùm per ſe ſupponat aliam cognitionem virtualem, & indirectam eorumdem ſingularium.

39 Arguitur vltimo : nam ſi ſpecies producta ab intellectu agente repræſentaret ſolam quidditatem abſtractam à ſingularibus ; non poſſemus cognoſcere diſtincte & expreſsè ſingularia : conſequens eſt abſurdum ; cùm intellectus euidenter cognoſcat Petrum eſſe hominem, & Petrum non eſſe Paulum, quod abſque horum ſingularium expreſſa, & diſtincta notitia fieri non valet : ergo ſpecies producta ab intellectu agente repræſentat non ſolùm quidditatem, ſed etiam ſingularia. Sequela oſtenditur : quia modus cognoſcendi attemperatur, & commenſuratur modo quo ſpecies repræſentant : ergo ſi ex ſolùm repræſentant quidditatem ; & vel à ſingularibus penitus abſtrahunt, vel illa repræſentant præciſe in confuſo, quatenus continentur in potentia in quidditate expreſsè repræſentata ; ſequitur intellectum noſtrum non poſſe cognoſcere diſtincte, & expreſsè ſingularia.

Reſpondetur concedendo ſequelam intellectam de cognitione diſtincta, & expreſſa ſingularium, quæ ſimul ſit omnino directa : quod præcisè euincit probatio. Neganda vero eſt, ſi intelligatur de cognitione diſtincta, & expreſſa, quæ ſolùm ſit reflexa, aut directa ſecundum quid : nam licet ſpecies producta ab intellectu agente ſolum in confuſo, & virtualiter repræſentet ſingularia ; aliunde tamen eorum cognitio expreſſa, & diſtincta haberi valet. Cùm enim intellectus noſter ſit reflexiuus, & diſcurſiuus ; poteſt poſt notitiam quidditatis in communi, quam ei repræſentat ſpecies ab intellectu agente producta, regredi ſupra actum, ſpeciem, & obiectum, & aduertere ad ſingularia, à quibus quidditas abſtracta eſt in eſſe repræſentatiuo, & quæ reipſa concernit in eſſe entis. Vnde valet producere ſpeciem expreſſam in qua ſingulare diſtincte, & expreſſe cognoſcat : ex qua cognitione relinquitur etiam ſpecies impreſſa, quæ ſingulare per ſe primo, & quaſi directe repræſentat. Ad hæc tamen præſtanda indiget intellectus concurſu imaginatiuæ, & cogitatiuæ, quarum eſt ſingularia omnino directe cognoſcere.

DISPVTATIO XVIII.

De vnitate intellectus posibilis.

QVÆ de obiecto nostri intellectus, & de speciebus intelligibilibus diximus, non parùm conferunt ad cognoscendam eiusdem intellectus naturam. Pro qua perfectius comparanda, videndum est, an intellectus sit vnicus, an multiplex: quod in præsenti disputatione præstare curabimus.

QVÆSTIO I.

An in parte intellectiua detur memoria, & an distinguatur ab intellectu.

PLura sunt munera, quæ solent attribui memoriæ: primum retinere species: secundum recordari præcedentis cognitionis: & tertium cognoscere obiectum, vt præteritum. Vnde vt majori luce quæstionem absoluamus, eam per diuersas assertiones decidemus.

§. vnicus.

Resolutio difficultatis juxta mentem D. Thom.

1 DIcendum est primo in parte intellectiua dari memoriam quoad munus retinendi species intentionales. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 8. D. Thom. 1. *parte quæst.* 79. *art.* 6. *in corpore*, vbi relata contraria opinione Auicennæ, addit: *Sed hæc opinio manifestè repugnat dictis Aristot. in* 3. *de Anima text.* 8. & post pauca, *Repugnat etiam prædicta positio rationi. Quod enim recipitur in aliquo recipitur in eo secundum modum recipientis: Intellectus autem est magis stabilis naturæ, & immobilis, quam materia corporalis. Si ergo materia corporalis*

formas, quas recipit, non solùm tenet, dùm per eas agit in actu; sed etiam postquam agere cessauerit; multo fortius intellectus immobiliter, & inamissibiliter recipit species intelligibiles, siue à sensibilibus acceptas, siue etiam ab aliquo superiori intellectu efflluxas. Sic igitur si memoria accipiatur solum pro vi conseruatiua specierum, oportet dicere memoriam esse in intellectiua parte. Quæ ratio est adeo perspicua, vt non oporteat aliquid vlterius adijcere.

2 Sed aduersus hanc conclusionem oppones *primo:* nam secundum August. 12. *de Trinit. cap.* 8. ad partem intellectiuam pertinent, quæ non sunt hominibus, pecoribusque communia: sed memoria quoad munus conseruandi species reperitur in pecoribus, vt constat ex supra dictis *disp.* 14. *qu.* 4. ergo quoad prædictum munus non inuenitur in parte intellectiua. *Secundo:* quia intellectus noster nequit pro hoc statu intelligere, nisi se conuertat ad phantasmata: sed hoc ipso, quod se ad phantasmata conuertat, recipit species, per quas valeat intelligere: ergo non est necessarium, quod retineat species. Sicut quia potentia visiua nequit videre nisi obiectum præsens; & hoc ipso, quod sit præsens, potest ab illo denuo immutari: ideo non est necessarium, quod potentia visiua retineat species visibiles.

Ad primam obiectionem respondet D. Thom. *loco supra cit. in solut. ad* 1. his verbis: *Memoria secundum quod est conseruatiua specierum, non est nobis, pecoribusque communis: species enim conseruantur non in parte animæ sensitiuæ tantum, sed magis in conjuncto, cùm vis memoratiua sit actus organi cuiusdam: sed intellectus secundum se ipsum est conseruatiuus specierum præter concomitantiam organi corporalis.* ¶ Ad secundam neganda est minor: quia non per quamcumque conuersionem intellectus recipit speciem à phantasmatibus. Quando enim præhabet speciem obiecti, ex hoc ipso impeditur recipere denuo illam: sicut lignum calidum vt quatuor nequit recipere calorem, vt quatuor, quantumvis se conuertat ad ignem. Porrò intellectum retinere species, & frustraneum quantum ad hoc esse recursum ad phantasmata persuadet ipsa natura rerum; cùm species intelligibilis sit spiritualis, & recipiatur in subiecto spirituali, quod minus obnoxium est corruptioni, quam plures sensus interni, qui species retinent etiam in absentia obiecti. Per quod euanescit exemplum potentiæ visiuæ: hæc enim ratione suæ imperfectionis non habet sufficientes dispositiones ad recipiendum immobiliter species intentionales: & ideo petit eas actu recipere, cùm actu videt. Quæ ratio non militat in intellectu, vt constat tùm ex se, tùm exemplo aliquorum sensuum internorum, qui species retinent.

3 Dicendum est secundo in parte intellectiua dari memoriam quoad munus attingendi obiectum, vt prius cognitum, siue quoad munus attingendi præteritam cognitionem. Vtramque assertionis partem docet D. Thom. *loc. supr. cit. in corpore, & ad* 2. vbi vnam, & alteram probat hoc discursu:

discursu: *Dicendum quod præteritio potest ad duo referri, scilicet ad obiectum, quod cognoscitur, & ad cognitionis actum. Quæ quidem duo simul conjunguntur in parte sensitiua, quæ est apprehensiua alicuius per hoc, quod immutatur à præsenti sensibili. Vnde simul animal memoratur se prius sensisse in præterito, & se sensisse, quoddam præteritum sensibile. Sed quantum ad partem intellectiuam pertinet præteritio accidit, & non per se conuenit ex parte obiecti intellectus. Intelligit enim intellectus hominem, in quantum est homo. Homini autem in quantum est homo, accidit, vel in præsenti, vel in præterito, vel in futuro esse. Ex parte vero actus præteritio per se accipi potest etiam in intellectu, sicut in sensu: quia intelligere animæ nostræ est quidam particularis actus in hoc vel in illo tempore existens: secundum quod homo dicitur intelligere nunc, vel heri, vel cras. Et hoc non repugnat intellectualitati: quia huiusmodi intelligere, quamvis sit quoddam particulare, tamen est immaterialis actus, vt supra de intellectu dictum est quæst. 75. art. 2. Et ideo sicut intelligit se ipsum intellectus, quamvis ipse sit quidam singularis intellectus: ita intelligit suum intelligere, quod est singularis actus vel in præterito vel in præsenti, vel in futuro existens. Sic igitur saluatur ratio memoriæ; quantum ad hoc, quod est præteritorum in intellectu, secundum quod intelligit se prius intellexisse; non autem secundum quod intelligit præteritum, prout est hic, & nunc.* Hæc D. Thomas.

4 Obijcies: eatenus potest intellectus cognoscere obiectum vt præteritum in esse cogniti, quatenus potest secundario, & reflexe attingere suam cognitionem tanquam quoddam singulare, quod præterijt: sed hoc pacto potest etiam attingere quæcunque obiecta singularia, vt ex seliquet: ergo sicut potest cognoscere obiecta vt præterita in esse cogniti, valet etiam illa cognoscere vt præterita in esse rei: & consequenter non subsistit discrimen à D. Thoma assignatum.

Respondetur negando consequẽtiam: & ratio disparitatis est, quod cognitio, quantumvis attingat obiectum primarium intellectus, est quidam actus singularis, qui potest præterire: ac proinde obiectum primarium intellectus sub denominatione cogniti valet esse præteritum, & sub hac ratione attingi. Cæterum si idemmet obiectum primarium consideretur in esse entis, nequit præterire, eò quod est vniuersale, & vniuersalia sunt negatiue æterna, abstrahuntque ab hic, & nunc. Vnde intellectus potest attingere suum obiectum primarium vt præteritum in esse cogniti; minime vero vt præteritum in esse rei. Quod autem intellectus attingat singularia, quæ præterierunt etiam in esse rei, parùm refert: nam ratio memoriæ mensuranda est per respectum ad obiectum proportionatum, & primarium: singularia vero pertinent ad obiectum secundarium nostri intellectus pro hoc statu.

5 Si autem inquiras, an attentis omnibus, quæ hactenus diximus admittenda sit in parte intellectiua memoria, quæ dicatur talis cum proprietate? Respondet. Doct. S. q. 10.

de ver. art. 2. his verbis: *Memoria secundum communem vsum loquentium accipitur pro notitia præteritorum. Cognoscere autem præteritum vt præteritum, est eius, cuius est cognoscere præsens, vt præsens, vel nunc vt nunc: hoc autem est sensus. Sicut enim intellectus non cognoscit singulare, vt est hoc; sed secundum communem quandam rationem, vt in quantum est homo, vel albus, vel etiam particulare; non in quantum est hic homo, vel particulare hoc: ita etiam intellectus cognoscit præsens, & præteritum; non in quantum est nunc, & præteritum. Vnde cùm memoria secundum propriam sui acceptionem respiciat ad id, quod est præteritum respectu huius nunc; constat, quod memoria proprie loquendo non est in parte intellectiua, sed sensitiua tantum, vt Philosophus probat.*

6 Dicendum est tertio memoriam, quam admisimus in parte intellectiua, non distingui ab intellectu possibili, Ita Aristot. *in præsenti text.* 7. D. Thom. 1. *part. quæst.* 79. *art.* 7. & 1. *contra Gentes cap.* 74. Fundamentum est: quoniam potentia attingens aliquam rationem communem potest attingere omnia obiecta particularia, quæ sub illa continentur: sed intellectus possibilis attingit ens in tota sua latitudine, sub quo continetur obiectum vt præteritum in esse cogniti: ergo intellectus noster potest attingere obiectum vt præteritum in ratione cogniti: hoc autem est proprium munus memoriæ existentis in parte intellectiua: hæc igitur non distinguitur ab intellectu possibili. Et confirmatur: quia intellectus possibilis potest conseruare species intelligibiles, quod est aliud munus memoriæ.

Obijcies *primo*: Augustin. 10. *de Trin. c.* 22. ponit in mente tria, nempe memoriam, intellectum, & voluntatem: ergo sicut memoria realiter distinguitur à voluntate, ita etiam ab intellectu. *Secundò*: ideo in parte sensitiua memoria differt ab alijs sensibus, quia illa attingit obiectum vt præteritum, isti vero respiciunt sua obiecta sub alia diuersa ratione: sed etiam in parte intellectiua memoria attingit suum obiectum vt præteritum, saltem in esse cogniti; intellectus autem respicit suum obiectum sub alia ratione longe diuersa; ergo memoria partis intellectiuæ distinguitur realiter ab intellectu.

Primam obiectionẽ diluit D. Th. *loc. cit. ex* 1. *p. in solut. ad* 1. dicens: *Ista tria non accipit Aug. pro tribus potentijs Sed memoriam accipit pro habituali animæ retentione: intelligentiam autem pro actu intellectus; voluntatem autem pro actu voluntatis.* ¶ Ad secundã negatur consequentia: & ratio disparitatis est, quod memoria sensitiua attingit obiectum vt præteritum; ita, quod hæc sit ratio formalis terminandi, & memoriæ tribuat speciem: vnde oportet, quod memoria sensitiua sit specialis potẽtia ab alijs sensibus differẽs. Cæterum memoria partis intellectiuæ ita attingit obiectum quatenus præteritum in esse cogniti, vt tamen hæc non sit ratio formalis terminandi; sed ratio vniuersalissima entis, sub qua intellectus respicit

respicit suum obiectum: & ideo memoria partis intellectiuæ nequit ab intellectu distingui.

QVÆSTIO II.

Vtrum intellectus practicus, & speculatiuus, & ratio superior, & inferior distinguantur realiter?

HÆc specialiter commemoramus in præsenti: quia de ipsis poterat esse aliqualis difficultas, cum vnitatem intellectus inuestigamus. Pro intelligentia vero terminorum animaduertendum est intellectum speculatiuum esse, qui considerat verum sistendo in eo, & absque respectu ad opus: practicum vero esse, qui verum cognitum ad operationem ordinat. Ratio autem superior secundum Augustin. 12. *de Trinit.* *est quæ intendit rebus æternis conspiciendis, & consulendis:* inferior vero, *quæ intendit rebus temporalibus.* De his ergo quæritur an distinguantur realiter inter se, & ab intellectu possibili.

§. vnicus.

Respondetur quæsito duabus assertionibus.

8 DIcendum est primo intellectum practicum, & speculatiuum esse eandem realiter potentiam, nempe intellectum possibilem. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 7. D. Th. 1. *p. quæst.* 79. *art.* 11. *& qu.* 3. *de verit. art.* 3. *& alibi* sæpe. Probat autem S. Doct. *loc. cit. ex* 1. *p.* hanc conclusionem dupliciter, primo in argumento *sed contra* his verbis: *Sed contra est, quod dicitur* 3. *de anima quod intellectus speculatiuus per extensionem fit practicus: vna autem potentia non mutatur in aliam: ergo intellectus speculatiuus, & practicus non sunt diuersæ potentiæ.* Secundo in corpore arguit: *Quod accidentaliter se habet ad obiecti rationem, quam respicit aliqua potentia, non diuersificat potentiam. Accidit enim colorato, quod sit homo, aut magnum, aut paruum: vnde omnia huiusmodi eadem visiua potentia apprehenduntur. Accidit autem apprehenso per intellectum, quod ordinetur ad opus vel non ordinetur. Secundum hoc autem differunt intellectus speculatiuus, & practicus: nam intellectus speculatiuus est, qui quod apprehendit non ordinat ad opus; sed ad solam veritatis considerationem: practicus vero intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit ordinat ad opus.* Vnde velut per se notum relinquitur, quod vnus, & idem intellectus potest vtramque rationem attingere, ac proinde simul esse speculatiuus, & practicus.

9 Obijcies: diuersa ratio obiecti diuersificat potentiam: sed obiectum intellectus speculatiui est verum speculabile, quatenus tale; obiectum vero intellectus practici est vel potius bonum operabile, quatenus tale: quæ duo satis distinguuntur: ergo refundunt distinctionem realem in potentias, à quibus respiciuntur. ¶ Hæc

tamen obiectio eneruata manet ex dictis à D. Thom. quia sola ratio formalis obiectiua adæquata, & per se inspecta diuersificare valet potentias: ratio autem formalis, & per se inspecta à quocumque intellectu est ratio entis, aut veri in tota sua latitudine; cui alias accidit ordinari, vel non ordinari ad opus: & ideo hæc diuersitas ordinationis accidentaria est, & inepta, vt petat attingi per intellectus realiter distinctos: sed sicut verum ordinatum, & non ordinatum ad opus participat rationem veri vt sic, ita petit attingi per eundem intellectum.

10 Dicendum est secundo rationem superiorem, & inferiorem non esse diuersas potentias, sed vnicam, nempe intellectum possibilem. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 9. & 1.2. *qu.* 74. *art.* 7. Probatur ratione S. Doct. quoniam vna, & eadem potentia potest attingere medium, & id, quod attingitur per medium, vt patet in intellectu cognoscente præmissas, & conclusionem: sed temporale, & æternum ita se habent, quod vnum est medium ad cognoscendum aliud: ergo possunt attingi per eandem potentiam, quæ prout respicit temporalia, dicitur ratio inferior; & quatenus attingit æterna, appellatur ratio superior. Cætera constant, & minorem docet, & probat D. Thom. *loc. cit. ex* 1. *p.* his verbis: *Hæc duo scilicet temporalia, & æterna comparantur ad cognitionem nostram hoc modo: quod vnum eorum est medium ad cognoscendum alterum: nam secundum viam intentionis per res temporales in cognitionem deuenimus æternorum, secundum illud Apost. ad Rom.* 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. In via vero iudicij per æterna jam cognita de temporalibus iudicamus, & secundum rationes æternorum temporalia disponimus.*

11 Sed obijcies *primo*: nihil oritur à se ipso: sed ratio inferior oritur à superiori, & per eam regulatur: ergo distinguitur ab illa. *Secundo*: scientificum idem est, ac pars superior, quæ attingit æterna, seu necessaria: opinatiuum vero idem est, ac pars inferior quæ versatur circa temporalia, seu contingentia: atqui scientificum, & opinatiuum sunt principia realiter distincta, vt docet Aristot. 6. Æthic. *cap.* 1. ergo pars superior, & inferior realiter distinguuntur.

Ad primam obiectionem respondet D. Thom. *in solut.* 2. *quod ratio inferior dicitur à superiori deduci, vel ab ea regulari, in quantum principia, quibus vtitur inferior ratio, deducuntur, & diriguntur à principiis superioris ordinis.* Eadem autē potentia valet vti vtrisque principiis. ¶ Secundum diluit *in solut. ad* 3. his verbis: *Dicendum, quod scientificum, de quo Philosophus loquitur, non est idem, quod ratio superior: nam necessaria scibilia inueniuntur etiam in rebus temporalibus, de quibus est scientia naturalis, & mathematica. Opinatiuum autem, & ratiocinatiuum in minus est, quam ratio inferior: quia est contingentium tantum. Nec tamen est simpliciter dicendum, quod sit alia potentia, qua intellectus cognoscit necessaria, & alia, qua cognoscit contingentia: quia vtraque cognoscit secundum eandem rationem*

nem obiecti, scilicet secundum rationem entis, & veri. Cum ergo Arist. docet scientificum, & opinatiuum distingui; non de potentiis, sed de habitibus exponendus est: nam respectu habituum ob maiorem eorum limitationem possunt rationes necessarij, & contingentis esse formales, & adæquatæ; licet sint materiales, & inadæquatæ respectu potentiæ.

DISPVTATIO XIX.

De intellectu agente.

POSTQVAM explicuit Aristot. naturam intellectus possibilis, incepit disputare de agente, vt ita haberetur perfecta notitia potentiarum, quæ ad partem intellectiuam spectant. Quod vt assequamur, sequentem aperuimus disputationem.

QVÆSTIO I.

An detur intellectus agens, & distinguatur realiter à possibili?

VTtramque difficultatem sub eadem quæstione coniungimus, quia vnius decisio viam ad alteram parat: claritatis tamen gratia vnamquamque singillatim resoluemus.

§. I.

Respondetur primæ quæstionis parti.

1 DIcendum est primo dari intellectum agentem. Sic docet Aristot. *in hoc lib. text.* 17. D. Thom. *ibid. lect.* 10. *& 1. p. qu.* 54. *art.* 4. *& quæst.* 79. *art.* 3. *& 2. cont. Gent. cap.* 76. *& alibi* sæpe. Quos sequuntur communiter Theologi, & Philosophi contra Durand. *in 1. dist.* 3. *p.* 2. *quæst.* 5. Fundamentum est: quoniam in quocumque genere, in quo datur potentia passiua, debet dari potentia actiua, quæ passiuam

passiuam reducat ad actum : sed intellectus noster possibilis est potentia passiua ad recipiendas species intentionales, estque à principio in pura potentia ad illas, & tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum : ergo debet dari alia potentia actiua, quæ ipsum reducat ad actum habendi species, & hanc vocamus intellectum agentem. Quæ est ratio Aristot. & D. Thom. *loc. supra cit.* ¶ Confirmatur ex eodem S. Doct. 1. *p. q.* 79. *art.* 3. vbi inquit: *Formæ in materia existentes, quas intelligimus, non sunt intelligibiles actu: nihil autem reducitur de potentia in actum, nisi per aliquod ens actu: sicut sensus fit in actu per sensibile in actu: oportet igitur ponere aliquam virtutem ex parte intellectus, quæ faciat intelligibilia in actu per abstractionem specierum à conditionibus indiuiduantibus. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem.*

2 Sed obijcies *primo*: nam intellectus Angelicus est aliquando in actu, & aliquando in potentia: & tamen non est necesse ponere in Angelo intellectum agentem, vt docet D. Thom. 1. *p. quæst.* 54. *art.* 4. ergo ex eo, quod intellectus noster sit aliquando in potentia, non infertur dari in anima nostra intellectum agentem. *Secundò*: quia species sensibiles excedunt in immaterialitate obiecta sensibilia, & propterea obiecta fiunt sensibilia in actu per species: ergo vel ratio D. Th. non euincit necessitatem intellectus agentis, vel adstruit indigentiam sensus agentis, siue producentis species, quod est absurdum. *Tertio*: quoniam sequitur ex dictis ad cognitionem saltem rerum spiritualium non esse necessariam operationem intellectus agentis: spiritualia enim sunt secundum se intelligibilia in actu: & ideo superfluit intellectus, qui illa à materialitate depuret.

Ad primam obiectionem respondemus negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod licet intellectus angelicus sit in potentia respectu cognitionis aliquorum obiectorum, eorum videlicet, quæ actu non cognoscit: nihilominus est semper in actu respectu specierum omnium obiectorum, quæ potest naturaliter cognoscere: debetur enim Angelo ob suam perfectionem, quod illi infundantur prædictæ species à principio suæ creationis: & propterea non indiget intellectu agente, cuius industria comparet species. Anima autem nostra ob suam imperfectionem petit esse à principio nudam ab omnibus speciebus, & illas acquirere sensuum ministerio: quod in causa est, vt corpori postulet vniri. Porrò species, quæ per sensus acquiruntur, omnes sunt materiales, vtpote ab obiectis corporeis immissæ. Vnde opus est ponere in anima nostra quandam potentiam actiuam, cuius sit ex speciebus sensibilibus alias species spirituales, & intelligibiles in actu producere, ac per earum impressionem constituere intellectum possibilem in actu primo proximo ad intelligendum: & hæc potentia dicitur intellectus agens.

Secundam obiectionem diluit D. Thom. *quæst. vnic. de anima art.* 4. ad

ad 5. his verbis *Dicendum, quod sensibile cum sit quoddam particulare, non imprimit, neque in sensum neque in medium species alterius generis; cum species in medio, & in sensu non sit nisi particularis. Intellectus autem possibilis recipit species alterius generis, quam sint in imaginatione; cum intellectus possibilis recipiat species vniuersales, & imaginatio non contineat nisi particulares. Et ideo in intelligibilibus indigemus intellectu agente, non autem in sensibilibus alia potentia actiua.* Majorem autem illam immaterialitatem, quam habent species sensibiles, sufficienter producunt ipsa obiecta; non quidem virtute propria, sed virtute substantiarum separatarum iuxta ea, quæ *supra* diximus *disp.* 17. *quæst.* 5. ¶ Tertia obiectio nihil concludit: quia intellectus noster pro hoc statu, nequit cognoscere spiritualia nisi per species rerum sensibilium: quæ vt depurentur simpliciter à materia, necessaria est intellectus agentis operatio.

§. II.

Deciditur secunda difficultas.

3 DIcendum est secundo intellectum agentem esse potentiam realiter distinctam ab intellectu possibili. Hanc conclusionem docent Aristot. *in præs. text.* 18. & 19. D. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 7. & 10. & *lib.* 2. *contra Gent. cap.* 77. & 78. & *opus.* 3. *cap.* 87. & 88. Vnde hanc sententiam amplectuntur communiter Thomistæ. Idem etiam tuentur B. Albert. *in summa de homine tract. de intellectu agente*, Scotus *in* 1. *d.* 3. *qu.* 8. *ad* 1. Valentia 1. *p. disp.* 5 *q.* 5. *punct.* 2. Toler. Conimbr. Rubius, & alij plures.

Probatur ratione: quoniam potentiæ habentes obiecta formaliter distincta, & actus realiter diuersos nequeunt non realiter distingui, vt constat ex dictis *disp.* 6. *quæst.* 1. sed intellectus agens, & intellectus possibilis habent obiecta formaliter diuersa, & actus realiter distinctos: ergo distinguuntur realiter. Suadetur minor: quoniam obiectum formale intellectus agentis est obiectum, quod ex intelligibili in potentia faciendum est intelligibile in actu; obiectum vero intellectus possibilis est idem obiectum vt factum intelligibile in actu; inter quæ certum est interuenire distinctionem formalem. Similiter actus proprius intellectus agentis est producere speciem intelligibilem per abstractionem à phantasmatibus; actus vero intellectus possibilis est intelligere: qui actus nequeunt non realiter distingui; cum vnus sit prior realiter alio.

Confirmatur primo: quia repugnat vnam, & eandem potentiam esse simul in actu, & in potentia respectu eiusdem, vt ostendimus *in lib. Physic. disp.* 26. *quæst.* 1. sed intellectus agens est in actu respectu speciei intelligibilis, quam producit; cum vnumquodque agat, secundum quod est in actu: intellectus autem possibilis est in potentia ad eandem speciem, quam recipit; siquidem vnumquodque recipit, secundum quod

quod est in potentia: ergo intellectus agens, & possibilis nequeunt esse vna, & eadem potentia, sed differunt realiter. Euasiones autem, quibus posset hæc confirmatio eneruari, præclusæ manent loco citato.

Confirmatur secundo: nam ideo materia prima nequit se in ordine naturali reducere de potentia ad actum, quia est pura potentia in prædicto ordine, & ideo petit reduci per agens à se realiter distinctum: atqui intellectus noster possibilis non est vtcumque in potentia; sed est pura potentia in linea intelligibili, cum nullam habeat ex se formam, siue speciem in prædicto ordine: ergo intellectus possibilis nequit se reducere ad actum habendi species: ergo est necessarius intellectus agens realiter diuersus, qui possibilem ad actum specierum reducat.

§. III.

Diluuntur argumenta contra secundam conclusionem.

4 INtellectum agentem, & possibilem esse vnam, & eandem realiter potentiam defendunt Abulens. *Exod.* 23. *qu.* 70. Maior. *in* 2. *d.* 16. *qu. vnic.* Suar. *tract.* 3. *lib.* 4. *cap.* 8. & alij. Pro qua sententia arguitur primo: quia repugnat dari intellectum, qui non intelligat, sicut & sensum, qui non sentiat: ergo si datur intellectus agens, debet intelligere: sed hoc ipso, debet recipere, & habere in se species intelligibiles, quod est proprium munus intellectus possibilis: ergo intellectus agens non differt realiter à possibili.

Confirmatur primo: nam repugnat dari in homine duplex intelligere adæquatum: sed si darentur duo intellectus realiter distincti; daretur etiam duplex intelligere adæquatum; cum intelligere sit proprius, & adæquatus actus potentiæ intellectiuæ: ergo intellectus agens, & possibilis non sunt duo intellectus realiter diuersi. ¶ Confirmatur secundo: quia repugnat dari intellectum, qui non sit potentia vitalis: at intellectus agens, si distingueretur à possibili, non esset potentia vitalis; siquidem non operaretur per actionem immanentem in ipso, quod est proprium viuentium; sed per actionem transeuntem, qua produceret speciem in intellectu possibili: ergo intellectus agens non valet à possibili distingui. ¶ Confirmatur tertio: quia si intellectus agens non intelligeret, esset que proinde ipse intellectus possibilis; frustra maneret in anima separata; siquidem in prædicto statu non posset exercere operationem abstrahendi species, nec aliam: & frustra ponitur potentia, vbi nullam potest exercere operationem: consequens autem est absurdum: ergo &c.

Respondetur ad argumentum negando antecedens: & ad probationem illi insertam dicendum est, ideo repugnare sensum, qui non sentiat, quia sentire est actus adæquatus cuiuscumque sensus, ita vt repugnet dari alium actum, qui sensui correspondeat. Cæterum

intelli

intelligere non est actus adæquatus cuiuscumque intellectus; sed præter intelligere datur alius actus, nempe facere obiecta intelligibilia in actu, pro quo admittendus est intellectus, quem agentem vocamus.

Ad primam confirmationem neganda est minor: cuius probationem diluit D. Thom. *quæst. vnic. de anima art. 4. ad 8.* his verbis: *Dicendum, quod duorum intellectuum, scilicet possibilis, & agentis, sunt duæ actiones: nam actus intellectus possibilis est recipere intelligibilia*, ac proinde intelligere per illa: *actio autem intellectus agentis est abstrahere intelligibilia. Nec tamen sequitur, quod sit duplex intelligere in homine: quia ad vnum intelligere oportet, quod vtraque istarum actionum concurrat.*

Ad secundam negamus minorem: quia vt operatio sit vitalis, sufficit, quod per se petat manere in eodem supposito; ac proinde quod istud moueat se per operationem, vt *supra* diximus *disp. 4. quæst. 1.* Hoc autem conuenit operationi intellectus agentis; cum ab intrinseco petat manere in eodem supposito, & ordinetur ad perfectionem illius: vnde ipse intellectus agens nequit non habere rationem potentiæ vitalis.

Ad tertiam neganda est sequela: quia vt intellectus agens non dicatur esse frustra in anima separata; sufficit, quod debito tempore exercuerit suam operationem: sicut etiam potentia nutritiua non dicitur esse frustra in beatis; licet non exerceat suum actum, quia sufficit illum debito tempore exercuisse.

5 Secundo arguitur: quoniam intellectus humanus medio modo se habet inter sensum, & intellectum angelicum: at sensus nequit in se ipso producere species intentionales, sed eas recipit ab obiecto sensibili; intellectus vero angelicus statim à sua productione habet quasi per emanationem species omnium rerum, quas intelligere potest: ergo intellectus humanus medio modo se gerens nec habet species à principio, sicut intellectus angelicus; nec indiget alio agente, vt eas acquirat, sicut sensus; sed eas comparat decursu temporis per propriam actionem, eritque proinde simul cognoscitiuus, & agens.

Respondetur negando consequentiam: nam intellectus humanus non dicitur medius inter sensum, & intellectum angelicum ob rationem quam argumentum expendit: sed quia intellectus angelicus est omnino extra materiam, & sensus est omnino in materia; intellectus vero humanus partim est in materia, & partim extra illam, vt sæpe in hoc tractatu diximus. Hoc autem ipso, quod aliquo modo sit in materia, petit nullam habere ex se speciem, sed esse à sua conditione in pura potentia ad illas. Et cum nihil possit se ipsum reducere de pura potentia ad actum; necessario admittenda est alia potentia, quæ prædictam reductionem efficiat.

6 Tertio arguitur: quoniam intellectus humanus potest media sua intellectione producere aliquas species intelligibiles, vt supra admi-

ſimus *diſp. 16. quæſt. 6.* ergo etiam poterit producere alias, quæ non fiunt media intellectione, ac proinde omnes, quin neceſſarius ſit alius ſenſus agens. Probatur conſequentia: nam quia Deus continet eminenter ignem poteſt producere calorem tùm medio igne, tùm igne non mediante: ſed intellectus noſter continet eminenter ſuam intellectionem: ergo ſicut media intellectione poteſt producere ſpecies, ita etiam valebit efficere illas, quæ non fiunt media intellectione.

Reſpondetur negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt ſatis manifeſta: nam intellectus reſpectu ſpecierum, quæ fiunt media intellectione, ſupponitur conſtitutus in actu per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus: cæterum ante iſtas ſupponitur in pura potentia: vnde nequit illas in ſe producere; cùm vnumquodque agat in quantum eſt in actu. Deinde reſpectu ſpecierum, quæ fiunt media intellectione, adeſt ſufficiens diſtinctio principiorum, vt intellectus valeat ſimul efficere, & recipere: nam agit vt conſtitutus in actu per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, & patitur ſecundum ſuam entitatem acceptus. Si autem primam ſpeciem, quam recipit efficeret; ſimul, & per ſuam indiuiſibilem entitatem eſſet in actu & potentia reſpectu eiuſdem, quod repugnat. Nec oppoſitum probat exemplum inductum: nam Deus continet immediate; & in actu tàm ignem, quàm calorem: & ideo poteſt vnumquodque immediatè, & ſine alterius interuentu producere. Intellectus autem non continet ſpecies ex præcedenti intellectione relictas, niſi vt conſtitutus in actu primo per alias ſpecies: vnde non valet vllas ſpecies efficere, niſi prius per alias actuetur; quas proinde nequit in ſe cauſare, ſed debet eas aliunde recipere.

7 In fine huius quæſtionis poteſt inquiri an intellectus agens ſit perfectior poſſibili? Cui interrogationi, vt congruenter reſpondeamus animaduertendum eſt intellectum agentem, & poſſibilem poſſe dupliciter conſiderari: primo in ratione agentis, & patientis: ſecundo abſolute, & reſpectu ſuorum obiectorum, & abſtrahendo ab ſtatibus. Si igitur primo modo conſiderentur, dicendum eſt intellectum agentem eſſe perfectiorem poſſibili. Quod ſuadet auctoritas inſimul, & ratio Ariſtot. *in præſenti text. 19.* vbi loquens de intellectu agente inquit: *Semper honorabilius eſt agens patiente, & principium materia.* Quæ verba ſic explicat D. Thom. *ibid. lect. 10. Agens honorabilius eſt patienti, & principium actiuum materia: ſed intellectus agens comparatur ad poſſibilem, ſicut agens ad materiam: ergo intellectus agens eſt nobilior poſſibili.* Idemque alijs locis frequenter repetit S. Doct. Si autem conſiderentur poſteriori modo, aſſerendum eſt intellectum poſſibilem eſſe perfectiorem agente: tùm quia intelligere eſt nobiliſſima omnium operatio: & hæc eſt propria intellectus poſſibilis. Tum etiam quia intellectus poſſibilis habet obiectum abſtractius, & vniuerſalius, nempe ens in tota ſua latitudine, ſub

sub quo ipse Deus clarè visus continetur : obiectum vero intellectus agentis est magis concretum, & minus vniuersale : nam solùm comprehendit intelligibile in potentia, vt faciendum intelligibile in actu, sub quo non continetur Deus clarè visus. Et quia hæc posterior consideratio est principalior ; ideo absolutè loquendo, perfectior est intellectus possibilis, quàm agens.

QVÆSTIO II.

Qualiter phantasma concurrat cum intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis.

PRocedit quæstio circa species intelligibiles, quæ fiunt immediate ab intellectu agente : illæ enim quæ media intellectione fiunt ab intellectu possibili, solùm valent dependere immediate ab intellectu agente, & à phantasmate : quocirca illud genus dependentiæ, quod immediate conuenit speciebus immediatè productis ab intellectu agente, & phantasmate ; cæteris, quæ fiunt immediate ab intellectu possibili, solum conuenit mediate : eò quod fiant medijs speciebus ab intellectu agente, & phantasmate productis. Supponimus autem ex dictis *quæst. præc.* intellectum agentem esse causam principalem specierum, quas primo recipit intellectus possibilis : nec enim assignari potest alia causa, quæ eas proxime, & principaliter producat. Supponimus etiam ad productionem prædictarum specierum requiri aliqualem concursum phantasmatis, siue specierum existentium in sensibus : nam si iste non esset necessarius, intellectus agens produceret à principio omnes species intelligibiles ; cùm habeat rationem agentis naturalis, ac proinde agat, quantum potest, & alias intellectus possibilis sit ex se dispositus ad recipiendas species. Dubitamus autem qualiter phantasma concurrat.

§. I.

Vera Thomistarum sententia eligitur, & probatur.

8 DIcendum est phantasma concurrere ad productionem speciei intelligibilis in genere causæ efficientis non principalis, sed instrumentalis. Hanc conclusionem docet frequenter D. Thom. & præcipue 1. *p. quæst.* 84. *art.* 4. *ad* 1. *& q.* 8. *a.* 1. *ad* 3. *& 3 p. q.* 9. *a.* 4. *ad* 2. *& 2. contra Gent. cap.* 77. *& qu.* 10. *de Verit. art.* 6. *ad* 1. vbi hæc habet : *In receptione, qua intellectus possibilis species recipit à phantasmatibus, se habent phantasmata vt agens instrumentale, & secundarium; intellectus vero agens vt agens principale, & primum. Et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem vtriusque, & non secundum conditionem alterius tantum. Et ideo intellectus possibilis recipit formas vt*

intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis; sed vt similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum. Vnde sic docent communiter Thomistæ Capreol. *in 2. d. 3. qu. 2. ad argum. Durand. contra 8. concluſ.* Caietanus 1. *parte quæstion. 79. art. 3. & 2. parte quæst. 9. art. 4.* Ferrara 2. *contra Gentes cap. 77.* & alij recentiores.

Probatur primò prior aſſertionis pars, nempe phantaſma concurrere in genere cauſæ efficientis ad productionem ſpeciei intelligibilis: quoniam cuiuſcumque rationis repertæ in effectu debet aſſignari aliqua cauſa effectiua proxima: ſed in ſpecie intelligibili reperitur eſſe repræſentatiuum determinatum vt puta eſſe repræſentatiuum hominis, quod non poteſt cauſari à ſolo intellectu agente: ergo deſignanda eſt alia cauſa efficiens proxima: quæ non eſt alia, niſi phantaſma: hoc enim cùm repræſentet naturam, quæ quantum eſt de ſe abſtrahit à ſingularibus, poteſt optime efficere eſſe repræſentatiuum ſpeciei. Minor ſuadetur: quia intellectus agens vel nullo modo continet eſſe repræſentatiuum ſpecierum; cùm non ſit formaliter ſimilis obiectis; vel ſolum continet illud per modum cauſæ vniuerſalis æquiuocæ, quæ petit determinari per aliam cauſam particularem, & proximam: ergo eſſe repræſentatiuum ſpeciei intelligibilis nequit cauſari à ſolo intellectu agente.

9 Reſpondebis primo ſufficere, quod phantaſma determinet intellectum agentem ad modum cauſæ exemplaris, ad cuius ſimilitudinem agens operatur quemadmodum imago externa determinat artificem ad producendam aliam imaginem; licet vna imago non concurrat efficienter ad aliam. ¶ Sed contra: nam ideo non eſt neceſſarium, quod imago externa concurrat effectiue ad productionem alterius imaginis, quia artifex habet in ſe principia ſufficientia adæquatè ad producendum imaginem; cum habeat intra ſe ideam: ſed intellectus agens vel nullo modo continet eſſe repræſentatiuum ſpeciei; vel ſolùm continet illud per modum cauſæ æquiuocæ, quæ petit determinari per aliam proximam particularem: ergo phantaſma non concurrit præciſe vt exemplar, ſed debet influere per modum cauſæ effectiuæ. Præterquam quod exemplar ſolùm habet locum in agentibus per cognitionem; cùm ſit illud, ad quod reſpiciens agens operatur: intellectus vero agens non eſt cognoſcitiuus: & ideo nequit vti phantaſmate tanquam exemplari.

10 Reſpondebis ſecundo ſufficere naturalem ſympathiam inter potentias animæ ad hoc, vt poſito determinato phantaſmate in ſenſibus, determinetur intellectus agens ad producendum determinatam ſpeciem intelligibilem, v. g. poſito phantaſmate Petri, determinetur ad producendam ſpeciem hominis: ſicut ob eandem ſympathiam, ſuppoſita cognitione obiecti, determinatur voluntas ad peculiarem volitionem; licet voluntas non ſit cognoſcitiua, nec obiectum influat actiue in volitionem. ¶ Sed contra: nam ideo poteſt voluntas influere actiue

actiue in volitionem absque concursu alterius causæ actiuæ: quia volitio nihil aliud est, quam inclinatio quædam in actu secundo, & sufficienter continetur in voluntate; cùm hæc sit inclinatio in actu primo ad bonum in tota sua latitudine: atqui intellectus agens non est formaliter similis obiectis in actu primo, vt ex se constat: ergo indiget concursu alterius causæ effectiuæ proximæ, quæ contineat, & producat esse repræsentatiuum speciei, & determinet ipsum tanquam causam vniuersalem æquiuocam ad producendum determinatum effectum.

11 Posterior autem assertionis pars, videlicet phantasma non esse causam principalem speciei intelligibilis; sed tantum instrumentalem, facile ostenditur: quoniam agens corporeum nequit per modum causæ principalis producere effectum spiritualem, & agere circa passum incorporeum: sed species intelligibilis est effectus spiritualis, & imprimendus passo incorporeo, nempe intellectui possibili: ergo phantasma, cùm corporeum sit, non valet producere per modum causæ principalis speciem intelligibilem; sed solam instrumentaliter illam attinget.

Sed obijcies: quicumque effectus debet reuocari in aliquam causam proximam principalem: sed esse repræsentatiuum speciei nequit reduci in intellectum agentem, vt constat ex nuper dictis: ergo reuocandum est in phantasma tanquam in causam principalem proximam.

Respondetur distinguendo consequens, & si intelligatur de causa principali omnino rigorosa, & quæ excludat conceptum causæ instrumentalis, neganda est consequentia: si autem intelligatur de causa principali minus rigorosa, & de eo principalitatis genere, quod requiritur, vt instrumentum habeat actionem præuiam, & sibi propriam, concedenda est consequentia. Etenim quodlibet instrumentum habet actionem præuiam ad quam comparatur velut agens principale, & per quam disponit ad effectum agentis præcipui, vt statuimus *in libris Physicorum, disputatione* 12. *quæstione secunda*. Hæc tamen actio non extrahit causam à ratione instrumenti; sed potius deseruit, vt recipiat motionem agentis principalis, eique valet deseruire in ordine ad effectum nobiliorem, & præcipue intentum, & quem instrumentum sibi relictum nequit absolute attingere. Hoc ergo pacto potest phantasma denominari vtcumque agens principale respectu esse repræsentatiui in specie reperti. Cæterum absolute dicendum est, instrumentum, eò quod non habet sufficientem virtutem ad attingendum esse spirituale speciei, nec esse repræsentatiuum spiritualiter: & hoc est, quod præcipue intenditur.

§. II.

§. II.

Refertur duplex ſententia aduerſa.

12 SVarez *tract. 3. lib. 4. cap. 2.* & alij moderni, quos refert Rub. *in præſ. tract. de intellectu agente quæſt. 3.* docent phantaſma non concurrere vllo modo in genere cauſæ efficientis ad productionem ſpeciei intelligibilis; ſed ſolum in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ. Et probatur primo hæc ſententia: quoniam res corporea nequit aliquid cauſare in paſſo pure ſpirituali, vt docet Auguſt. 12. *ſuper Geneſ. ad lit.* his verbis: *Non eſt putandum aliquid agere corpus in ſpiritum, tanquam ſpiritus corpori facienti materiæ vice ſubdatur: omni enim modo præſtantior eſt, qui facit ea re, de qua aliquid facit:* ſed phantaſma eſt quid corporeum: ergo nequit efficere ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili, qui eſt pure ſpiritualis.

Confirmatur primò: quia hac ratione difficillimum eſt explicare qualiter ignis v. g. agat in animas damnatorum, idque reuocant Theologi in potentiam Dei abſolutam, & ſupernaturalem: ergo non eſt concedendum, quod phantaſma corporeum poſſit naturaliter agere in intellectum. ¶ Confirmatur ſecundo: quia phantaſma non eſt vlla virtute eleuabile, vt producat ſpeciem intelligibilem: non quidem virtute corporea, quia hæc eſt improportionata effectui ſpirituali producendo; nec virtute ſpirituali, quia hæc eſt improportionata ſubiecto corporeo eleuando: ergo nequit attingere adhuc inſtrumentaliter prædictam ſpeciem: eſt enim de ratione inſtrumenti eleuari per aliquid intrinſecum. ¶ Confirmatur tertio: quoniam natura vtitur virtute, & inſtrumentis eiuſdem ordinis cum effectu: ergo contra naturæ ordinem eſt, quod phantaſma corporeum ſit inſtrumentum ad efficiendum effectum ſpiritualem. Maxime cùm difficilius ſit, quod anima attingat effectum ſpiritualem medio inſtrumento corporeo, quam quod illa operetur ſe ſola, & immediate.

Ad hæc tamen facile eſt occurrere ex dictis *in lib. Phyſ. diſp. 12. q. 1.* vnde ad argumentum reſpondemus ſolùm conuincere de influxu per modum cauſæ principalis: hunc enim denegat Auguſt. rei corporeæ reſpectu paſſi ſpiritualis, & nos etiam negamus phantaſmati reſpectu intellectus. ¶ Ad primam confirmationem dicimus, quod D. Thom. & eius diſcipuli ſatis expedite & perſpicue explicant, qualiter ignis inferni valeat agere in ſpiritum: vnde potius ſumitur exemplum ad explicandum, quomodo phantaſma queat agere in intellectum. ¶ Ad ſecundam reſpondemus phantaſma eleuari per aliquam virtutem ſpiritualem tranſeũtem deriuatam ab intellectu agente. Nec circa hoc occurrit difficultas, cui nequeat ſatisfieri ex dictis *loc. cit. in ſolut. ad 2.* ¶ Ad tertiam negatur antecedens vniuerſaliter intellectum: nam ſicut naturæ vtitur vir-

tute

tute accidentali ad productionem substantiæ ; licet in nullo genere conueniant: ita potest vti instrumento corporeo ad producendum effectum spiritualem , quamvis pertineant ad ordines diuersos. Id etiam quod additur , non est vniuersaliter verum : contingere enim potest, quod anima nequeat attingere aliquem effectum spiritualem nisi adjuta instrumento corporeo : & ita contingit in hac materia ob ea, quæ supra diximus.

13 Arguitur secundo: nam licet non connaturale alicui subiecto possit esse instrumentum non subiecti cui inest , sed principij , cui est connaturale , vt patet in calore aquæ , qui non est virtus instrumentaria aquæ , sed ignis ; attamen accidens connaturale alicui subiecto nequit esse virtus instrumentaria alterius , nisi subiecti , cui inhæret : atqui phantasma est accidens connaturale phantasiæ , cui inest ; non vero intellectui agenti, vt ex se liquet : ergo phantasma solum potest esse instrumentum phantasiæ : sed vt phantasma attingeret instrumentaliter speciem intelligibilem , debebat esse instrumentum intellectus agentis , eique in agendo subordinari : ergo phantasma non concurrit effectiue instrumentaliter ad productionem speciei intelligibilis.

Respondetur negando antecedens quoad secundam partem : quia non semel contingit vt accidens connaturaliter existens in aliquo subiecto fit virtus instrumentaria alterius principij extrinseci : nam quatuor primæ qualitates naturaliter existunt in mixto , & tamen sunt virtutes instrumentariæ elementorum , vt diximus *in lib. de Generatione , disputatione* 9. Deinde satis probabile est , quod obiectum sensibile non immittit species intentionales ad sensus superiores , nisi medijs speciebus impressis sensibus inferioribus : vnde prædictæ species habent esse in sensu inferiori tanquam in subiecto connaturali ; & tamen subordinantur vt virtutes instrumentariæ obiecto sensibili tanquam agenti præcipuo. Quo pacto potest etiam phantasma esse instrumentum intellectus agentis , quamvis existat naturaliter in phantasia.

14 Est & alia sententia nobis aduersa , & præcedenti extremè opposita , quæ docet phantasma esse causam effectiuam principalem speciei intelligibilis , non quidem adæquatam ; sed partialem , & constituentem simul cum intellectu agente , vnicam causam totalem proximam. Pro hac refertur Scotus *in* 1. *d.* 3. *quæst.* 8. *ad* 1. Quæ potest probari primo : quoniam obiectum non concurrit ad productionem speciei intelligibilis , nisi per concursum phantasmatis : sed obiectum est causa principalis speciei intelligibilis , ergo & phantasma. Probatur minor: nam quod est causa principalis prolis , debet etiam esse causa principalis seminis , vt patet in generatione naturali : sed obiectum est causa principalis prolis intentionalis , videlicet intellectionis iuxta illud : *Ab obiecto , & potentia paritur notitia* : ergo debet esse causa principalis seminis

intentionalis, nimirum ſpeciei intelligibilis.

Reſpondetur negando minorem: ad cuius probationem dicendum eſt, majorem ſolum verificari in principio actiuo, quod ex ſe habet eſſe in actu: iſtud enim poteſt emittere ſemen per modum cauſæ principalis, vt in generatione naturali contingit. Obiectum autem, quamvis ſe habeat ad inſtar maſculi in generatione intentionali; nihilominus ex ſe ſolùm eſt actiuum in potentia, ſicut etiam eſt in potentia intelligibile: & ideo nequit per modum cauſæ principalis cauſare ſemen, aut ſpeciem; ſed indiget adjuuari virtute intellectus agentis, & producentis ſpecies, vt valeat in intellectionem influere. Quamobrem eatenùs proles, ſeu intellectio attribuitur obiecto tanquam cauſæ principali, quatenus exiſtit intentionaliter in ſpecie, quæ producitur ab intellectu agente, vt ſit vicaria obiecti, & influat in intellectionem. Vnde rigorosè loquendo ſpecies non eſt ſemen obiecti; ſed ipſum obiectum in eſſe intentionali, vt ſupra obſeruauimus *diſp. 17. qu. 2.* Per quod amplius euaneſcit vis argumenti.

15 Secundo arguitur: quoniam effectus non aſſimilatur niſi cauſæ effectiuæ principali: ſed ſpecies intelligibilis aſſimilatur intellectui agenti, & phantaſmati; illi in eſſe ſpirituali, & huic in eſſe repræſentatiuo: ergo intellectus agens, & phantaſma concurrunt ad productionem phantaſmatis vt duæ cauſæ effectiuæ principales conſtituentes vnam cauſam totalem, & adæquatam. Sicut inde colligimus ſolem, & hominem eſſe cauſas principales hominis geniti; quia hic eſt ſimilis ſoli in ratione corporis, & homini in eſſe hominis.

Reſpondetur majorem ſolùm eſſe veram, ſi intelligatur de ſimilitudine in eo, quod eſt nobiliſſimum in effectu; in hoc quippe ſoli agenti præcipuo petit aſſimilari: ſecus vero ſi intelligatur de ſimilitudine in quacumque ratione. Nam cum inſtrumentum habeat actionem prę-uiam, attingatque per eam, vt cauſa principalis ſaltem ſecundum quid, aliquam rationem in effectu; oportet, quod effectus aſſimiletur inſtrumento in prædicta ratione. Et ita contingit in præſenti: nam eſſe repræſentatiuum abſtrahendo à modo vniuerſalitatis, & ſpiritualitatis, eſt ratio, ad quam phantaſma concurrit præuiè inſtar cauſæ principalis: & ideo poteſt ſpecies aſſimilari in eſſe repræſentatiuo phantaſmati; quin iſtud exuat rationem inſtrumenti, & ad conceptum cauſæ principalis rigorosè dictæ pertingat: quoniam impotens eſt ad producendum eſſe ſpirituale, quod eſt nobiliſſimum in ſpecie. Per quod patet ad exemplum inductum; non enim colligimus ſolem, & hominem eſſe cauſas principales hominis geniti, ex eo præciſe, quia iſte illis aſſimilatur; ſed quia neutra in ſuo ordine ſubordinatur alteri: phãtaſma autem in eodem ordine cauſæ effectiuæ proximæ, in quo influit, ſubordinatur intellectui agenti, vt conſtat ex dictis.

DISPV

DISPVTATIO XX.

De intellectione.

AD perfectam notitiam potentiæ oportet illius actum designare, eiusque naturam ostendere: vnde æquum est, vt postquam egimus de intellectu agente, & possibili, tractemus etiam de intellectione, quam elicit iste, & ad quam ille ordinatur. Quia vero intellectionis existentia satis est manifesta; ideo quæstione *an est* relicta, alias difficultates versabimus.

QVÆSTIO I.

An intellectio sit actio de prædicamento actionis.

AB hac quæstione disputationem ordimur: quia illius resolutio aditum patefacit ad plura, quæ de intellectione dicenda sunt. Et quamvis titulus solius intellectionis mentionem faciat; decisio tamen quæstionis alijs actionibus omnino immanentibus applicanda est.

§. I.

Duabus assertionibus veritas aperitur.

1 DIcendum est primo intellectionem esse veram actionem, quæ est idem, ac operatio. Hanc docet D. Thom. *qu.* 8. *de veritate art.* 6. his verbis: *Dicendum, quod duplex est actio: vna, quæ procedit ab agente in rem exteriorem, quam transmutat, & hæc est sicut illuminare: alia vero actio est, quæ non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente, vt perfectio ipsius, & proprie dicitur operatio, & hæc est sicut lucere. Actio autem appetitus, & sensus, & intellectus non est sicut actio progrediens in materiam exterio-*

rem, sed sicut actio consistens in ipso agente, vt perfectio eius. Idem docet *in 4. d. 17. q. 1. art. 5. quæstiunc. 3. ad 1.* Imo vero assertionem prout jacet, docent communiter Theologi, & Philosophi, quos proinde superuacaneum esset referre.

Fundamentum est: quoniam quælibet potentia vitalis est vera potentia actiua, cui proinde debet correspondere per modum exercitij aliqua vera actio, seu operatio: sed intellectus possibilis est potentia vitalis, vt ex se constat illiusque proprium exercitium est intellectio: hæc igitur est vera actio, siue operatio. ¶ Confirmatur primo: nam beatitudo consistit in actione, seu operatione, vt cum D. Th. docent communiter Theologi 1. 2. *q.* 3. sed beatitudo consistit in intellectione, qua beati Deum cognoscunt, vt ibidem ostendit S. Doct. ergo intellectio est vera actio, seu operatio. ¶ Confirmatur secundo: quia vita actualis est vera actio: sed intellectio est vita actualis, juxta illud *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te:* ergo intellectio est vera actio, quæ est idem, ac operatio.

2 Obijcies D. Thom. asserit operationem immanentem esse sicut *lucere*, vt constat ex testimonio supra relato: atqui lucere non est vere actio, sed tantum grammaticaliter; cùm lucere non sit agere, sed solùm habere lucem: ergo operatio immanens, qualis est intellectio, non est vere actio. ¶ Respondetur negando consequentiam: quoniam S. Doct. non comparat actionem immanentem actioni grammaticali lucendi quoad omnia; sed solum quantum ad hoc, quod sicut lucere non est agere in exteriorem materiam, ita elicere actionem immanentem non est agere aliquid extra potentiam. Vnde consulto non asseruit, quod lucere erat operatio immanens; sed quod operatio immanens erat sicut lucere. Cum qua similitudine in eo, quod intendebat D. Thom. stat maxima differentia in prædicatis essentialibus, & quod operatio immanens sit vera actio, secus autem lucere. Quo pacto interpretandi sunt alij Doctores, si qui dicunt actiones immanentes esse actiones grammaticales: nam præcisè intendunt, quod prædictæ actiones maneant in agente, & non versentur circa materiam externam: cum quo tamen stat esse actiones verè, & propriè, vt constat ex dictis.

3 Dicendum est secundo intellectionem non esse actionem de prædicamento actionis. Ita docet D. Thom. *prima parte quæstione 18. articulo primo, & in prima distinctione 8. quæstione quarta articul. 3. ad 3. & opusc. 47. cap. 7.* vbi ait: *Intelligere, & sentire sunt actiones immanentes, quia dicunt actum intelligendi, vel sentiendi esse actu in intelligente, vel sentiente: hæc autem actio immanens non est directe in prædicamento actionis.* Vnde hanc conclusionem docent Capreol. *in prima distinctione 35. quæst. 1. art. 3.* Caiet. 1. *part. quæst. 79. art. 2.* Ferrara 2. *contra Gentes cap. 9. & cap. 82.* & communiter Thomistæ. Quibus etiam, licet diuerso motiuo ducti, consentiunt Scotus *in 1. d. 3. quæstion. 6. & qu. 7.* Durand. *in 1 d. 27. qu. 4.*

qu. 4. Suarez *lib.* 2. *de attribut. cap.* 12. Vazquez 1. *p. disp.* 38. *cap.* 2. *& disp.* 112. *cap.* 4. & alij plures.

Probatur ratione: quoniam actio prædicamentalis importat veram rationem motus, qui est actus entis in potentia, provt in potentia: sed intellectio non dicit prædictum motum: ergo intellectio non est actio prædicamentalis. Major est satis communis inter Doctores, & expressa D. Thom. *in* 1. *dist.* 8. *qu.* 4. *art.* 3. vbi ait: *Actio secundum quod est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, & cum motu.* Et insuper suadetur ratione: quia actio prædicamentalis infert passionem prædicamentalem, & illi per se connectitur: sed vbi datur vera passio prædicamentalis, nequit non dari motus, qui sit actus entis in potentia; siquidem quod verè patitur, recipit nouam dispositionem, remouetur que ab antiqua; ac proinde verè transit ex vi actionis ad vlteriorem, & diuersum terminum: quo nihil amplius requiritur, vt detur motus, qui est actus subiecti, provt in potentia ad vlteriorem terminum, vt constat ex dictis *in lib. Physic. disp.* 16. *quæst.* 2. §. 1. ergo actio prædicamentalis importat motum, qui est actus entis in potentia provt in potentia. Minor etiam constat: nam de ratione motus, qui est actus entis in potentia provt in potentia, est relinquere subiectum in potentia ad vlteriorem, & perfectiorem actum, ad quem ipse motus per se promouet: atqui intellectio non ordinatur ad perfectiorem, & vltimiorem actum, sed potius est vltima perfectio lineæ intellectiuæ: & quæcumque concurrunt in prædicta linea, ordinantur ad ipsam intellectionem: ergo intellectio non importat motum, qui est actus entis in potentia provt in potentia. Videantur quæ diximus loco nuper citato.

Confirmatur; quoniam actio prædicamentalis nil aliud est, quam respectus transcendentalis ad principium à quo fluit, & ad effectum, quem inducit in passo, vt statuimus *in Logica disp.* 16. *quæst.* 1. §. 1. & admittunt communiter Philosophi: sed intellectio essentialiter accepta non importat respectum ad aliquem effectum, quem in passo inducat; siquidem non est de ratione intellectionis producere terminum à se distinctum, sed potest absque prædicto termino consistere, vt ostendemus *quæst.* 4. & satis suadetur exemplo sensationis sensuum externorum, quæ nihil producit: ergo intellectio non est actio prædicamentalis.

4 Ex dictis sequitur intellectionem constituendam esse in prædicamento qualitatis. Quoniam euidens est intellectionem non esse substantiam, quantitatem, vel aliud prædicamentum diuersum ab actione, & qualitate: vnde in vno istorum duorum constituenda est: sed non ponitur in prædicamento actionis, vt constat ex nuper dictis: ergo constituenda est in prædicamento qualitatis. Ad hæc: proprium qualitatis est disponere, ac perficere subiectum in se ipso, vt statuimus *in Log. disputatione* 15. *quæstione prima &* 2. sed intellectio

disponit, & perficit subiectum in se ipso: & ideo totus processus intentionalis in intellectione quiescit: ergo intellectio est quædam qualitas.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

5 INtellectionem esse actionem prædicamentalem docent Ioan. Gonzal. 1. *p. q.* 12. *art.* 2. *disp.* 25. *sect.* 4. Montes 1.2. *disp.* 3. *quæst.* 5. Conimbr. *in hoc lib. cap.* 8. *qu.* 3. *art.* 3. & alij. Probatur primo ex Aristot. 10. Ethic. *cap.* 3. vbi inquit: *Neque enim virtutis operationes qualitates sunt, neque felicitas*: sed felicitas est actus intellectus, siue intellectio, vt testatur idem Philosoph. *cap.* 7. ergo intellectio non est qualitas: erit igitur actio de prædicamento actionis.

Respondetur Aristot. non proferre prædictam propositionem ex propria sententia; sed ex sententia Platonicorum arguentium contra Eudoxium: illam tamen licet falsam permittit, tum vt euidentius argumentum soluat, tum ne se implicet difficultate extranea, & quam non oportebat discutere in illo loco. Vnde minime ex prædicto testimonio potest euinci, quod Aristot. senserit intellectionem non esse qualitatem. Videatur D. Thom. ibidem *lect.* 3.

6 Secundo arguitur: quoniam omnis vera substantia creata ponitur in prædicamento substantiæ, & omnis vera qualitas ponitur in prædicamento qualitatis, & sic de aliis: ergo pariter omnis vera actio debet in prædicamento actionis constitui: sed intellectio est vera actio vt constat tum ex dictis *num.* 1. tum ex Aristotel. magnorum moralium *cap. vlt.* vbi veram, & propriam actionem diuidit in transeuntem, & immanentem, sub qua intellectio continetur: ergo intellectio constituitur in prædicamento actionis.

Respondetur negando primam consequentiam: & ratio disparitatis est, quòd omnis substantia creata habet cunctas conditiones requisitas ad prædicamentum substantiæ: & ideo in illo genere constituenda est. Cæterum non omnis vera actio habet quidquid requiritur ad prædicamentum actionis, vt constat ex dictis pro secunda conclusione: quocirca non debet in prædicto genere collocari. Sicut neque omnis vera passio ponitur in prædicamento passionis; sed quædam vera passio est, quæ constituitur in tertia specie qualitatis. Vnde cum vera actio diuiditur ab Arist. in transeuntem, & immanentem, non est diuisio alicuius generis; sed cuiusdam rationis analogæ ad diuersa genera: quemadmodum dicendum esset, si passio diuideretur in eam, quæ est prædicamentum, & in eam, quæ est qualitas.

7 Tertio arguitur: quoniam ad actionem prædicamentalem solum desideratur, quod sit causalitas agentis, & verum fieri effectus: hac quippe de causa calefactio est actio prædicamentalis, quia est causalitas ignis, & fieri caloris producti: sed intellectio est causalitas intellectus operantis, & fieri verbi producti:

ducti: ergo est actio prædicamentalis.

Respondetur ad rationem actionis prædicamentalis desiderari, quod sit causalitas agentis cum motu, qui est actus entis in potentia, provt in potentia, & insuper quod essentialiter sit fieri termini distincti, & ad quem essentialiter ordinatur. Hæc autem non conueniunt intellectioni, cum non afferat motum, qui est actus entis in potentia; nec essentialiter petat producere terminum à se distinctum; nec ordinetur ad terminum, cum ipsum producit; sed potius terminus sit propter ipsam. Vnde nequit habere rationem actionis prædicamentalis.

8 Sed contra insurges: quoniam si intellectio non esset essentialiter fieri, indigeret alio fieri ad sui productionem; & cum illud fieri deberet esse alia intellectio, procederetur in infinitum, quod est absurdum: ergo intellectio essentialiter est fieri alicuius termini. Deinde, quia definitio motus requisiti ad actionem prædicamentalem conuenit mutationibus instantaneis, vtputa illuminationi: sed intellectio est mutatio instantanea, per quam intellectus tranſit de non intelligente ad esse intelligentem in actu; ergo participat rationem motus requisiti ad actionem prædicamentalem. Præterea, quia vbi datur vera actio, & passio, datur etiam verus motus, qualis desideratur ad actionem prædicamentalem; sed vbi elicitur intellectio, datur vera actio, & passio: siquidem ipsa intellectio est vera actio, & cuiuis veræ actioni correspondet vera passio: ergo intellectio affert secum verum motum, & sufficientem ad actionem prædicamentalem. Tandem, quoniam causalitas agentis provt abstrahit ab hoc, quod est agere cum motu, & agere sine motu est quædam ratio superior, & vniuoca, aptaque ad constituendum aliquod prædicamentum: ergo voluntarie limitatur actio prædicamentalis ad hoc, quod est esse cum motu; ac proinde quamvis intellectio sit sine motu, potest esse actio prædicamentalis.

Respondetur persistendo in tradita solutione, quæ nulla ex adductis impugnationibus labefactatur. Ad primam enim negatur sequela: quoniam intellectio ob suam eminentiam, & actualitatem potest esse simul, fieri, & factum esse, quoties alium terminum non producit: & ideo non indiget alio fieri, vel actione, qua fiat, quod amplius declarabimus *quæst. 4.* Ad secundam satis constat ex dictis *in lib. Physic. disp. 6. q. 2.* illam definitionem motus conuenire quidem mutationi instantaneæ, quæ est actus imperfecti, qualis est illuminatio; secus vero mutationi instantaneæ, quæ est actus perfecti, cuiusmodi est intellectio: vnde non oportet hæc iterum inculcare. Ad tertiam negatur minor: quia non cuicumque actioni correspondet vera passio; sed solum illi actioni, quæ per se inducit effectum cum transmutatione subiecti: hoc autem non conuenit intellectioni, cum non petat essentialiter inferre effectum à se distinctum; nec respiciat intellectum sub ratione passi transmutabilis, sed vt extremum vitaliter vniendum obiecto.

Ad

Ad quartam dicendum ab illis duobus generibus actionum non esse abstrahibilem vnam rationem vniuocam : nam vt constat ex dictis actio, quæ non ordinatur ad vlteriorem terminum, nec affert motum perficit subiectum absolutè, & in se ipso, quod est proprium qualitatis : actio vero, quæ est cum motu non perficit agens, saltem absolutè, & in se ipso ; sed ordinatur per se primo ad effectum, quod est proprium actionis prædicamentalis. Vnde cum ad qualitatem, & ad alia prædicamenta non detur aliqua ratio vniuoca communis ; sequitur prædictam rationem actionis vniuersalissime acceptæ esse ineptam ad constituendum vnum prædicamentum, seu genus. Sicut etiam relatio abstrahens ab hoc, quod est referre transcendentaliter, vel referre & non transcendentaliter, neutiquam habet sufficientem abstractionem ad constituendum vnicum genus : sed quæ refert subiectum, & non transcendentaliter, constituit prædicamentum relationis ; quæ vero transcendentaliter refert, per alia genera diuagatur. Ita ergo actio cum motu constituit genus actionis; actio vero absque motu pertinet ad aliud genus ; quin possibile sit intentione vniuoca conuenire.

QVÆSTIO II.

An intellectio distinguatur à verbo?

VErbi nomine, vt sæpe insinuauimus significatur species expressa, & ab intellectu producta, in qua obiectum cognitum actu repræsentatur, & terminat cognitionem. Ab hoc ergo verbo, inquirimus, vtrum intellectio differat. Quidquid autem de intellectione, & verbo dictum fuerit, poterit sensationibus, & idolis eas terminantibus proportionabiliter applicari.

§. I.

Elucidatur veritas Thomistica.

9 DIcendum est intellectionem, & verbum distingui nedum formaliter, verum etiam realiter, seu distinctione rei à re. Hanc conclusionem docet D. Thom. 1. *p. qu.* 27. *art.* 1. *& lib.* 4. *cont. Gent. cap.* 11. *de veritat. qu.* 4. *art.* 2. *de potentia quæst.* 8. *art.* 1. vbi hæc habet : *Intelligens in intelligendo ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem, quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu, ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus : quæ quidem conceptio à tribus prædictis differt.* Et post pauca : *Differt*, inquit, *ab actione intellectus : quia prædicta conceptio con-*

sideratur

sideratur vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum: hæc autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur. Vnde hanc sententiam defendunt Capreolus *in* 1. *d.* 27. *quæst.* 2. Ferrar. 1. *contra Gent. cap.* 53. Caiet. Bañez, Zumel, Nazar. Gonzalez 1. *p. qu.* 27. N. Salmant. *tract.* 2. *disp.* 2. *à num.* 208. & commmuniter Thomistæ.

Et quidem; quod intellectio, & verbum debeant aliquo modo, saltem formaliter, distingui satis constat ex diuersis vtriusque prædicatis, & officiis: etenim intellectio est vera actio vt ostendimus *quæst. præced.* verbum autem non est actio, sed terminus per actionem expressus: deinde intellectio tenet se ex parte potentiæ constituens eam actu intelligentem; verbum autem se tenet ex parte obiecti reddens illud actu repræsentatum: præterea intellectio non est similis obiecto; verbum autem est eiusdem naturæ cum obiecto in esse repræsentatiuo. Quæ omnia satis euincunt admittendam esse diuersitatem formalem inter intellectionem, & verbum. ¶ Confirmatur: nam verbum vocale non significat intellectionem, sed conceptum, aut verbum internum, vt docet D. Thom. *quæst. & art. cit. de potent.* his verbis: *Hæc autem conceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur: hoc enim est, quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus; sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem.* Si autem intellectio, & verbum essent omnibus modis idem; vtrumque, aut neutrum exprimeretur verbo vocali: ergo distinguuntur saltem formaliter. Quod à fortiori constabit ex his, quæ iam subijcimus.

10 Hanc autem distinctionem esse non solum formalem, sed etiam realem probatur primo: quoniam terminus distinguitur realiter ab actione, per quam fit, vt statuimus *in lib. Physic. disp.* 16. *quæst.* 3. sed verbum est terminus productus per intellectionem: ergo differt realiter ab illa. Minor ostenditur: quia verbum producitur per aliquam actionem intellectus: sed actio adæquata intellectus est intellectio, vt ostendemus *quæst. seq.* ergo verbum producitur per intellectionem.

Respondebis primo intellectionem ob suam eminentiam esse simul actionem, & terminum, fieri, & factum esse: & ideo non requiri quod in his detur tanta distinctio, quanta in aliis actionibus, & terminis inferioribus solet interuenire. ¶ Hæc tamen euasio facile refellitur: quoniam intellectio ob suam eminentiam tantum petit identificare sibi illa, quæ ad propriam eius lineam spectant: & ideo vt ipsa fiat, non eget alia actione; sed se ipsa egreditur, ab intellectu. At non postulat identificare, quæ pertinent ad alteram lineam, vt ex se liquet. Verbum autem ita fit per intellectionem, vt de eius linea non sit: nam intellectio non est similitudo obiecti; sed est operatio vitalis, per quam intellectus tendit in rem cognitam,

& existentem intentionaliter in verbo: istud vero non est operatio vitalis, sed est terminus prædictæ operationis, in quo tanquam in formali, & actualissima similitudine rei cognitæ intellectus contemplatur obiectum. Vnde verbum nequit intellectioni identificari: quia terminus realiter productus per actionem, & ad eius lineam non pertinens debet actu, & realiter ab ea distingui.

Et confirmatur vrgenter: quoniam intellectio ita est actio producens verbum, vt queat, quantum est de se, ab eo separari, & sine illo consistere, vt de facto contingit in intellectione, qua beati vident Deum in se ipso, vt latius dicemus infra *quæst.* 4. sed realis separatio actionis à termino arguit distinctionem realem inter vtrumque: ergo intellectio, & verbum distinguuntur realiter. Quæ distinctio non est vtcumque realis; sed est realis inter rem: quia tam intellectio, quam verbum est qualitas perfecta, & completa, habensque proinde rationem entis, & rei. Vnde licet motus inseparabilis à termino, & qui est duntaxat postprædicamentum distinguatur à termino sola distinctione modi à re; attamen motus perfecti & à termino separabilis, & qui est vera qualitas, vti est intellectio, debet distingui à termino, quem producit, distinctione rei à re.

11 Respondebis secundo ex dictis solum haberi, quod intellectio *in fieri*, quæ est ipsum fieri, & productio verbi, distinguatur à verbo; non vero, quod intellectio in *facto esse* distinguatur ab ipso. ¶ Sed hoc nihil est: quoniam (ne ludamus vocibus) propria, & essentialis ratio intellectionis vel consistit in intellectione, quam hæc euasio appellat *in fieri*; vel consistit in intellectione, quam dicit in *facto esse*? Si primum: ergo jam intellectio proprie, & quidditatiue sumpta distinguitur realiter à verbo; siquidem intellectio *in fieri* ab eo distinguitur. Si secundum: ergo etiam intellectio *in facto esse* distinguitur realiter à verbo, & ita, quidquid sit de proprietate vocum, habemus intentum: quoniam intellectio proprie, & quidditatiue sumpta distinguitur realiter à verbo, sicut actio à termino, vt constat ex hactenus dictis: sed intellectio *in facto esse* est intellectio proprie, & quidditatiue sumpta: ergo differt realiter à verbo. Quod si nomine intellectionis *in facto esse* intelligatur id, quod fit per intellectionem; absurdum est, quod intellectio *in facto esse* sit proprie, & quidditatiue intellectio: nam id, quod fit per actionem, non est actio.

12 Secundo probatur eadem conclusio alia ratione: nam obiectum *quod* intellectionis directæ distinguitur realiter ab ipsa intellectione: sed verbum est obiectum *quod* intellectionis directæ: ergo verbum distinguitur realiter ab intellectione directa: ergo etiam differt realiter ab omni intellectione. Major liquet ex terminis: quia intellectio directa non terminatur ad se ipsam: hoc quippe est proprium intellectionis reflexæ: ergo obiectum *quod* intellectionis directæ non est ipsa intellectio;

ctio; sed distinguitur realiter ab illa. Minor etiam constat; quoniam obiectum *quod* intellectionis debet esse intra intellectum, eò quod iste petit attingere obiectum trahēdo illud ad se: atqui non habet esse intra intellectum, secundum suam entitatem physice acceptam, sed secundum modum intentionalem, quem habet in verbo: hoc igitur habet rationem obiecti *quod* respectu intellectionis. Quæ est expressa doctrina D. Thom. *qu. 4. de veritat. art. 2. ad 3.* vbi ait: *Conceptio intellectus*, nempe verbum, *est media inter intellectum, & rem intellectam: quia ea mediante operatio intellectus pertingit ad rem. Et ideo conceptio intellectus non solum est id, quod intellectum est, sed etiam id, quo res intelligitur: vt sic id quod intelligitur, possit dici & res ipsa, & conceptio intellectus: & similiter id, quod dicitur potest dici & res, quæ dicitur per verbum, & verbum ipsum.* Prima autem consequentia liquet ex præmissis. Secunda vero infertur ex prima: nam si semel verbum differt ab aliqua intellectione, sequitur nullam intellectionem esse formalem similitudinem obiecti; proindeque requiri aliquam similitudinem, quæ actu terminet intellectionem, & quam verbum appellamus. Præterquam quod de essentia verbi est terminare actu cognitionem; de essentia autem intellectionis reflexæ non est actu terminare cognitionem; cum possit salua sua entitate non terminare se ipsam, sed tendere præcisè ad obiectum primarium directe cognitum: ergo si semel verbum differt realiter ab intellectione directa, distingui etiam debet ab intellectione reflexa.

13 Nec refert si aduersus hanc rationem obijcias *primo*: eatenus verbum potest habere rationem obiecti, quatenus est id, quo intelligitur obiectum: sed etiam intellectio est id, *quo* intelligitur obiectum; & hoc non obstante, nec habet rationem obiecti, nec differt à se ipsa: ergo verbum non habet rationem obiecti, neque ab intellectione distinguitur. *Secundo*: nullus experitur se cognoscere verbum, & in verbo intelligere obiectum; sed potius attingit immediatè obiectum ipsum: ergo falsò dicitur verbum esse obiectum intellectum, & ratione verbi intelligi rem, cuius est imago. *Tertio*: in hoc distinguitur intelligere à dicere, quod intelligere solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, dicere autem importat habitudinem ad verbum, & eo mediante ad obiectum, vt expresse docet D. Thom. *1. p. quæst. 34. art. 1. ad 3.* si autem verbum haberet rationem obiecti *quod* intellecti, non posset non intellectio dicere habitudinem ad ipsum verbum.

Non, inquam refert: nam ad primam obiectionem respondetur intellectionem solum esse id, *quo* intelligitur obiectum, tanquam ratione se tenente ex parte potentiæ; non vero ex parte obiecti: & ideo mirum non est, quod nec habeat rationem obiecti, nec distinguatur à se. Verbum autem est id, *quo* obiectum intelligitur, vt quid se tenens ex parte, ipsius obiecti:

illud enim petit esse intra intellectum tam in ratione motiui, quod habet per speciem impressam; quam in ratione terminatiui, quod habet per speciem expressam, aut verbum. Et ideo verbum est ipsum obiectum *quod* ad intra existens, & actu terminans intellectionem, à qua proinde debet distingui realiter.

Ad secundam dicendum est verbum posse dupliciter attingi: vno modo in esse entis, & quatenus est qualitas quædam perficiens intellectum: & ita non cognoscitur per actum directum, sed per reflexum. Alio modo in esse imaginis, & hoc etiam duobus modis: primo in actu signato, considerando naturam, & conditiones huius imaginis, vt ab aliis entibus condistinctæ: & ita etiam attingitur reflexè. Secundo quatenus est imago in actu exercito, exercens videlicet munus repræsentandi rem: & hoc pacto fertur intellectus directè in verbum eodem actu, quo fertur in rem per ipsum repræsentatam, iuxta illud; *Idem est motus in imaginem, & imaginatum ex lib. de memoria, & reminisc. cap.* 1. Vnde prouenit, quod per hunc actum non discernamus inter verbum, & obiectum; sed necessarius sit alius ex prædictis actibus reflexis, vt faciamus hanc discretionem. Et ideo concesso in hoc sensu, antecedenti obiectionis, neganda est consequentia: quia licet non experiamur positiuè distinctionem inter verbum, & obiectum; tamen nec positiuè experimur carentiam distinctionis, vel quod ibi non detur verbum habens rationem obiecti *quod* ad intra.

Ad tertiam respondemus verbum, & obiectum considerata in esse cognito, & quatenus terminant cognitionem, non ponere in numero, eò quod obiectum non habet actu cognosci, nisi quatenus est in verbo: vnde ex eo quod intelligere attingat verbum, vt in actu exercito repræsentat obiectum, non extrahitur ab hoc, quod est dicere habitudinem solum ad rem intellectam. At verbum vt est terminus dictionis, ponit in numero cum re intellecta: quia prout sic habet rationem entis producti per dictionem; cum tamen obiectum ad extra non producatur. Quapropter dictio habet diuersas habitudines ad verbum, & ad obiectum; quoniam sub munere productionis attingit verbum, & non obiectum; & deinde sub munere intellectionis, quod essentialiter imbibit, percipit obiectum in verbo, vt magis declarabimus *quæst. seq.*

§. II.

Conuelluntur aduersantia fundamenta.

14 CONtra nostram assertionem duæ sunt sententiæ. Prima nullam agnoscit distinctionem inter intellectionem, & verbum, sed asserit esse formaliter idem. Hanc defendunt Scotus *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 8. Suar. *lib. de Trinit. capite* 6. Vazq. *d.* 38. *capite* 1. & *d.* 141. *capite* 4. & alij. Quæ potest suaderi primo ab auctoritate: nam August. 9. *de Trinit. cap.* 10. verbum appellat notitiam: sed

notitia

notitia est formaliter cognitio, vel intellectio: hæc igitur non differt formaliter à verbo. Deinde ipse S. Doct. docet intellectionem esse similitudinem obiecti: vnde probat fore in beatis similitudinem Dei, quia videbunt eum sicuti est: constat autem verbum esse similitudinem actualissimam obiecti: ergo ex mente August. verbum, & intellectio sunt formaliter idem.

Confirmatur ex D. Thom. 1. *p. q.* 34. *art.* 1. *ad* 3. vbi hæc habet: *Intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur; sed informatio quædam in intellectu nostro, provt intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ.* Atqui verbum est proprijssime forma rei intellectæ nullam dicens rationem originis, sed puram informationem: ergo verbum est formaliter intellectio. Præterea *quæst.* 8. *de potent. art.* 1. inquit: *Verbum nostri intellectus non est extrinsecum ab ipso intelligere intellectus; cùm ipsum intelligere non possit compleri nisi verbo prædicto.* Quibus verbis satis exprimit verbum esse formaliter ipsam intellectionem; siquidem hæc est simplex qualitas, ad quam asserit pertinere intrinsece verbū. Quod apertius significat *q.* 4. *de ver. art.* 2. *ad* 2. vbi verbum appellat *notitiam*, & *opusc* 13. vbi ait: quod *contemplatio veritatis est verbum.*

Ad primam auctoritatem D. Aug. respondetur cum D. Th. *loc* proxime *cit. ex* 1. *p. in solut. ad* 2. vbi ait: *Cum verbum dicitur, quod est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo eius habitu, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo. Vnde & August. dicit, quod verbum est sapientia genita, quod nihil aliud est, quam ipsa cognitio sapientis, quæ etiam pari modo notitia genita dici potest.* ¶ Ad secundam respondetur beatos esse quidem similes Deo videndo ipsum sicuti est in se: non quia ipsa visio sit formalis Dei similitudo in esse intentionali, quod est proprium verbi; sed quia habet sibi vnitam essentiam diuinam in ratione speciei intelligibilis, per quam fiant ipse Deus in ordine intelligibili. Et insuper quia visio Dei in se ipso est quædam similitudo Dei non per modum verbi, & in esse repræsentatiuo, sed per modum effectus, & in esse naturali: quia participat aliquid de eo, quod in Deo habet rationem naturæ, nempe videre se ipsum provt est in se.

Ad confirmationem respondetur D. Thom. in primo testimonio statuere distinctionem inter dicere, & intelligere ex eo, quod dictio importat habitudinem causalitatis ad verbum, quod originat: intellectio autem se habet per modum actus vltimi intelligentis: ideoque ratio eius magis consistit in informatione, & actuatione quam in expressione originis. Nam etsi intellectio emanet ab intellectu per modum actionis vitalis; nihilominus non constituit intelligentem vt procedens à principio, sed vt attingens obiectum: in qua attingentia non explicatur origo, quamvis supponatur, & implicetur. Per quod satis patet

ad priora auctoritatis verba. Illa vero, quæ sequuntur, nempe *Prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ*, minime significant intellectionem esse formam rei intellectæ: nam D. Thom. appellat *formam rei intellectæ* speciem intelligibilem, vt constat *ex* 1. *contra Gentes cap.* 53. intellectio autem in omnium sententia distinguitur à prædicta specie, cùm sit effectus illius. Sed tantum significatur intellectum constitutum in actu primo per speciem intelligibilem intelligere per intellectionem, quatenus hæc dicit actuationem, & informationem; & non explicat rationem originis, licet illam præsupponat.

Aliæ auctoritates faciliores sunt intellectu: nam in illa, quæ adducitur ex *quæst.* 8. *de potent.* solùm intendit S. Doct. quod verbum habet necessariam, & naturalem connexionem cum intellectionibus, quæ non attingunt obiectum immediate, & provt est in se: istæ enim essentialiter connectuntur cum verbo, quod efficiunt, & in quo attingunt obiectum. Ex quo tamen minime sequitur, quod verbum sit aliquod prædicatum intrinsecum, & essentiale intellectionis: sicut etiam natura completur per subsistentiam; quamvis hæc non sit prædicatum essentiale naturæ. Ad alias duas auctoritates constat ex supra dictis verbum posse appellari *notitiam*, & *contemplationem*, non quæ sit actus cognoscentis, sed id, quod intellectus concipit cognoscendo: atque ideo non est notitia, & contemplatio formalis; sed notitia, & contemplatio genita.

15 Secundo arguitur ratione: quoniam intellectio nihil aliud est, quam actualis manifestatio obiecti; siquidem idem est intellectum intelligere rem, & rem fieri manifestam intellectui: & hac ratione essentia diuina est actualissima intellectio omnium intelligibilium, quia omnia actualissimè manifestat: sed verbum est actualis manifestatio obiecti; cùm sit actualissima repræsentatio eiusdem: ergo verbum est formaliter idem ac intellectio.

Respondetur ad perceptionem obiecti requiri duas eiusdem manifestationes: vnam per modum vitalis operationis tendentis in obiectum; aliam vero per modum termini repræsentantis obiectum, & terminantis illam operationem vitalem. Intellectio ergo solùm habet manifestare obiectum priori modo: & ideo non excluditur verbum ab ea distinctum, quod obiectum posteriori modo manifester. Nec oppositum suadet exemplum inductum: nam essentia diuina ob suam eminentiam munera vtriusque manifestationis exercet: sed secundum vnum munus habet rationem intellectionis, & secundum aliud habet rationem verbi. In creatis autem hæc munera postulant entitates differentes ob ea, quæ supra diximus.

16 Tertio arguitur: quia intellectio est id, per quod intellectus constituitur formaliter in esse intelligentis: sed per verbum

bum constituitur formaliter in esse intelligentis : ergo verbum est formaliter intellectio. Probatur minor : nam intellectus per speciem impressam constituitur formaliter in esse intellectiui : ergo per speciem expressam, seu verbum constituitur formaliter in esse intelligentis. Patet consequentia : nam si illa similitudo quasi habitualis speciei impressæ constituit intellectiuum ; similitudo actualis speciei expressæ debet constituere intelligentem. ¶ Confirmatur primo : quia intellectus intelligit trahendo obiectum ad se : sed obiectum trahitur per verbum, in quo actualissimè repræsentatur : ergo intelligere consistit formaliter in verbo. Et confirmatur secundo : nam tunc perfecte intelligimus aliquam rem, cùm formamus perfectam similitudinem illius : ergo intellectio obiecti consistit in perfecta eius similitudine, seu verbo.

Respondetur argumento negando minorem : ad cuius probationem dicendum est speciem impressam non constituere formaliter intellectum in ratione intellectiui, sed solum determinatiuè ; & completiue : neque enim intellectio dat intellectui virtutem intellectiuam ; cùm hæc sit adæquate extra lineam speciei ; sed tantum complet, & determinat prædictam virtutem, vt eliciat intellectionem determinatam. Vnde sequendo eandem proportionem species expressa non pertinet formaliter ad intellectionem ; sed tantum completiue, & terminatiue, quatenus est terminus, in quo intellectio attingit obiectum. Quamobrem sicut species impressa non est actus primus ad intelligendum ; sed determinatio illius ; ita expressa non est actus secundus intelligendi, sed eius terminus. ¶ Ad primam confirmationem respondemus, quod intellectus dicitur intelligere trahendo ad se res, non quia intellectio sit obiectum, quod trahitur, vel similitudo, in qua trahitur ; sed quia vt detur intellectio debet obiectum trahi tàm in ratione motiui per speciem intelligibilem, quàm in ratione terminatiui per verbum. Hinc tamen nequit inferri, quod intellectio consistat in specie, vel in verbo. Vnde constat ad secundam confirmationem : nam quod ad perfecte intelligendum obiectum formemus perfectam eius similitudinem, non oritur ex eo, quod hæc similitudo sit intellectio ; sed quia ad intellectionem desideratur.

17 Secunda sententia recognoscit inter intellectionem, & verbum distinctionem formalem ; sed negat distinctionem entitatiuam, seu rei à re. Ita Scotus *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 2. *art.* 3. Molina 1. *parte quæst.* 27. *art.* 1. *d.* 8. & alij. Probatur primo : quia eadem res est in fieri & in facto esse : ergo idem est entitatiue fieri, & factum esse rei : sed intellectio se habet vt fieri, & verbum vt factum esse : ergo intellectio, & verbum sunt idem entitatiue. ¶ Confirmatur primo : quia actio transiens, & eius terminus non distinguuntur distinctione rei à re : ergo neque actio immanens : qualis est intellectio,

lectio, debet distingui entitatiue à termino. Probatur consequentia: quia minor distinctio debet inueniri inter ea, quæ sunt superioris ordinis, quam inter ea, quæ sunt ordinis inferioris: sed actio immanens est superioris ordinis respectu transeuntis: ergo si hæc non distinguitur entitatiue à termino; neque illa distinguetur. ¶ Confirmatur secundo: quia intellectio vt actio non distinguitur entitatiue à passione qua producitur, & recipitur verbum; sed passio non distinguitur entitatiuè à termino, vt patet in creatione passiua, quæ non differt entitatiue à creatura: ergo de primo ad vltimum intellectio non distinguitur entitatiuè à verbo. ¶ Confirmatur tertio: quia si intellectio, & verbum distinguerentur entitatiue vt res, & res; requireretur duplex passio, vna ad receptionem intellectionis, & altera ad receptionem verbi: hoc autem satis apparet absurdum: ergo &c.

Sed hæc leuia sunt, & facili negotio excluduntur. Ad argumentum negatur prima consequentia: quia licet eadem indiuisibilis res fiat & sit facta; actio tamen potest & debet distingui ab eo, quod fit, & est factum: vnde licet idem verbum sit in fieri, & in facto esse; debet nihilominus distingui entitatiue ab intellectione, per quam producitur, vt constat ex dictis. ¶ Ad primam confirmationem respondetur actionem transeuntem posse considerari in esse actionis, & in esse motus iuxta ea, quæ diximus *in libr. Physicor. disput.* 17. *quæst.* 2. Et si consideretur in esse motus non distinguitur entitatiue à termino, eò quod motus non est entitas, sed quid incompletum. Si vero consideretur in esse actionis distinguitur entitatiue à termino, vt puta à qualitate, quam producit; cùm pertineant ad diuersa prædicamenta, inter quæ nequit non dari entitatiua distinctio, vt statuimus *in Log. disp.* 14. *quæst.* 5. Hinc autem potius euincitur nostra assertio: quia intellectio non est motus imperfectus; sed vera, & nobilissima entitas. ¶ Ad secundam quidquid sit de veritate, & sensu majoris, negatur minor: quia etiam passio differt entitatiue à termino, si passio sumatur in esse passionis, & non in ratione motus: est enim prædicamentum diuersum à prædicamento termini. In creatione autem non datur passio: quia nullum præsupponitur subiectum. ¶ Ad tertiam negatur sequela: quia vt detur duplex passio, requiritur duplex actio, & duplex terminus: actioni enim, & termino licet distinctis vnica passio sufficienter correspondet. Per quæ non intendimus admittere passionem aliquam veram ab intellectione distinctam; sed eneruamus vim consequentiæ, quidquid sit de præmissis.

QVÆ

QVÆSTIO III.

An intellectio distinguatur à dictione.

POstquam ostendimus, qualis distinctio inueniatur inter intellectionem: & verbum: videndum est, vtrum intellectio differat à dictione, qua verbum producitur: hoc enim non poterit non magnam lucem afferre, vt altius penetremus intellectionis naturam.

§. I.

Eligitur pars negatiua.

18 DIcendum est intellectionem, & dictionem non esse duas actiones, ante intellectum diuersas; sed tantum distingui eo mòdo, quo actio modificata distinguitur à seipsa considerata absque modo. Explicatur assertio: etenim sicut actus, quo producitur habitus scientificus, non est actus diuersus ab actu scientifico; sed est ipsemet actus scientificus modificatus per quendam modum fœcunditatis: ita etiam intendimus, quod dictio producens verbum non sit operatio diuersa ab intellectione; sed sit ipsa intellectio vt exprimens quandam rationem fœcunditatis, & causalitatis respectu verbi. Nec facimus vim in eo, quod prædictus modus sit aliquid physice additum intellectioni, vel sit tantum modus grammaticalis, seu diuersa expressio eiusdem actionis: sed asserimus dictionem esse entitatiue, & re ipsa intellectionem exprimentem modum fœcunditatis. In quo sensu docet frequenter hanc conclusionem D. Thom. 1. *p. q.* 27. *art.* 1. vbi ait: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit producit verbum*: quod non posset verificari, si productio, seu dictio verbi non esset intellectio. Et *quæst.* 4. *de ver. art.* 2. inquit: *In nobis dicere non solùm significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem: nec aliter possumus intelligere, nisi huiusmodi conceptionem exprimendo: & ideo omne intelligere in nobis proprie loquendo, est dicere.* Vnde hanc sententiam tuentur N. Salmant. *tract.* 6. *disp.* 6. *dub.* 3. & alij S. Doctoris discipuli, vt testatur Nazarius *loc. cit. ex prima parte.*

Fundamentum est: quoniam notitia rei intellectæ est proprie, & formaliter intellectio: sed verbum procedit ex notitia rei intellectæ: ergo procedit per intellectionem: cùm ergo processio verbi sit dictio, sequitur dictionem non distingui ab intellectione, sed esse intellectionem fœcundam, seu producentem verbum. Cætera constant, & minor ostenditur: tum quia hoc ipso, quod verbum producatur, habet obiectum esse actu intellectum, seu terminare cognitionem: hoc autem non contingeret, si verbum non procederet ex notitia

notitia rei intellectæ : ergo. Tum etiam nam eo ipso, quod intellectus nihil intelligat, nihil potest dicere, nec exprimere verbum : ergo de ratione verbi est quod procedat ex aliqua notitia, nempe eius rei, quæ dicitur. Tum præterea : quoniam in diuinis verbum procedit ex cognitione essentiæ, & aliorum ; cum enim illa cognitio sit infinite perfecta, efficax, & fœcunda, nequit non producere verbum infinite perfectum, si ipsi addatur relatio paternitatis, per quam intelligens opponatur verbo : ergo idem de intellectione, & verbo creatis proportionabiliter dicendum est.

Confirmatur : quia verbum procedit per operationem propriam intellectus : sed operatio propria, & adæquata intellectus est notitia, seu attingentia veri, sicut actus adæquatus potentiæ visiuæ est notitia, vel attingentia visibilis, & operatio adæquata lucis est illuminatio: ergo verbum procedit ex notitia veri. Vnde sicut impossibile est, quod aliquid procedat à luce, nisi media illuminatione : ita impossibile erit, quod aliquid producatur, & dicatur ab intellectu, nisi mediante notitia, seu intellectione. Quamobrem cùm verbum producatur per dictionem ; sequitur dictionem esse intellectionem producentem verbum.

§. II.

Respondetur argumentis.

19 COntrariam sententiam docent Scotus *in* 1. *d.* 2. *quæst.* 7. *& dist.* 27. *qu.* 1. *&.* 2. vbi etiam Aureolus, Gabr. & Ocham, Suarez *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 7. & alij. Et probatur ratione : quoniam nec intellectio includit essentialiter dictionem, nec dictio includit essentialiter intellectionem : ergo sunt operationes ex æquo distinctæ ex se inuicem excludentes. Consequentia patet, & etiam antecedens quoad primam partem ; cum possit dari intellectio, quæ nullum verbum dicat, vt patet in visione beata. Secunda vero antecedentis pars ita ostenditur : quoniam id, quod est prius nequit essentialiter includere posterius : sed dictio est essentialiter prior, quam intellectio : ergo non includit essentialiter intellectionem. Suaderur minor : nam intellectio essentialiter supponit verbum, in quo speculetur obiectum : ergo multo magis supponit dictionem, per quam producitur verbum : dictio ergo est essentialiter prior intellectione.

Confirmatur primo : quia *dicere nihil aliud est, quam proferre verbum*, vt inquit D. Thom. *prima parte quæstione* 34. *articulo primo, ad tertium*, sed hoc, quod est producere verbum non includit essentialiter intellectionem : sicut obiectum externum producere speciem sensibilem, & intellectum agen

tem efficere speciem intelligibilem, & os externum proferre verbum, nullam includit cognitionem obiecti; sed solam habitudinem producentis ad productum: ergo dictio non includit essentialiter intellectionem.

Confirmatur secundo: quoniam in diuinis dictio non includit intellectionem: ergo neque in creatis. Consequentia constat à paritate: Antecedens autem suadetur: quoniam dictio in diuinis se tota est productio verbi, à quo proinde debet se tota distingui: atqui intellectio non distinguitur à verbo: ergo dictio in diuinis nequit includere intellectionem.

Respondetur argumento negando secundam partem antecedentis: ad cuius probationem neganda est minor, quam non euincit inducta probatio: quoniam vna, & eadem simplex actio intellectus habet, & producere verbum, & cognoscere obiectum in verbo: vnde & supponit illud, & supponitur ad ipsum. Nam operatio intellectus producit verbum, & ideo est prior illo in genere causæ efficientis: qua ratione vocatur dictio, & cognitio in fieri. Et eadem operatio contemplatur obiectum in verbo, & idcircò est posterior illo in genere causæ formalis: quo pacto appellatur intellectio, seu cognitio in facto esse. In quo nulla est contradictio, vt patet etiam in actione transeunti, quæ efficit terminum, & specificatur ab illo: nam calefactio quatenus efficit calorem, est prior illo in genere causæ efficientis; & quatenus specificatur à calore, est posterior eo in genere causæ formalis. Vnde sicut non valet: calefactio supponit calorem à quo specificatur: & calor supponit actionem per quam producitur: ergo calefactio supponit actionem producentem calorem, & distinguitur ab illa. Ita nec valet: intellectio supponit verbum: & verbum supponit dictionem: ergo intellectio supponit dictionem, & distinguitur ab ea. Et ratio est eadem vtrobique, nempe quod eadem actio, & respectu eiusdem termini potest esse prior, & posterior in diuersis causæ generibus.

2o Sed replicabis *primo*: nam quod est prius in genere causæ efficientis, debet esse etiam prius in genere causæ formalis; siquidem vnumquodque agit, quatenus est in actu per formam: ergo si intellectio est posterior verbo in genere causæ formalis, non poterit ipsum præcedere in genere causæ efficientis; atque ideo actio, quæ efficit verbum distinguetur ab intellectione. *Secundo*: quia si intellectio præcederet in aliquo genere verbum, posset in eodem genere ab illo separari; cùm in prædicto genere ab eo non dependeat: ergo pariter posset separari in omni genere, atque ideo absolute: intellectio enim eiusdem rationis est in omnibus causæ generibus.

Respondetur ad primam replicam id, quod est prius alio in genere causæ efficientis, esse etiam prius vel saltem non esse posterius

illo in genere cauſæ formalis intrinſecæ: poſſe tamen ipſum ſubſequi in genere cauſæ formalis extrinſecæ, ſeu ſpecificatiuæ, vt conſtat in actione tranſeunti, quæ in genere cauſæ efficientis præcedit terminum primarium; ad quod tamen ſubſequitur in genere cauſæ formalis extrinſecæ ſpecificatiuæ. Idemque de intellectione reſpectu verbi dicendum eſt. Ad ſecundam reſpondemus prioritatem intellectionis reſpectu verbi non eſſe abſolutam, & in omni genere; ſed importare eſſentialem dependentiam ab illo in alijs generibus: vnde nequit ſeparari ab eo. Quod poteſt etiam declarari exemplo actionis tranſeuntis, quæ nequit ſeparari à termino; licet ipſum præcedat in genere cauſæ efficientis. Recolantur quæ diximus *in libris de Generatione, diſputatione ſecunda, quæſtione ſeptima.*

Ad primam confirmationem neganda eſt minor, quæ non ſuadetur exemplis inductis: nam actus proprius, & adæquatus obiecti ſenſibilis, intellectus agentis, & oris externi non eſt cognitio: vnde mirum non eſt, quod producant ſuos effectus, & non media cognitione. Actus autem adæquatus intellectus poſſibilis eſt intelligere: & ideo repugnat, quod intellectus producat verbum niſi per actionem, quæ ſit formaliter intellectio. ¶ Ad ſecundam negatur antecedens: ad cuius probationem dicendum eſt, quod licet in diuinis dictio diſtinguatur ſe tota à verbo; non tamen totaliter: quia includit formaliter intellectionem eſſentialem identificatam cum verbo.

21 Secundo arguitur: quoniam illæ actiones diſtinguuntur formaliter, & in recto, quarum obiecta principalia, & adæquata diſtinguuntur in recto, & formaliter: ſed obiecta principalia dictionis, & intellectionis diſtinguuntur prædicto modo: ergo dictio, & intellectio ſunt actiones formaliter, & in recto diuerſæ. Probatur minor: quia obiectum formale, & adæquatum intellectionis eſt res intellecta; obiectum vero formale, & adæquatum dictionis eſt verbum dictum: verbum autem, & obiectum differunt formaliter, & in recto.

Reſpondetur negando minorem: quoniam in obiecto proprio dictionis includitur formaliter obiectum proprium intellectionis; ſiquidem verbum dictum repræſentat, atque importat rem intellectam. Et ideo inquit D. Thom. *loco ſupra citato*, quod *dicere importat mediante verbo habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifeſtatur intelligenti.* Vnde argumentum poteſt in contrarium retorqueri: nam ſicut obiectum intellectionis includitur in obiecto dictionis: ita oportet, quod intellectio includatur in dictione. Præterquam quod, cùm dicitur obiectum principale dictionis eſſe verbum productum, non ſumitur dictio præciſiue in vi actionis quo pacto eſt idem formaliter ac intellectio, & reſpicit primario rem

intelle

intellectam; sed exprimit modum fæcunditatis, secundum quem respicit primario verbum. Vnde non concluditur, quod intellectio & dictio differant vt duæ actiones; sed vt actio secundum se, & eadem actio vt modificata.

QVÆSTIO IV.

Vtrum omnis intellectio creata producat verbum.

NOn loquimur præcise de intellectione humana, sed omnem intellectionem creatam complectimur: quoniam generalis est in hac parte pro omnibus difficultas, vt ex dicendis constabit.

§. I.

Prima conclusio pro dubij decisione.

22 DIcendum est primo intellectionem, qua beati vident Deum in se ipso, non producere verbum. Ita D. Th. 1. *p. q.* 12. *articulo* 2. Quem sequuntur Caiet. Bañez, Nazar. Zum. Gonzal. Nauarr. Ripa, & Iauel. *eodem. loco.* Capreol. *in* 4. *dist.* 49. *qu.* 5. Salmantic. *tract.* 9. *disp.* 2. *dub.* 9. & communiter Thomistæ.

Probatur ratione: quoniam species intentionalis maxime vero expressa, seu verbum est eiusdem naturæ cum obiecto, saltem in modo essendi repræsentatiuo, vt ostendimus *disp.* 7. *qu.* 3. sed repugnat quod aliquid creatum sit eiusdem naturæ cum Deo sub aliquo modo essendi reali, etiam intentionali; siquidem, vt communiter docent Theologi, & Philosophi, repugnat dari aliquod prædicatum vniuocum Deo, & creaturæ, sub quocumque modo reali considerentur: ergo visio beata non format verbum: alias prædictum verbum esset eiusdem naturæ cum obiecto primario dictæ visionis, quod est Deus.

Confirmatur: quia intellectio non est actio prædicamentalis, sed quædam qualitas actualissima, & satis perfecta: ergo verbum non requiritur pro consistentia eiusdem intellectionis; sed aliunde, nempe vt obiectum constituatur intra intellectum, & fiat actu repræsentatum seu terminans cognitionem: ergo quando obiectum fuerit ita actuale, atque immateriale, vt per se ipsum sit intra intellectum, & terminet intellectionem, non est necessarium quod intellectio producat verbum: sed ita habet Deus clare visus; cum sit actus purissimus, de cuius ratione est esse actu intellectum, & terminare cognitionem: ergo non est necessarium, quod in visione clara Dei formetur verbum.

23 Dices: quamvis Deus habeat essentialiter esse actu intellectum à se ipso; non tamen ab intellectu creato: ergo licet vt Deus cognoscat se ipsum, non indigeat verbo; tamen vt creatura cognoscat Deum debet formare verbum, per quod Deus reddatur actu cognitus ab ea.

¶ Respondetur negando consequentiam: nam hoc ipso, quod essentia diuina habeat essentialiter, & in actu terminare primum terminabile, nempe intellectionem diuinam, potest se extendere absque vlla additione ad terminandum secundaria terminabilia: & quod actu non terminet illa, non prouenit ex defectu, vel potentialitate ipsius; sed ex defectu, ac potentialitate intellectionis creatæ: vnde positis requisitis ex parte intellectus creati, statim essentia diuina terminat per se ipsam eius intellectionem, exercetque proinde ratione verbi. Quod declarari potest exemplo personalitatis diuinæ, quæ hoc ipso, quod sit subsistentia in abstracto, & per modum actus purissimi; habet ex parte sua, quidquid requiritur ad terminandam naturam creatam, & illam absque vlla ex parte sui additione potest actu terminare, vt constat in Christo Domino.

§. II.

Statuitur secunda conclusio.

24 DIcendum est secundo omnem intellectionem creatam, excepta visione beatifica, producere verbum. Sic docet D. Thom. 4. *contra Gentes, cap.* 11. *& q.* 9. *de potentia art.* 5. *& alibi* sæpe. Cui subscribunt Ferrar. 1. *cont. gent. cap.* 35. Bañez, & Nazar. 1. *p. qu.* 27. *art.* 1. & communiter Thomistæ.

Fundamentum est: quoniam in omni intellectione debet obiectum habere esse intra intellectum, & illi intrinsecè vniri in ratione obiecti actu terminantis intellectionem: sed solus Deus claré visus potest exercere hæc munera per se ipsum: ergo in omni alia intellectione, præter beatificam, debet formari verbum per quod obiectum habeat esse intra intellectum, & actu terminet intellectionem. Consequentia constat. Maior autem ostenditur: tum quia de ratione intellectus est attingere obiectum trahendo illud ad se: ergo sicut ob hanc causam debet obiectum habere esse intra intellectum in ratione obiecti motiui, & influere in intellectionem, ita etiam debet esse intra intellectum in ratione obiecti terminatiui, & terminare in actu intellectionem. Tum etiam, quia obiectum eodem modo terminat intellectionem siue existat, siue non existat ad extra: ergo non terminat intellectionem, nisi secundum esse, quod habet intra intellectum: ergo vt cognoscatur, debet habere prædictum esse. Minor etiam probatur: quoniam omnis intellectio, quæ non est clara Dei visio, vel terminatur ad aliquod obiectum materiale: & hoc non existit per se ipsum intra intellectum, vt ex se liquet. Vel terminatur ad aliquid spirituale creatum; & hoc quamvis possit per seipsum esse intra intellectum; tamen non petit essentialiter terminare actu intellectionem, vt patet in essentia Gabrielis se cognoscentis. Vel denique terminatur ad Deum obscurè cognitum: & tunc non cognoscitur Deus nisi per creaturas: vnde sicut in harum cognitione formatur verbum, ita in cognitione Dei obscura. Solus ergo Deus clare visus

potest

potest per se ipsum exercere rationem verbi: ac proinde sola visio clara Dei est intellectio non formans verbum.

25 Nec refert si contra assertionem, & illius fundamentum obijcias *primo*: nam Aristot. 9. *Metaph. text.* 16. ponit differentiam inter actionem immanentem, & transeuntem, quod hæc producit terminum, non vero illa. Quod apertius docet D. Thom. 1. *cont. Gent. cap.* 90. vbi definit actionem immanentem esse, quæ nihil præter se ipsam producit. Cum igitur omnis intellectio sit actio immanens, sequitur, quod nulla producat terminum. *Secundum*: quia obiectum trahitur ad intellectum per speciem intelligibilem: ergo non est necessarium quod in intellectione formetur verbum, per quod obiectum iterum trahatur. *Tertio*: nam obiectum non terminat intellectionem intuitiuam, nisi secundum esse naturale, quod habet in se ipso: quo si careat solum cognoscitur abstractiue: ergo falsò diximus obiectum eodem modo terminare cognitionem, siue existat ad extra, siue non existat. *Quartò*: quoniam visio intellectualis longè perfectior est, quam visio corporalis: sed hæc non indiget verbo, aut termino producto, vt attingat obiectum, vt docet D. Thom. *quodl.* 5. *art. ad* 2. ergo visio intellectualis, siue intellectio non indiget verbo ad attingendum obiectum. *Quinto*: quia actus voluntatis, & appetitus non producunt terminum ad intra: ergo nec actus intellectus.

Eæ inquam obiectiones non referunt: ad primam enim respondetur discrimen quod Aristot. & D. Thom. constituunt inter actionem immanentem, & transeuntem, in eo consistere, quod transiens necessario, & ob sui indigentiam producit terminum, ad ipsumque tanquam ad finem ordinatur: immanens vero ex genere suo non petit producere terminum, sed potest, quantum est de se, absque illo consistere: vnde non producit ipsum ob sui indigentiam, sed ob indigentiam obiecti: nec tunc ordinatur ad terminum tanquam ad finem, sed potius terminus est propter actionem.

Ad secundam dicendum obiectum trahi ad intellectum per speciem intelligibilem in ratione obiecti motiui, non vero in ratione obiecti terminatiui: quia species non terminat; sed originat intellectionem, saltem directam: & ideo præter speciem impressam, est necessaria species expressa, seu verbum terminans intellectionem. Et quamvis species intelligibilis possit cognosci per intellectionem reflexam, & tunc exerceat rationem obiecti terminantis; tamen non terminat per se ipsam; cum de eius essentia non sit actu cognosci: quamobrem indiget verbo, per quod actu terminet prædictam intellectionem.

Ad tertiam respondemus obiectum non terminare intellectionem intuitiuam, nisi actu existat in se: at quod existat in se, non sufficere, vt terminet dictam intellectionem; sed insuper desiderari, quod existat intra intellectum. Vnde quoties per se ipsum non est intime vnitum

intelle

intellectui, & actu terminans cognitionem; toties indiget verbo à se distincto, quod ei præstet esse actu cognitum. Et ideo neganda est consequentia: quia cum diximus obiectum eodem modo terminare intellectionem, siue existat, siue non existat ad extra; loquebamur de ratione formali terminandi ad intra: hæc enim semper est verbum respectu intellectionis tam abstractiuæ, quam intuitiuæ, quam obiectum non terminat per se ipsum.

Ad quartam negamus consequentiam: quoniam ex ipso excessu visionis intellectualis supra corpoream oritur, quod illa producat verbum, non vero ista. Intellectus enim ob suam perfectionem trahit ad se res in ratione obiecti tam motiui, quam terminatiui: cuius signum est, quod eodem modo terminatur ad rem quidditatiue cognitam, siue hæc existat in se, siue non: & ideo producit verbum, per quod obiectum habeat esse intra ipsum intellectum. Cæterum sensus externus, ob suam infimam perfectionem in ratione potentiæ cognoscitiuæ, tantum petit trahere ad se obiectum in ratione obiecti motiui; non vero in ratione obiecti terminatiui. Vnde sensus exterior nequit attingere rem absentem, aut non existentem: sed ad existentem, ac præsentem postulat terminari in se ipsa: quapropter nullum producit terminum, in quo trahat obiectum ad se.

Ad quintam negatur antecedens: nam vt inquit D. Thom. 1. *p. qu.* 37. *art.* 1. *Sicut ex hoc, quod aliquis rem aliquam intelligit, prouenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, prouenit quædam impressio rei amatæ in affectu amantis, secundum quam amatum habet esse in amante, sicut intellectum in intelligente.* Et quamvis circa hanc doctrinam plures se offerant difficultates; ab illis tamen proponendis, & diluendis supersedemus: quia & hic non habent proprium locum, & eas plena manu congerunt N. Salmant. *in tract. de Trinitat.* (vbi propria sede gaudent) *disp.* 3. *dub.* 1. *à num.* 6.

§. III.

Satisfit argumentis contra primam conclusionem.

26 OMnem intellectionem creatam producere verbum docent Molina 1. *p. quæst.* 27. *art.* 1. Vazq. *qu.* 12. *art.* 2. *cap.* 1. Suar. *disp.* 48. *Metaph. sect.* 2. & alij plures. Et probatur primo ex D. Thom. 1. *qu.* 27. *art.* 1. vbi inquit: *Quicumque intelligit ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.* Sed quod conuenit intelligenti ex hoc ipso, quod intelligit, conuenit omni intelligenti: ergo omne intelligens, & qualecumque obiectum intelligat producit verbum. ¶ Confirmatur ex eodem S. Doctore qui *qu.* 4. *de verit. art.* 2. hæc habet: *Et hoc vniuersaliter verum est de*

de omni, quod à nobis intelligitur, siue per essentiam intelligatur, siue per similitudinem: ipsa enim conceptio est effectus intelligendi. Vnde etiam, quando mens intelligit se ipsam, eius conceptio non est ipsa mens; sed aliquid expressum à notitia mentis. Ergo nulla est intellectio, quæ non formet verbum, quantumuis attingat obiectum, per essentiam intelligite.

Respondetur D. Thom. in prima auctoritate loqui de omni intelligente per intellectiones ordinis naturalis, in quibus fatemur semper produci verbum; non vero de intelligente per visionem beatam. Quod satis euincitur ex ipsa intentione S. Doct. eò quippe collimabat, vt ex intellectione creata suaderet produci verbum in intellectione diuina. Ad quod non debuit assumere pro principio, quod omnis intellectio, comprehendendo etiam visionẽ beatificam, produceret verbum: tum quia prædicta visio sola fide cognoscitur: tum quia incertum, imo falsum est quod verbum producat: & ita ab incertis, atque obscuris procederet, quod est inconueniens. Vnde illa propositio: *quicumque intelligit &c.* solum distribuit intellectiones ordinis naturalis, quæ in communi Philosophorum sententia producunt verbum, & ex quibus conueniens ratio desumitur ad suadendum quod intellectio diuina producit verbum ex fœcunditate. ¶ Cofirmatio habet minorem difficultatem: nam S. Doct. solum intendit, quod in omni intellectione naturali producatur verbum, siue obiectum vniatur intellectui per speciem intelligibilem à se distinctam; siue per suam essentiam exerceat officium prædictæ speciei, vt contingit in Angelis, & in anima separata: adhuc enim est necessarium verbum reddens obiectum actu intellectum, vt diximus in secunda conclusione.

27 Arguitur secundo: quia S. Patres explicant processionem Verbi diuini per analogiam ad productionem verbi creati: sed hæc similitudo erit conuenientior, si dicamus vniuersaliter omnem intellectionem creatam producere verbum: ergo ita asserendum est. ¶ Ad hoc tamen facilè constat ex nuper dictis: nam sacri Doctores non comparant generationem Verbi diuini visioni beatæ, quæ sola fide cognoscitur; sed intellectionibus nostris naturalibus, quæ sunt notiores, perindeque aptiores ad prædictam similitudinem. In prædictis autem intellectionibus fatemur semper produci verbum.

28 Arguitur tertio: quia si aliqua intellectio non produceret verbum, maxime illa, quæ habet obiectum immateriale præsens, atque intime vnitum intellectui, vti est intellectio, qua Angelus cognoscit suam essentiam: sed hæc etiam producit verbum, vt docet D Thom. 4. *cont. gent. cap.* 11. vbi loquens de Angelis inquit: *Nondum ad vltimam perfectionem vitæ eorum pertingit: quia licet intentio intellecta sit eis omnino intrinseca; non tamen ipsa intensio intellecta est eorum substantia: quia non est in eis idem intelligere, & esse.* Nulla igitur est intellectio creata, quæ verbum non producat. ¶ Confirmatur: quia vt aliquis intelligat in

actu, debet fieri res intellecta in actu: sed sicut fit res intellecta in habitu per speciem intelligibilem; ita fit res intellecta in actu per verbum: ergo in omni intellectione requiritur verbum.

Respondetur concedendo maiorem intellectam de obiecto adeo immateriali, vt de eius essentia sit esse actu intellectum, seu ipsum intelligi. Vnde quia hoc habet essentia diuina clare cognita, ideo per se ipsam exercet officium verbi; quin necessarium sit verbum producere. Essentia autem Angeli non pertingit ad tantam immaterialitatem, v. g. de eius essentia sit actu cognosci, seu actu terminare intellectionem: & ideo indiget verbo distincto, per quod reddatur actu cognita. Quod non euertit primam assertionem; sed firmat secundam, vt constat ex dictis. ¶ Ad confirmationem distinguendum est consequens, & si intelligatur de verbo dicto vel vnito, concedatur; si determinatè de verbo dicto, negetur. Nam licet in omni intellectione requiratur, quod intelligens fit intentionaliter res intellecta in actu; ad hanc tamen intentionalem transformationem non desideratur determinatè verbum per intellectionem productum: sed vel sufficit istud, vt in intellectionibus naturalibus; vel sufficit obiectum gerens per se ipsum rationem verbi, vt in visione beatifica.

29 Arguitur quarto: quia omnis vera actio debet producere terminum à se distinctum: sed omnis intellectio est vera actio: ergo omnis intellectio producit terminum à se distinctum, nempe verbum. ¶ Confirmatur: nam si intellectio non produceret terminum à se distinctum, simul fieret vt *quo* & vt *quod*: consequens est absurdum: ergo. Probatur minor: tum quia si fieret vt *quo*, & vt *quod*, præcederet se ipsam; atque ideo esset, antequam esset, quod implicat. Tum etiam quia omnis effectus distinguitur à sua causa: ergo etiam distinguitur à sua causalitate: ergo nullus fit simul vt *quo*, & vt *quod*; alias simul esset effectus, & causalitas.

Respondetur argumento maiorem vniuersaliter intellectam solum verificari in actione transeunti; non vero in actione immanenti, qualis est intellectio. Et ratio habetur ex dictis in tota hac disputat. quoniam intellectio est quædam qualitas valde actualis, & perfecta; vnde potest; quantum est de se, consistere sine termino, & verbo; si istud alias non foret necessarium ex parte obiecti. Ob suam tamen eminentiam æquiualet actioni transeunti, & eius termino: actioni quidem, quia est actualissimum exercitium potentiæ vitalis; termino autem, quia est qualitas ex se permanens, & valde perfecta. Quamobrem licet actio prædicamentalis terminum ex se inferat necessario, & nequeat absque illo consistere, ex eo quod nihil aliud est, quam fieri termini: intellectio tamen potest ob oppositam conditionem absque termino consistere: & simul illum ob suam eminentiam infert, quoties obiectum non terminat per se ipsum.

Ad

Ad confirmationem concessa maiori negatur minor, quæ neutra probatione suadetur: ex eo enim, quod intellectio ob suam eminentiam fiat vt *quo*, & vt *quod*, non sequitur quod præcedat se ipsam; sed potius sequitur oppositum, nempe habere simul fieri vt *quo*, & vt *quod*: quia simul est & exercitium potentiæ & qualitas perfecta seu effectus. Neque est vniuersaliter verum, quod effectus distinguatur realiter à sua causalitate; sed solum verificatur in actione & effectu inferioris rationis: nam forma eminens, qualis est intellectio, potest vtrumque munus exercere, & causalitatis, quia est exercitium potentiæ vitalis; & effectus, quia est qualitas perfecta, & non ordinatur ad terminum vlteriorem.

QVÆSTIO V.

Qualiter intellectus primo cognoscat singularia.

DEcisio huius quæstionis habetur maiori ex parte ex dictis *disp.* 16. *quæst.* 2. vbi ostendimus obiectum proportionatum nostri intellectus pro hoc statu esse quidditatem materialem abstractam à singularibus: & ex dictis *disp.* 17. *quæst.* 6. vbi statuimus speciem immediate productam ab intellectu agente non repræsentare directè singularia, sed quidditatem ab eis præcisam. Et ideo paucis absoluemus hanc difficultatem. Quæ & supponit, quod intellectus noster cognoscat singularia, & quod hæc possint repræsentari aliqualiter directè per speciem productam ab intellectu possibili, relictamque ex præcedenti cognitione, per quam quidditas cognoscitur: vnde solum procedit de modo, quo singularia prima vice cognoscuntur.

§. vnicus.

Proponitur, & vindicatur vera sententia.

30 DIcendum est primam cognitionem singularium non attingere illa directè, sed per quandam reflexionem. Hanc docent Aristot. *in hoc lib. text.* 10. D. Th. *ibid. lect.* 8. & 1. *p. quæst.* 86. *art.* 1. & communiter Thomistæ. Quibus etiam consentiunt Henricus *quodlib.* 4. *quæst.* 21. Abulens. super Math. *cap.* 25. *qu.* 617. & alij.

Primam assertionis partem, videlicet intellectum nostrum non attingere directè singularia in prima cognitione probat D. Thom. *quæst.* 2. *de verit. art.* 6. hac ratione: *Quælibet actio sequitur conditionem formæ agentis, quæ est principium actionis, sicut calefactio mensuratur secundum modum caloris: similitudo autem cogniti qua informatur potentia cognoscitiua, est principium cognitionis secundum actum, sicut calor calefactionis: & ideo oportet vt qualibet cognitio sit per modum formæ, quæ est in cognoscente. Vnde cum similitudo rei, quæ est in intellectu nostro, accipiat separata à materia, & ab omnibus*

materialibus conditionibus, quæ sunt individuationis principia; relinquitur, quod intellectus noster per se loquendo singularia non cognoscat; sed vniuersalia tantum: sed per accidens contingit, quod intellectus noster singulare cognoscat. Quæ ratio innititur doctrinæ, quam supra tradidimus, videlicet speciem deseruientem primæ nostri intellectus cognitioni non repræsentare directè singularia, sed tantum naturam: hinc enim rectè concluditur primam cognitionem debere esse naturæ, & non singularium.

31 Secundam vero eiusdem conclusionis partem, nimirum intellectum nostrum posse indirectè, & per quandam reflexionem venire in notitiam singularium, probat, & explicat idem S. Doct. *quæst. de Anima articulo* 20. *ad* 1. ex his quæ secundo loco obiecerat, vbi hæc habet: *Dicendum, quod anima coniuncta corpori per intellectum cognoscit singulare, non quidem directè, sed per quandam reflexionem, in quantum scilicet ex hoc, quod apprehendit suum intelligibile, reuertitur ad considerandum suum actum, & speciem intelligibilem, quæ est principium suæ operationis, & eius speciei originem: & sic venit in considerationem phantasmatum, & singularium, quorum sunt phantasmata.* Itaque licet species abstracta à phantasmatibus non repræsentet directè singularia; attamen virtualiter, & in confuso illa repræsentat: eò quod natura in prædicta specie repræsentata est natura eorundum singularium: & idcirco deseruit vt intellectus noster, qui discursiuus est, ducatur per quandam reflexionem, & quasi arguitiuè in singularium notitiam.

Confirmatur: nam eo ipso, quod species abstracta à phantasmatibus solùm virtualiter, & in confuso, atque indeterminatè repræsentet singularia; nequit intellectus in perfectam notitiam eorum deuenire, nisi se conuertat ad phantasmata, in quibus singularia relucent: ergo prima cognitio singularium non est directa, sed reflexa. Patet consequentia: quia cùm à sensu externo ad phantasiam, & à phantasia ad intellectum progreditur cognitio, tunc progressus est directus: ergo è conuerso quando ab intellectu regreditur ad phantasmata tunc modus procedendi est indirectus, atque reflexus.

32 Contrariam doctrinam tuentur illi Auctores, qui docent speciem immediate productam ab intellectu agente repræsentare directe, & per se primo singularia. Et potest ita suaderi: quoniam singularia nequeunt primo cognosci per speciem repræsentantem naturam præcisam à singularibus: ergo cognoscuntur per speciem repræsentantem directè ipsa singularia: sed cognitio quæ habetur per speciem directe aliquod obiectum repræsentantem, attingit directe ipsum obiectum: ergo intellectus noster, cùm primo attingit singularia, cognoscit illa directè. Cætera constant, & antecedens suadetur: quoniam ad cognitionem cuiuscumque obiecti

iecti requiritur ſpecies repræſentans id, quod de obiecto cognoſcitur; ſed ſpecies repræſentans quidditatem præciſam à ſingularibus non repræſentat ſingularia, vt liquet ex terminis: ergo ſingularia nequeunt primò cognoſci per prædictam ſpeciem.

Confirmatur: nam ideo poteſt viſus attingere primo, & directe hoc album, aut hoc nigrum, quia eſſentialiter continentur ſub calore, qui eſt obiectum adæquatum viſus: ſed etiam ſingularia materialia continentur eſſentialiter ſub quidditate materiali, quæ eſt objectum adæquatum, & proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu: ergo intellectus noſter poteſt attingere directe ſingularia, cùm primo illa cognoſcit: ¶ Confirmatur ſecundo: quoniam ex oppoſito fieret intellectum noſtrum eodem modo attingere ſingularia materialia, ac ſpiritualia; ſiquidem hæc indirectè valet etiam attingere: conſequens eſt abſurdum; cùm in ſingularibus naturalibus per ſe includatur ratio formalis *quæ* noſtri intellectus pro hoc ſtatu, nempe quidditas materialis, non vero in ſingularibus ſpiritualibus: ergo ſingularia materialia attinguntur directe ab intellectu noſtro cùm primo cognoſcuntur.

Reſpondetur argumento negando antecedens: ad cuius probationem dicendum eſt, quod licet per ſpeciem nequeat cognoſci illa ratio obiecti, quæ nullo modo per ſpeciem repræſentatur; poteſt tamen per aliquam ſpeciem cognoſci ſaltem indirectè, & reflexè id, quod in prædicta ſpecie repræſentatur virtualiter, & in confuſo. Species autem abſtracta à phantaſmatibus ita habet à ſingularibus formaliter præſcindere; vt nihilominus ea virtualiter includat, quatenus importat eorum naturam, in qua potentialiter, & in confuſo omnia ſingularia præcontinentur. Vnde cùm intellectus noſter ſit diſcurſiuus, poſſitque ex vno aliud deducere; ſufficienter conſtituitur in actu primo per prædictam ſpeciem, vt valeat in cognitionem ſaltem virtualem, & reflexam ſingularium deuenire. Ad quod plurimum adjuuatur per conuerſionem, & regreſſum ad phantaſmata, per quæ obiectiuè determinatur, vt in ipſis explicatum inueniat, quod confusè, & implicitè importat ſpecies intelligibiles.

Ad primam confirmationem negamus conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod hoc album & hoc nigrum continentur per ſe ſub obiecto viſus nedùm in eſſe rei, ſed etiam in eſſe obiecti: eò quod ſenſus attingit per ſe obiectum in ſingulari. Cæterum ſingularia materialia continentur quidem in eſſe rei ſub quidditate materiali, quam eſſentialiter participant; non tamen continentur in eſſe obiecti: nam obiectum proportionatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſt quidditas materialis non vtcumque, ſed abſtracta ab indiuiduis: hac quippe ratione habet conuenientiam cum noſtro intellectu in eodem gradu

immaterialitatis, vt constat ex supra dictis.

Ad secundam negatur sequela absolutè intellecta: quia licet singularia tàm materialia, quàm spiritualia cognoscantur indirectè ab intellectu nostro pro hoc statu; tamen materialia multo perfectiùs cognoscuntur, quam spiritualia: eò quod singularia materialia participant essentialiter in esse entis quidditatem materialem, quæ est obiectum proportionatum nostri intellectus: spiritualia autem neque sunt obiectum proportionatum nostri intellectus, neque illud vllo modo determinant, aut modificant. Vnde solùm imperfectè possumus spiritualia pro statu præsenti cognoscere, vt docet D. Thom. *prima parte quæstione* 88. *art.* 2. *ad* 1. his verbis: *Ex rebus materialibus ascendere possumus in aliqualem cognitionem immaterialium rerum; non tamen in perfectam: quia non est sufficiens comparatio rerum materialium ad immateriales: sed similitudines, si quæ à materialibus accipiuntur, ad immaterialia intelligenda sunt multum dissimiles, vt Dionisius dicit in* 2. *Cœlestis Hierarchiæ.*

QVÆSTIO VI.

An intellectio huius status pendeat naturaliter ab operatione phantasiæ?

COnsultò dubitamus de solâ intellectione præsentis status illam enim, quam eliciet anima vel separata à corpore, vel corpori glorioso vnita, supponimus à phantasiæ operatione non dependere: Nec dubium procedit per respectum ad absoluram Dei potentiam, secundum quam non dubitamus intellectionem præsentis status posse absolui ab operatione phantasiæ; sed tantum versatur attentis naturis rerum, & earum communi cursu. Porrò phantasiæ nomine non significamus peculiarem sensum internum, qui prædicto nomine solet specialiter insigniri; sed in præsenti prædicto vocabulo designatur generaliter quicumque sensus internus, qui tàm in absentia, quàm in præsentia obiecti ferri potest in ipsum, & qui phantasia solet non semel apud Philosophos appellari.

§. I.

Præfertur sententia Diui Thomæ.

33 Dicendum est quamlibet intellectionem huius status dependere naturaliter ab operatione phantasiæ, ita vt nequeat dari operatio intellectus, quin simul detur operatio phantasiæ. Hanc statuit D. Thom. *prima parte quæstione 84 art. 7.* his verbis: *Respondeo dicendum, quod impossibile est intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu nisi conuertendo se ad phantasmata.* Desumpsitque hanc doctrinam ex Aristot. *in præsenti, text. 39.* quem ita illustrat *lection. 13. Quia dixerat quod intellectus est quodammodo intelligibilis, sicut sensus sensibilis posset aliquis credere, quod intellectus non dependeret à sensu. Et hoc quidem verum esset, si intelligibilia nostri intellectus essent à sensibilibus separata secundum esse, vt Platonici posuerunt. Et ideo hic ostendit, quod intellectus indiget sensu*, &c. Vnde ita docet Caietanus, & Bannez *loco cit. ex prima parte*, & communiter Thomistæ, alijque plures.

Probatur primo à posteriori, seu à signo: quoniam si intellectio huius status non dependeret naturaliter ab operatione phantasiæ, nulla esset ratio cur phantasia læsa vt in amentibus, vel ligata vt in dormientibus, impediretur vsus rationis; siquidem adhuc remanerent omnia, quæ ex parte intellectus requiruntur ad intelligendum, nempe potentia, & species: atqui læsa, vel ligata phantasia, impeditur vsus rationis, vt experientia conuincit: ergo signum est, quod intellectio huius status dependet naturaliter ab operatione phantasiæ. ¶ Confirmatur: nam experimur, quod quoties aliquid volumus intelligere, siue corporeum siue spirituale sit, toties formamus aliquod idolum corporeum in phantasia: vnde etiam prouenit, quod intelligendo defatigemur: sed huius nequit alia ratio designari, nisi naturalis dependentia intellectionis huius status ab operatione phantasiæ: datur ergo prædicta dependentia.

34 Quod secũdo probatur à priori: nam modus operandi naturaliter sequitur modum essendi: sed anima nostra pro hoc statu habet dependentiam à corpore, licet minimam; dependet enim ab eo in sua vnione, & informatione, quamvis non in sua entitate: ergo operatio animæ nostræ debet pro hoc statu à corpore dependere, minima saltem dependentia: hæc autem dependentia nequit consistere in eo, quod intellectio exerceatur per organum corporeum; cùm ista non sit minima, sed maxima dependentia operationis à corpore: ergo consistit in eo, quod nequeat existere, quin ei coexistat operatio phantasiæ.

Dices hanc rationem, si quid probat, conuincere etiam, quod intellectio animæ in statu beatifico

depen

dependeat à corpore; siquidem adhuc in prædicto statu vnio, atque informatio animæ habet à corpore dependentiam: consequens est contra communem consensum Theologorum: ergo adducta ratio nequit conuincere. ¶ Respondetur negando sequelam: quoniam vis nostræ rationis non fundatur in quacumque informatione, vel vnione animæ nostræ ad corpus; sed in informatione imperfecta, in ea videlicèt, quæ non præstat animæ, vt perfectè dominetur corpori, ipsumque sibi subijciat in proprijs operationibus. Informatio autem animæ glorioſæ est talis conditionis, vt ex vi illius corpus plene subijciatur animæ tàm in esse, quàm in operari: vnde prouenit, quod anima possit intelligere independenter à corpore. Quam doctrinam tradit D. Thom. *tertia parte quæstione vndecima, articulo secundo*, docens, qualiter anima Christi Domini potuerit intelligere absque conuersione ad phantasmata. *Est autem, inquit, hæc conditio animæ comprehensoris, vt nullo modo subdatur corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Vnde, & post resurrectionem ex anima gloria redundat ad corpus. Ex hoc autem anima viatoris indiget ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta: atque ab eo dependens. Et ideo animæ beatæ & ante resurrectionem, & post, possunt intelligere absque conuersione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.*

§. II.

Refertur opinio contraria.

35 COntrariæ sententiæ, quæ docet intellectionem huius status non dependere ex natura rei ab operatione phantasiæ, fauere videntur B. Albert. 3. *de Anima tract. 2. cap.* 19. Carthusian. super Dionysium de Mystica Theologia, Auerroes Auicenna, Thomistius, & alij. Quæ potest suaderi primo: quoniam in altissima contemplatione rerum spiritualium potest dari cognitio earum, quin ibi interueniat operatio phantasiæ, vt docent nonnulli contemplatiui: ergo intellectio huius status non pendet ab operatione phantasiæ.

Confirmatur primo: nam cùm virtus animæ sit finita, operatio valde intensa vnius potentiæ diminuit, vel impedit operationem alterius potentiæ: & hac ratione impediuntur operationes partis vegetatiuæ, quando nimis vacamus studijs: ergo poterit in contemplatione adeò crescere attentio ad diuina, vt omnino cesset operatio phantasiæ. ¶ Confirmatur secundo: quia plura pro hoc statu intelligimus, quorum nullum est phantasma, vtputa Deum, & Angelos: ergo in horum cognitione nec requiritur, nec prodest conuersio ad phantasmata; atque ideo non erit necessaria operatio phantasiæ, vt intellectus queat prædicta obiecta intelligere.

Respon

Respondetur ad argumentum negando antecedens intellectum de contemplatione purè naturali: nam quidquid illi contemplatiui opinentur: *Impossibile est superlucere in nobis diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvalletur*, vt inquit Dionys. *cap. 6. de diuinis nominibus*, & docent August. 4. *super Genes. ad liter. cap. 6.* Gregor. *super 1. Regum cap. 7.* alijque Patres contemplationi maximoperè dediti. Quod satis euincit ipsa defatigatio, quam contemplando sentimus: quæ proculdubio prouenit ex consumptione spirituum vitalium, qui phantasiæ deseruiunt.

Ad primam confirmationem negatur consequentia: nam cùm operationes phantasiæ, & intellectus sint pro hoc statu inter se subordinatæ; nequit vna alteram impedire; sed vel vtraque cessat, vel vtraque adest. Ratio autem, quare nimium studium impediat cibi decoctionem habetur ex dictis *in libris Physicorum, disputatione decima, quæstione quarta.* ¶ Secundam confirmationem diluit D. Thom. *prima parte quæstione 84. articulo septimo in solutione ad tertium*, his verbis: *Dicendum, quod incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata: sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur: Deum autem, vt Dionysius dicit, cognoscimus, vt causam, & per excessum, & remotionem. Alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Et ideo cùm de huiusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus conuerti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sint phantasmata.*

36 Secundo arguitur: quia anima nostra in omni statu est simpliciter independens à corpore, vt constat *ex supra dictis, disputatione decima quinta, quæstione prima*, ergo in omni statu habet intellectionem independentem à corpore: sed si intellectio penderet ab operatione phantasiæ, non esset à corpore independens, vt ex terminis liquet: ergo intellectus huius status non dependet ab operatione phantasiæ. Prima consequentia, in qua sola potest esse difficultas, probatur: nam ideo aliæ formæ non habent operationem independentem à corpore, quia ipsæ dependent à corpore: ergo si anima nostra pro omni statu est à corpore independens, debet saltem habere aliquam operationem, videlicet intellectionem, quæ à corpore non dependeat.

Respondetur concedendo primam consequentiam, si intelligatur de independentia, quæ excludat dependentiam simpliciter; non vero dependentiam minimam, & secundum quid. Nam sicut optime cohæret, quod anima in suo esse sit simpliciter independens à corpore; & quod nihilominus

habeat minimam dependentiam ab illo, videlicet in vnione, & informatione: ita rectè componitur, quod intellectio huius ſtatus ſit ſimpliciter independens à corpore, cùm non exerceatur per organum corporeum; & quod nihilominus dependeat aliquomodo à corpore, quatenus nequit elici, quin ſimul adſit operatio phantaſiæ. Aliæ autem formæ habent operationem dependentem à corpore non vtcumque, ſed ſimpliciter ſicut ipſæmet formæ dependent.

37 Tertio arguitur: nam ad quamlibet operationem ſufficit dependentia à ſuo principio adæquato: ſed principium adæquatum intellectionis huius ſtatus eſt anima, intellectus, & ſpecies, vt patet inductiuè in cognitionibus aliarum potentiarum: ergo non eſt neceſſarium, quod intellectio huius ſtatus dependeat ab operatione phantaſiæ.

Reſpondetur negando minorem intellectam de principio adæquato complectenti omne requiſitum ad intelligendum: ad hoc quippe etiam ſpectat concurſus phantaſiæ, vt conſtat ex hactenus dictis. Nec oppoſitum poteſt ſuaderi ex operationibus potentiarum ſenſitiuarum; nam huiuſmodi operationes, ſeclusa dependentia ab alijs potentijs, habent ſimpliciter dependentiam à corpore; cùm exerceantur per organum corporale, & recipiantur in eo. Operatio autem intellectus eſt ſimpliciter à corpore independens, vtpote quæ in illo nec exercetur, nec recipitur: vnde ſi non dependeret ab operatione phantaſiæ modo explicato, eſſet omnibus modis independens à corpore. Cùm ergo opus ſit intellectionem huius ſtatus habere aliquam, etſi minimam dependentiam à corpore; neceſſarium etiam eſt, quod dependeat ab operatione phantaſiæ: & conſequenter principium illius omnibus modis adæquatum non conſiſtit in ſolis anima, intellectu, & ſpecie; ſed comprehendit operationem phantaſiæ, & illius myſterium.

DISPV

DISPVTATIO XXI.

De appetitu rerum cognoscentium.

POST notitiam potentiarum cognoscitiuarum, & actuum eius, cui incubuimus hucusque; succedit, vt differamus de potentijs appetitiuis. Et quamvis circa hanc materiam possemus plures excitare quæstiones, consultò ab eis majori ex parte abstinebimus: quia illas communiter versant Theologi cum D. Thom. in prima secundæ, vbi propriam sedem habent. Quamobrem in præsenti eas præcisè difficultates tractandas seligemus, quas necessarias judicauerimus ad completam animæ notitiam.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit appetitus proprius rerum cognoscentium?

SVpponit titulus dari appetitum tùm innatum, tùm elicitum. Ille inuenitur in omnibus rebus etiam cognitionis expertibus, consistitque in earum entitate, quatenus se ipsa propendit in proprium finem, & bonum sibi conueniens. Iste vero in solis cognoscentibus reperitur, & aliquid addit supra eorum essentiam, & entitatem. Quoniam ad quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio, quam vocamus appetitum: cognoscentia autem præter formam naturalem omnibus rebus communem, habent etiam aliam formam, nempe speciem intentionalem: & ideo præter appetitum naturalem, siue innatum, & communem omni enti, vendicant sibi peculiarem appetitum: & de isto procedit præsens quæstio, quam breuiter absoluemus.

§. vnicus.

Explicatur communis sententia.

1 DIcendum est primo appetitum proprium rerum cognoscentium esse potentiam vitalem passiuam natam moueri ab apprehenso: Ita Aristot. *in præsenti textu* 50. D. Thom. *prima parte quæstione* 80. *art.* 1. & communiter Philosophi. Ratio est: quoniam appetitus vt sic mouetur ad bonum: sed appetitus rerum cognoscentium, ob eminentiam supra appetitum naturalem, non tendit in quodcumque bonum, sed in bonum apprehensum ab appetente: ergo appetitus proprius cognoscentium est potentia vitalis passiua nata moueri ab apprehenso. Nomine autem potentiæ passiuæ vitalis ea intelligitur, quæ ita mouetur ab obiecto, seu trahitur ad obiectum, vt ipsa etiam se moueat ad illud.

2 Dicendum est secundo appetitum rerum cognoscentium diuidi in animalem, seu sensitiuum, & in rationalem, seu intellectiuum, vt in potentias realiter diuersas. Ita Aristot. *in hoc lib. text.* 57. D. Thom. 1. *p. q.* 80. *art.* 2 & alij Theologi, atque Philosophi. Fundamentum proponitur à D. Thom. *loc cit.* his verbis: *Potentia enim appetitiua est potentia passiua, quæ nata est moueri ab apprehenso, passiua autem, & mobilia distinguuntur secundum distinctionem actiuorum, & motiuorum: quia oportet motiuum esse proportionatum mobili, & actiuum passiuo: & ipsa potentia passiua propriam rationem habet ex ordine ad suum actiuum. Quia igitur est alterius generis apprehensum per intellectum, & apprehensum per sensum; consequens est, quod appetitus intellectiuus sit alia potentia à sensitiuo.*

Sed obijcies: potentiæ non diuersificantur penes differentias accidentales obiecti: sed appetibili accidit, quod apprehendatur per sensum, vel intellectum: ergo ex vi rationis D. Thom. non probatur distinctio realis, & essentialis inter appetitum sensitiuum, & rationalem. ¶ Hanc obiectionem diluit S. Doct. *in solut. ad* 1. *art. cit.* his verbis: *Dicendum, quod appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum; sed per se ei conuenit: nam appetibile non mouet appetitum, nisi in quantum est apprehensum: vnde differentiæ apprehensi sunt per se differentiæ appetibilis: vnde potentiæ appetitiuæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria obiecta.* Quibus verbis non intendit D. Thom. refundere distinctionem potentiarum in diuersas apprehensiones tanquam in rationes formales obiectiuas *quo*, vel *sub quibus*; sed tanquam in rationes applicandi diuersas rationes obiectiuas. Nam hoc ipso, quod in viuenti dentur potentiæ apprehensiuæ adeò diuersæ, vt vna præcisè apprehendat, & applicet rationem limitatam boni sensibilis; alia vero apprehendat, & applicet rationem vniuersalissimam boni: nequeunt non exigere diuersas potentias appetitiuas

titiuas, quarum vna, nempe sensitiua, tendat in bonum sensibile; altera vero, videlicet rationalis, attingat bonum absolute, vt latius diximus *in lib. Physic. disp. 14. q. 2. §. 2.*

3 Dicendum est tertio appetitum sensitiuum diuidi in irascibilem, & concupiscibilem. Ita Arist. *lib. Magnorum Moral. cap. 3.* D. Th. *1. p. qu. 81. art. 2.* & communiter Doctores. Assertionem hanc ita explicat, & suadet D. Thom. *loco citato*, vt opus non sit aliquid eius verbis adijcere, quæ ita se habent. *Appetitus*, inquit, *sensitiuus, quandam conuenientiam habet cum appetitu naturali, in quantum vterque tendit in rem conuenientem appetenti. Inuenitur autem appetitus naturalis ad duo tendere secundum duplicem operationem rei naturalis: vna quarum est, per quam res naturalis nititur acquirere id, quod est conseruatiuum sua naturæ, sicut graue mouetur deorsum, vt ibi conseruetur. Alia est, per quam res naturalis sua contraria destruit per qualitatem actiuam. Et hoc quidem necessarium est corruptibili: quia nisi haberet virtutem, qua suum contrarium vinceret, ab eo corrumperetur. Sic ergo appetitus naturalis ad duo tendit, scilicet ad consequendum id, quod est congruum; & amicum naturæ & ad habendum quandam victoriam super illud, quod est ei aduersum. Et primum est quasi per modum receptionis: secundum vero est per modum actionis. Vnde ad diuersa principia reducuntur: recipere enim, & agere non sunt ab eodem principio, vt ignis, qui per leuitatem fertur sursum, per calorem contraria corrumpit. Ita in appetitu sensibili ista duo inueniuntur: nam animal per appetitiuam potentiam appetit id, quod est congruum, & amicum sibi, & hoc per vim concupiscibilem, cuius obiectum est delectabile secundum sensum. Appetit etiam habere & victoriam super ea, quæ sunt sibi contraria, & hoc per vim irascibilem: vnde dicitur, quod eius obiectum est aliquid arduum. Et sic patet, quod irascibilis est alia potentia à concupiscibili.*

Dices: omnis appetitus sensitiuus est ad ea, quæ conueniunt secundum sensum: sed conueniens secundum sensum est proprium obiectum concupiscibilis: ergo omnis appetitus sensitiuus est vis concupiscibilis; atque ideo appetitus sensitiuus non debet diuidi in irascibilem, & concupiscibilem. ¶ Respondet D. Thom. *loc. cit. in solut. ad 2. Dicendum, quod sicut in apprehensiuis virtutibus in parte sensitiua est aliqua vis æstimatiua, scilicet, quæ est perceptiua eorum, quæ sensum non immutant, vt supra dictum est: ita etiam in appetitu sensitiuo est aliqua vis appetens aliquid, quod non est conueniens secundum deliberationem sensus; sed secundum quod est vtile animali ad suam defensionem: & hæc est vis irascibilis.* Quæ magis constabunt ex dicendis quæstione sequenti.

QVÆSTIO II.

Vtrum irascibilis, & concupiscibilis sint potentiæ realiter distinctæ?

QVia quæstione *præced.* solum statuimus appetitum sensitiuum diuidi in irascibilem, & concupiscibilem, non determinando qualitatem distinctionis; sed ab illa præscindendo: ideo examinandum est in præsenti, vtrum prædicta distinctio sit realis; an vero virtualis, & quoad munera eo modo, quo intellectus solet diuidi in speculatiuum, & practicum.

§. I.

Stabilitur D. Thomæ sententia.

4 DIcendum est irascibilem, & concupiscibilem esse potentias realiter diuersas. Hanc conclusionem statuit Angelic. Præcep. pluribus in locis, & præcipuè 1. *p. qu.* 81. *art.* 2. *& qu.* 82. *art.* 5. *& qu.* 25. *de verit. art.* 2. Idemque docent Damasc. 2. *de fide cap.* 12. Nisen. *lib.* 4. *Philosoph. cap.* 8. *&* 9. Bonauent. *in* 3. *d.* 33. *qu.* 3. *art.* 1. Albert. Magn. 3. *de Anima tract.* 4. *cap.* 2. Plato, Pitagoras, Galenus apud Suarez, & communiter Thomistæ.

Probatur primo ex iis, quæ ex D. Thom. expendimus *quæst. præced. num.* 3. quoniam in naturalibus potentia, quæ tendit in obiectum per modum receptionis, & consecutionis distinguitur realiter ab illa, quæ tendit in obiectum per modum destructionis, & victoriæ: & hac ratione in igne leuitas, per quam consequitur suum locum, distinguitur realiter à calore, per quam superat contraria: ergo pariter in sensitiuis potentia concupiscibilis, quæ tendit in obiectum per modum prosecutionis, & receptionis, debet distingui realiter à potentia irascibili, quæ tendit in obiectum per modum dominij, & victoriæ. ¶ Confirmatur: nam ideo intellectus agens, & possibilis distinguuntur realiter, quia illa est potentia actiua; iste vero passiua: sed irascibilis, & concupiscibilis se habent vt potentia actiua, & passiua, siquidem irascibilis tẽdit in obiectum per modum agentis, hoc est vincendo, & propulsando malum naturæ contrarium; concupiscibilis autem tendit in obiectum per modum recipientis, hoc est acquirendo bonum sensui conueniens: ergo irascibilis, & concupiscibilis sunt potentiæ realiter diuersæ.

5 Nec refert si obijcias 1. quoniã in hoc differt potentia cognoscitiua ab appetitiua, quod illa trahit ad se obiectum; hæc vero tendit in ipsum: ergo concupiscibilis, cum sit potentia appetitiua, nequit se habere per modum recipientis, & trahentis obiectum ad se. *Secundo*: nam in naturalibus idemmet appetitus potest deseruire ad consequendum bonum, & propulsandum malum, vt patet in potentia augmentatiua, quæ

quæ simul appetit bonum, siue augmentum animalis, & resistit nocumentis, quæ illud augmentum impediunt: ergo pariter in cognoscentibus poterit idem realiter appetitus ad vtrumque officium deseruire. *Tertio*: quia ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, solent in superioribus vniri: sed appetitus cognoscentium est superior ad appetitum rerum naturalium: ergo ex eo, quod in naturalibus appetitus per modum agentis, & recipientis distinguantur realiter, non sequitur, quod in cognoscentibus appetitus prædicto modo se habentes debeant realiter distingui.

Hoc, inquam, non refert: nam ad primam obiectionem respondemus negando consequentiam, quæ ex antecedenti minime infertur: nunquam enim intendimus, quod concupiscibilis trahat obiectum intentionaliter ad se, sicut illud ad se trahit potentia cognoscitiua. Sed differentia à nobis intenta inter concupiscibilem, & irascibilem stat in eo, quod ille intendit, vt bonum recipiatur in animalis sensu, sicut vinum v. g. appetimus ad gustandum: irascibilis autem intendit, quod aliquid vincatur per operationem animalis, sicut occidere inimicum ad propulsanda nocumenta naturæ. Hæc autem differentia & verè datur, & rectè euincit distinctionem realem inter vtramque potentiam.

Ad secundam negatur antecedens, vt constat ex his, quæ supra adduximus ex D. Thom. Nec oppositum suadet exemplum potentiæ augmentatiuæ: hæc quippe solum tendit per se primo ad consequendum bonum animalis; non vero ad superanda contraria: & ideo præter potentiam augmentatiuam, ponenda est alia potentia, quæ per se ordinetur ad superanda, & propulsanda ea, quæ viuenti contrariantur.

Ad tertiam negamus consequentiam: nam illa maxima solum verificatur, cum superiora habent sufficientem excessum supra inferiora, vt possint identificare ea, quæ in inferioribus disperguntur. Quod in præsenti non contingit: quia appetitus sensitiuus non habet tantam eleuationem supra res naturales, vt valeat identificare rationes adeò diuersas, quales sunt tendere in obiectum per modum receptionis, & ad instar patientis; & tendere per modum victoriæ, atque agendo.

6 Secunda ratio, per quam præcedens magis roboratur, potest ad hanc formam reduci: quoniam potentiæ habentes actus realiter distinctos, & obiecta formaliter diuersa, nequeunt non distingui realiter: sed huiusmodi sunt concupiscibilis, & irascibilis: ergo distinguuntur realiter. Maior constat ex dictis *disp. 6. q. 1.* Minor autem quantum ad actus est adeo manifesta, vt non negetur ab aduersariis. Quoad obiecta vero sic ostenditur: nam obiectum proprium, & formale concupiscentiæ est bonum delectabile secundum sensum; obiectum autem irascibilis est bonum arduum quod frequenter non delectat secundum sensum, vel saltem ab hac delectatione præscindit. Natura enim instituit

instituit irascibilem, vt respiciat ea, quæ impediunt bonum animalis, non quidem fugiendo; ad hoc quippe sufficit concupiscibilis; sed aggrediendo, & contranitendo. Et quia respicit malum vt debellandum, ac propulsandum: & superare malum habet rationem boni: ideo dicitur concupiscibilem habere pro obiecto bonum arduum, vt arduum. Constat autem prædictum obiectum plurimum differre ab obiecto concupiscentiæ: ergo irascibilis, & concupiscibilis habent obiecta formaliter diuersa.

Confirmatur præcludendo simul euasionem respondentium prædicta obiecta esse inadæquata, & subinde non postulare potentias realiter diuersas: quoniam inde colligimus obiecta appetitus sensitiui, & intellectiui esse formaliter, & adæquatè diuersa, quia obiectum appetitus sensitiui, proponitur per sensum, atque ideo est determinate bonum sensibile; obiectum vero appetitus intellectiui proponitur per intellectum, ac proinde est bonum vniuersale: at sic est, quod obiecta irascibilis, & concupiscibilis proponuntur per potentias apprehensiuas attingentes rationes valde diuersas; siquidem obiectum concupiscibilis proponitur per imaginatiuam, quæ tantum attingit rationes sensatas, & conuenientes sensui; obiectum vero irascibilis proponitur per æstimatiuam, quæ attingit rationes, insensatas, quæ multoties non afferunt delectationem sensui sed magis tristitiam: ergo obiecta irascibilis, & concupiscibilis distinguuntur formaliter, & adæquatè. Minor suadetur: quia ratio victoriæ, & eminentiæ supra nocumenta obsistentia, quam per se respicit irascibilis, est ratio non sensata; delectatio autem secundum sensum, quam per se respicit concupiscibilis, est ratio sensata: ergo obiectum irascibilis proponitur per æstimatiuam; obiectum vero concupiscibilis per phantasiam.

7 Quam doctrinam, & simul excessum irascibilis supra concupiscibilem in perfectione explicat eleganter D. Thom. *qu. 25. de verit. art. 2.* his verbis: *Sciendum est; quod tam ex parte apprehensiuarum virium, quam ex parte appetitiuarum sensitiuæ partis, aliquid est quod competit sensibili animæ secundum propriam naturam; aliquid vero, secundum quod habet aliquam participationem modicam rationis attingens ad vltimum eius in sui supremo, sicut dicit Dionys. in 7. cap. de diuin. nomin. quod diuina sapientia coniungit fines primorum principiis secundorum: sicut vis imaginatiuæ competit animæ sensibili secundum propriam rationem: quia in ea reseruantur formæ per sensum acceptæ. Sed vis æstimatiuæ, per quam animal apprehendit intentiones non acceptas per sensum, vt amicitiam, vel inimicitiam, ineſt animæ sensitiuæ, secundum quod participat aliquid rationis. Vnde ratione huius æstimationis dicuntur animalia quandam prudentiam habere, vt patet in principia Metaph. sicut quod ouis fugit lupum, cuius inimicitiam nunquam sensit. Et similiter est ex parte appetitiuæ: nam quod animal appetat id, quod est delectabile secundum sensum, quod ad concupiscibilem pertinet, hoc est secundum propriam ra-*

tionem

tionem sensibilis animæ. Sed quod relicto delectabili appetit victoriam, quam consequitur cum dolore, quod ad irascibilem pertinet, competit ei secundum quod attingit aliqualiter appetitiuam superiorem. Vnde irascibilis est propinquior rationi, & voluntati, quam concupiscibilis. Hactenus S. Doctor.

§. II.

Occurritur argumentis opinionis aduersæ.

8 CONtrariam nobis sententiam tuentur Scotus *in 3. dist. 26. qu. vnic.* Gabr. *ib. art. 3. dub. 1.* Suar. *lib. 5. de Anima, cap. 5.* & alij ex recentioribus. Pro qua arguitur primo: quoniam sicut appetitus rationalis fertur in bonum rationis; ita appetitus sensitiuus tendit in bonum sensus: sed idem appetitus rationalis tendit in omne bonum rationis: & ideo non diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem tanquam in potentias realiter distinctas, vt docet D. Thom. 1. *p. qu.* 82. *art.* 5. ergo idem appetitus sensitiuus potest attingere omne bonum sensus; quin diuidatur in irascibilem, & concupiscibilem sicut in potentias realiter diuersas.

Respondetur negando consequentiam: quia voluntas vtpote potentia spiritualis, & valde eleuata respicit per se rationem vniuersalem boni: & ita rationes delectabilis, & ardui per accidens se habent respectu sui obiecti. Appetitus autem sensitiuus ob suam imperfectionem & limitationem nequit vnus existens attingere omne bonum sensibile: sed secundum vnam potentiam, nempe concupiscibilem, attingit bonum sub ratione delectabilis; & secundum alteram, nempe irascibilem respicit bonum sub ratione ardui. Cum autem dicimus irascibilem respicere bonum sub ratione ardui, non intendimus significare, quod irascibilis appetat ipsam difficultatem: sed quod conatur illam propulsare: & hac ratione eius obiectum exprimit peculiarem bonitatem: quia repellere malum, est quoddam bonum. Sicut etiam virtus pœnitentiæ respiciens peccatum, vt destruendum, addit peculiarem bonitatem propriis actibus, & obiecto: eò quod destructio peccati habet rationem boni.

9 Secundo arguitur: quia actus irascibilis, & concupiscibilis nequeunt conuenienter attribui diuersis potentiis: ergo eliciuntur ab vna, & eadem potentia. Suadetur antecedens: nam actus irascibilis fertur in bona concupita iuxta illud Iacobi: *Vnde bella, & lites inter vos, nisi ex concupiscentiis vestris?* Sed vna potentia non tuetur, quod appetit alia: ergo actus concupiscendi est proprius irascibilis. ¶ Confirmatur: quoniam irascibilis *consurgit* contra impedientia *assecutionem* boni: ergo appetit ipsam boni assecutionem: sed hic est proprius actus concupiscibilis: ergo irascibilis, & concupiscibilis habent eundem actum.

Respondetur argumento negando antecedens: & ad probationem dicen-

dicendum, quod licet irascibilis versetur circa prius concupita; tamen non attingit illa sub eadem ratione formali obiectiua, sub qua attinguntur à concupiscibili; sed sub alia longe diuersa. Nec vllum est inconueniens in potentiis subordinatis, quod vna tueatur bonum alterius, attingendo illud sub diuersa atque altiori ratione, vt in præsenti contingit. ¶ Vnde patet ad confirmationem: quia licet irascibilis intendat consecutionem boni concupiti; tamen illud respicit sub ratione diuersa, ac illud appetit concupiscibilis. Vnde etsi irascibilis attingat eandem rationem, quam respicit concupiscibilis, materialiter acceptam; non tamen formaliter consideratam, & sub eodem motiuo: *nam conueniens* (inquit D. Thom. *qu.* 25. *de verit. art.* 2. *ad* 4.) *est obiectum concupiscibilis, secundum quod est delectabile; sed totius sensualitatis secundum quod est quomodocumque expediens animali, vel per viam ardui, vel per viam delectabilis.*

10 Tertio arguitur: quia eadem potentia est vnius contrarietatis, vt visus albi & nigri: sed conueniens & nociuum sunt contraria: ergo attinguntur ab eadem potentia: atqui conueniens respicitur à concupiscibili, & nociuum ab irascibili: ergo concupiscibilis, & irascibilis sunt vna, & eadem potentia. ¶ Confirmatur: nam per eandem virtutem, qua quis accedit ad vnum recedit à contrario, sicut per eandem leuitatem accedit ignis ad locum sursum, & recedit à loco deorsum: sed animal per concupiscibilem accedit ad conueniens, & per irascibilem recedit à disconuenienti: ergo irascibilis, & concupiscibilis sunt eadem potentia.

Ad argumentum optime respondet D. Thom. *loco nuper cit. in solut. ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod tam conueniens delectabile, quam nociuum tristabile ad concupiscibilem pertinet, secundum quod vnum est fugiendum, & alterum consequendum. Sed habere quandam altitudinem super vtrumque, vt scilicet nociuum possit superari, & delectabile cum securitate quadam possideri, ad irascibilem pertinet.* Vnde sicut præter charitatem, quæ prosequitur Deum, & fugit à malo contrario, nempe à peccato, ponitur specialis virtus, nempe pœnitentia, quæ respicit peccatum quasi aggressiuè, illud destruendo per viam satisfactionis; vt docet D. Thom. 3. *p. q.* 85. *art.* 2. ita præter concupiscibilem, quæ attingit bonum sensibile, & fugit à malo contrario, constituenda est irascibilis, quæ illud malum positiuè debellet, & propulset. ¶ Confirmationem diluit D. Thom. vbi *supra in solut. ad* 3. dicens: *Recedere à nociuo, & accedere ad delectabile, vtrumque concupiscibili competit: sed impugnare, & superare id, quod potest esse nociuum, hoc pertinet ad irascibilem.*

11 Quarto arguitur: quia in quolibet actu irascibilis includitur actus proprius concupiscibilis: ergo hæc non distinguitur realiter ab illa. Antecedens suadetur: tum

quia

quia ira includit concupiscentiam vindictæ. Tum etiam, quia odium est proprius actus concupiscibilis; cum contrarietur amori: sed odium est in irascibili, vt docet Hieronym. super illud Matth. 13. *Simile est regnum cælorum fermento*: ergo actus proprius concupiscibilis includitur in actibus irascibilis.

Respondetur negando antecedens, cuius primæ probationi occurrit D. Thom. vbi *supra in solut. ad 9.* his verbis: *Dicendum, quod in definitione passionum irascibilis ponitur actus appetitiuæ communis, vt appetere, non autem aliquid ad concupiscibilem pertinens, nisi sit principium, vel terminus, vt si dicatur, quod ira est appetitus vindictæ propter præcedentem contristationem.* Vnde ira non includit appetitionem vindictæ, quatenus *appetitio* designat proprium actum concupiscentiæ; sed quatenus dicit aliquam rationem appetitui communem. ¶ Confirmationi respondet S. Doct. *1. p. qu. 81. art. 2. ad 3. quod odium simpliciter pertinet ad concupiscibilem; sed ratione impugnationis, quæ ex odio causatur, potest ad irascibilem pertinere.* Et in hoc sensu loquitur Hieronymus.

12 Vltimo arguitur: quia si irascibilis, & concupiscibilis essent potentiæ realiter distinctæ, non posset non vna excedere aliam in perfectione: sed hic excessus nequit vni earum conuenienter attribui: ergo non distinguuntur realiter. Probatur minor: quia ex vna parte irascibilis videtur perfectior; cum obiectum nobilius habeat: ex alia vero perfectior apparet concupiscibilis, tum quia habet nobiliorem actum, nempe amorem: quia irascibilis ordinatur ad bonum concupiscibilis, & est propter ipsam propugnandam.

Respond. tur negando minorem: ad cuius probationem dicendum est, irascibilem esse simpliciter perfectiorem concupiscibili, vt constat ex verbis D. Thom. quæ *supra numero. 7.* expendimus. Quibus statim subiunxit S. Doct. *Patet igitur ex dictis, quod irascibilis & concupiscibilis sunt diuersæ potentiæ, & quid est obiectum vtriusque, & quomodo irascibilis iuuat concupiscibilem, & est superior, & dignior ea, sicut æstimatiua inter cæteras virtutes sensitiuæ partis.* Ad primam autem probationem in contrarium negandum est amorem sensitiuum esse vniuersaliter perfectiorem aliis actibus appetitus. Ad secundam dicendum irascibilem non ordinari ad bonum concupiscibilem tanquam ad finem *cuius gratia*; sed sicut ad finem effectum eo proportionali modo, quo Christus Dominus respicit salutem nostram tanquam finem effectum. Hinc autem minime infertur, quod concupiscibilis sit simpliciter perfectior irascibili, vt constat exemplo inducto. Quæ acutè significauit D. Thom. dicens: *Irascibilis quodammodo ad concupiscibilem ordinatur, sicut propugnatrix ipsius:* nam per ly *propugnatrix* significat bo-

num concupiſcibilis eſſe finem effectum ab iraſcibili : & per ly *quodammodo* excludit, quod iraſcibilis ordinetur ſimpliciter ad concupiſcibilem tanquam ad finem.

13 Replicabis : quoniam in voluntate ratio concupiſcibilis eſt perfectior, quam ratio iraſcibilis ; ſiquidem vt concupiſcibilis eſt ſubiectum nobiliſſimæ virtutis affectiuæ, nempe charitatis : ergo pariter in appetitu ſenſitiuo concupiſcibilis excedet ſimpliciter iraſcibilem in perfectione. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam : quia in voluntate, ſecundum quod eſt concupiſcibilis inuenitur actus attingens obiectum ſummè perfectum, & excedens obiecta aliorum actuum voluntatis : nam inuenitur amor Dei in ſe ipſo, & ſuper omnia, qui eſt obiectum omnium nobiliſſimum : vnde mirum non eſt, quod voluntas vt concupiſcibilis excedat ſe ipſam vt iraſcibilem. At in appetitu ſenſitiuo è conuerſo res ſe habet : quia obiectum proprium concupiſcibilis eſt minus abſtractum, & perfectum, quam obiectum iraſcibilis : hæc quippe fertur ad ſuum obiectum ſub altiori ratione, & dirigitur per excellentiorem ſenſum, vt conſtat ex hactenus dictis : quamobrem nequit non iraſcibilis concupiſcibilem in perfectione antecellere. Quod vel ex eo liquet (vt ſic oppoſitum exemplum voluntatis alio exemplo deſtruamus) quod virtus fortitudinis, cuius iraſcibilis eſt ſubiectum, excedit temperantiam, quæ in concupiſcibili recipitur.

QVÆSTIO III.

Vtrum appetitus rationalis, ſeu voluntas operetur libere.

14 POſt appetitum ſenſitiuum ſupereſt, vt differamus de rationali, qui incomplexo vocabulo appellatur *voluntas*. Plura autem poſſemus circa voluntatem diſcutere : ſed ea tantum in præſenti curabimus pertractare, ſine quibus opus iſtud imperfectum haberetur : alia enim latiſſimè traduntur à D. Th. tam 1.2.quam 2.2.vbi illa Theologi verſant. Difficultas vero, quam titulus præfert, poteſt exagitari cum circa actus voluntatis in communi, cum circa particularem actum, eum videlicet, quo voluntas appetit beatitudinem. Quamobrem claritatis gratia ſingillatim decidetur.

Pro cuius reſolutione duo præmittenda ſunt. Primum eſt beatitudinem obiectiuam eſſe duplicem : aliam in communi, & aliam in particulari. Illa nihil aliud eſt, quam bonum in communi, quod eſt obiectum voluntatis. Hæc vero eſt Deus O. M. qui eminenter continet omnia bona. ¶ Secundum eſt libertatem eſſe duplicem : aliam contrarietatis, aliam autem contradictionis Illa conſiſtit in eo, quod voluntas poſſit

possit elicere actus oppositos, vt amorem, & odium, vel attingere obiecta contraria, vt honestum, & turpe. Hæc vero in eo sita est, quod licet voluntas valeat cessare ab aliquo actu; nequeat tamen elicere contrarium, v. g. possit non amare, nequeat tamen odisse. Ex quo etiam fit, quod necessarium dupliciter accipiatur, nempe quoad exercitium, & quoad specificationem. Tunc voluntas dicitur necessitari quoad exercitium, quando nec potest elicere actum contrarium, nec cessare ab eo, quem elicit. Dicitur autem necessitari quoad specificationem, quando potest cessare ab actu, vel illum omittere; nequit tamen elicere actum contrarium. His suppositis.

§. I.

Statuitur prima conclusio circa actus voluntatis in communi.

15 Dicendum est primo voluntatem esse simpliciter liberam in suis actibus. Hæc conclusio est de fide definita *in Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & 6.* deducitur-que ex illo Pauli 1. *ad Corinth. Potestatem habens suæ voluntatis*, & ex alijs Scripturæ testimonijs, quæ expendunt N. Salmant. *tract.* 10. *disp.* 2. *dub.* 1.

Probatur primo à posteriori: quia nos ipsi experimur, quod cùm volumus operamur; & cum volumus, cessamus ab operatione: ergo voluntas nostra libera est. ¶ Confirmatur primo: quia nulla actio necessaria est digna laude, vel vituperio: nemo enim rationabiliter laudatur, vel vituperatur in eo, quod vitare non potest: atqui actus humani sunt digni laude, vel vituperio; aliàs injuste pœnæ, & præmia instituerentur: ergo voluntas libere elicit suas operationes. ¶ Confirmatur secundo: nam ex opposito fieret omnes leges: & concilia esse superflua, atque inutilia; frustra quippe consulitur, aut præcipitur ei, qui nequit facere, nisi quod facit: hoc autem est contra ipsum lumen naturale, & omnium gentium praxim: ergo liberi sumus in volendo. ¶ Confirmatur tertio: nam etiam sequeretur vel peccatum non esse peccatum; vel peccatum esse à Deo à quo necessitaremur ad peccandum: vtrumque est manifeste falsum: ergo.

16 Secundo probatur à priori detegendo radicem nostræ libertatis: quoniam omnis actio sequitur conditionem sui principij, & iuxta illius indifferentiam, vel determinationem debet esse determinata, aut indifferens: sed forma, per quam voluntas agit, & constituitur in esse principij, est quid indifferens, & indeterminatum: ergo actio voluntatis fit cum indifferentia, & indeterminatione, atque ideo est libera. Minor constat: quia prædicta forma est ratio vniuersalissima boni apprehensa per intellectum: hæc autem ratio potest mo-

uere ad plura obiecta, & ad nullum determinatur : ergo forma, per quam voluntas constituitur in esse principij, est quid indifferens, & indeterminatum. Vnde D. Thom. 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. *ad* 2. libertatem voluntatis reuocat sicut in radicem in indifferentiam judicij his verbis: *Radix libertatis est voluntas sicut subiectum, sed sicut causa est ratio : ex hoc enim voluntas potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni : & ideo Philosophi definiunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione judicium, quasi ratio sit causa libertatis. Et prima parte quæstione* 83. *articulo primo*, inquit: *Quia judicium rationis ad diuersa se habet, & non est determinatum ad vnum, pro tanto necesse est, quod homo sit liberi arbitrij ex hoc ipso, quod rationalis est.*

Nec refert, si cum Luthero, & eius sequacibus obijcias : quoniam potentia libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari : sed ad hoc quod voluntas nostra agat, requiritur concursus Dei, & hoc posito voluntas non potest non operari : ergo voluntas nostra non est potentia libera. ¶ Confirmatur : quia, vel Deus scit Petrum lecturum cras, vel non scit ? Si primum cum scientia Dei nequeat falli ; sequitur, quod Petrus leget infallibiliter, atque ideo necessario. Si secundum : cùm nihil sit futurum, quod Deus non præsciuerit ; sequitur Petrum infallibiliter, ac proinde necessario non esse lecturum. Petrus igitur non est liber ad legendum, vel non legendum.

Hoc, inquam non refert : nam ad obiectionem negatur minor quoad secundam partem : concursus enim diuinus ad aliquam operationem non tollit potentiam ad operationem oppositam, sed eam relinquit indemnem. Quia habet efficaciam non solùm ad inferendam operationem vtcumque ; sed etiam ad inferendam operationem liberam, & modum libertatis : vnde optime componitur, quod faciat infallibiliter operari, & quod faciat operari libere : vtrumque enim diuina voluntas efficaciter intendit, & facit. ¶ Ad confirmationem respondemus Deum ab æterno cognouisse non solum lectionem Petri futuram, sed etiam modum, quo futura erat : vnde quia futura est, & libere futura, Deus vtrumque infallibiliter cognoscit, nempe & futuram esse, & futuram esse libere. Et ideo nec sequitur, quod diuina scientia possit falli ; nec quod lectio futura sit necessaria.

§. II.

Secunda conclusio circa actum attingentem beatitudinem in communi.

18 Dicendum est secundo voluntatem necessario amare beatitudinem in communi necessitate quoad specificationem, non vero quoad exercitium. Hanc conclusionem

cluſionem tradit D. Thom. *quæſtione ſexta de Malo articul. vnic. ad 7.* his verbis: *Cum voluntas ſe habeat in potentia reſpectu boni vniverſalis, nullum bonum ſuperat virtutem voluntatis quaſi ex neceſſitate ipſam mouens niſi id, quod eſt ſecundum omnem rationem bonum: & hoc ſolùm eſt bonum perfectum, quod eſt beatitudo, quod voluntas non poteſt non velle: ita ſcilicet, quod velit eius oppoſitum; poteſt tamen non velle actu.* Idem docet *prima parte quæſtione 82. articulo primo & ſecundo, & prima ſecundæ, quæſtione decima, articulo ſecundo*, & alibi ſæpe. Quod etiam tradunt communiter Theologi, & Philoſophi.

Prima pars aſſertionis, videlicet voluntatem eſſe neceſſitatam quoad ſpecificationem ad amandum bonum in communi; ſeu, quod idem eſt, non poſſe odio habere prædictum bonum; ſic oſtenditur: quoniam nequit aliquid odio haberi, niſi aliquid aliud ametur, eò quod receſſus ab vno termino neceſſario includit acceſſum ad alium: ergo non poteſt odio haberi bonum in communi, quin ametur aliquod bonum in particulari: ſed implicat amari bonum particulare, quin ametur bonum commune; cùm obiectum inadæquatum non poſſit mouere, niſi cum ſubordinatione ad obiectum adæquatum: ergo implicat, quod voluntas odio habeat bonum commune. Patet conſequentia: nam vt liquet ex præmiſſis, ſi illud odio haberet; & non amaret ipſum, vt ſupponitur; & ipſum amaret: quia amaret bonum particulare, quod amari nequit, quin ametur bonum in communi. ¶ Confirmatur: quia vt aliquid poſſit odio haberi, debet in eo appparere aliqua ratio mali: ſed in bono in communi, & ſecundum ſe conſiderato nulla apparet ratio mali, vt liquet ex terminis: ergo bonum in communi nequit odio haberi, ac proinde amatur neceſſariò neceſſitate quoad ſpecificationem.

19 Secundam vero partem nimirum voluntatem non amare neceſſario prædictum bonum neceſſitate quoad exercitium, probat D. Thom. *quæſt. cit. de Malo*, his verbis: *Voluntas poteſt auertere cogitationem beatitudinis in communi, in quantum mouet intellectum ad ſuum actum: & quantum ad hoc nec ipſam beatitudinem ex neceſſitate vult: ſicut etiam aliquis non ex neceſſitate caleſieret, ſi poſſet calidum à ſe expellere, cùm vellet.* ¶ Confirmatur: quia voluntas poteſt ceſſare ab eo, in quo apparet aliqua ratio mali: ſed in exercitio amandi bonum in communi poteſt apparere aliqua ratio mali; cùm in prædicto exercitio inueniatur aliquis labor, & defatigatio ſaltem ex parte cognitionis, quæ comitatur, & dirigit amorem: ergo voluntas poteſt ceſſare à prædicto exercitio: & conſequenter non amat neceſſario bonum commune neceſſitate quoad exercitium.

20 Sed contra primam aſſertionis partem obijcies: quia ad beatitudinem requiritur aliquod eſſe: ſed multi ex tædio vitæ nolunt eſſe,

esse, & inferunt sibi mortem: ergo tales nolunt esse beati: ergo respuunt, & odio habent beatitudinem in communi. ¶ Respondetur negando vtramque consequentiam: quia licet illi, qui se occidunt odio habeant esse particulare affectum miserijs; ardenter tamen appetunt esse sine miseria, & quærunt proinde bonum in communi: quandoquidem adeo impatienter sustinent malum præsens, quod eius odio se interimant, vt beatitudinem obtineant, quam apprehendunt. Licet ergo decipiantur apprehendendo, & ponendo beatitudinem, vbi non est; tamen re ipsa apprehendunt, & appetunt veram beatitudinem falsò applicatam: & ideo non odio habent bonum in communi, nec esse absolute; sed esse tale, videlicet esse miserum: quod moriendo excludere contendunt, vt esse sine miseria falsò apprehensum consequantur. Videantur, quæ diximus *in libris Physicorum, disp.* 14. *quæst.* 2. §. 2. vbi eandem obiectionem diluimus.

§. III.

Vltima assertio circa actum attingentem beatitudinem particularem.

11 Dicendum est voluntatem nostram in via non amare necessario beatitudinem in particulari necessitate quoad specificationem; ac proinde nec quoad exercitium. Hæc posterior pars euidenter colligitur ex prima. Illam autem docet D. Thom. 1. *p. q.* 82. *art.* 2. his verbis: *Sunt quædam habentia necessariam connexionem ad beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret, in quo solo vera beatitudo consistit. Sed tamen antequam per certitudinem diuinæ visionis necessitas huiusmodi conuersionis demonstretur, non ex necessitate Deo inhæret, neque his, quæ Dei sunt.* Vnde hanc conclusionem docent communiter Thomistæ, quos proinde opus non est in particulari referre.

Fundamentum est: quoniam voluntas non fertur necessario necessitate quoad specificationem, nisi in obiectum adæquatum: sed Deus (in quo supponimus consistere reuera beatitudinem particularem obiectiuam voluntatis nostræ) non est obiectum adæquatum voluntatis: ergo hæc non amat necessario beatitudinem particularem necessitate quoad specificationem. Minor liquet: quia voluntas nostra amat plura præter Deum, & quæ ad ipsum non ordinantur; sed potius illi opponuntur: ergo Deus non est obiectum adæquatum nostræ voluntatis: Major etiam constat: tùm quia hoc ipso, quod obiectum non sit adæquatum; non est necessarium, quod voluntas subordinet prædicto obiecto, quidquid amat; sed potest tendere in aliud obiectum oppositum. Tum etiam quia esse obiectum inadæquatum, & non satians capacitatem voluntatis habet, saltem apparenter, aliquam rationem mali: ergo non est necessarium, quod ametur; sed potest respui.

reſpui, & odio haberi. Quod declaratur exemplo albi comparati ad potentiam viſiuam: nam hoc ipſo, quod album non ſit obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ, importat quandam carentiam, & rationem mali: & hac ratione poteſt viſus, vt ſubeſt imperio voluntatis, reſpuere attingentiam albi, & attingere obiectum contrarium: ergo hoc ipſo, quod aliquid ſit obiectum inadæquatum voluntatis poteſt ex vi huius reſpui, atque ideo non neceſſitat voluntatem quoad ſpecificationem.

22 Ex hac concluſione à fortiori infertur voluntatem nullo modo neceſſitari ad amanda alia bona particularia creata. Nam ſi voluntas non amat neceſſario beatitudinem particularem veram; multo minus neceſſitabitur ad amandum alia bona particularia, quæ minorem præferunt conuenientiam. Eò vel maxime, quia beatitudo in communi non habet neceſſariam connexionem cum aliquo bono particulari; ſed poteſt ſaluari, & attingi in alijs bonis: ergo licet voluntas amet neceſſario quoad ſpecificationem beatitudinem in communi; non neceſſitatur ad amandum aliquod bonum particulare. Sicut intellectus neceſſariò aſſentiens alicui principio non neceſſitatur ad aſſentiendum concluſionibus, quæ non connectuntur neceſſario cum illo principio. Quo exemplo vtitur D. Thom. 1. p. q. 82. art. 2.

QVÆSTIO IV.

Quos actus habeat voluntas.

QVia de actibus voluntatis latè agunt Theologi cum D. Th. 1. 2. propterea in animum non induximus omnes actus voluntatis recenſere, quæ latiſſima eſſet Prouincia; ſed ſolùm eos, qui præcipui ſunt, idque reſolutoriè, & ſimplici veritatis propoſitione. Quod jam præſtamus.

23 Diuiditur ergo actus voluntatis primo in imperatum, & elicitum vt docet D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 2. Elicitus eſt, qui immediate eſt à voluntate, vt velle. Imperatus autem eſt, qui elicitur ab alia potentia ex imperio voluntatis, vt ambulare.

Primus actus elicitus à voluntate eſt *amor*, vt determinat D. Th. 1. p. qu. 20. art. 2. *Cum enim*, inquit, *actus voluntatis, & cuiuſlibet appetitiuæ virtutis tendat in bonum, & malum, ſicut in propria obiecta: bonum autem principalius, & per ſe ſit obiectum voluntatis, & appetitus; malum autem ſecundario, & per aliud, in quantum ſcilicet opponitur bono: oportet naturaliter eſſe priores actus voluntatis, & qui reſpiciunt bonum, his, qui reſpiciunt malum, vt gaudium, quam triſtitia, & amor, quam odium. Rurſus quod eſt communius, naturaliter eſt prius. Sunt autem*

quidam actus voluntatis, & appetitus respicientes bonum sub aliqua speciali conditione: sicut gaudium, & delectatio est de bono præsenti, & habito; desiderium autem, & spes de bono non adepto. Amor autem respicit bonum in communi, siue sit habitum, siue non habitum. Vnde amor naturaliter est primus actus voluntatis, & appetitus.

Post simplicem amorem boni, sequitur *intentio* eiusdem per modum finis: quam esse actum proprium voluntatis declarat D. Thom. 1. 2. *qu.* 12. *art.* 1. his verbis: *Intentio sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere: in aliud autem tendit & actio mouentis, & motus mobilis: sed hoc, quod motus mobilis in aliqua tendat, ab actione mouentis procedit. Vnde intensio primo, & principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem: vnde dicimus Architectorem, & omnem præcipientem mouere suo imperio alios ad id, quod ipse intendit. Voluntas autem mouet omnes alias vires animæ ad finem. Vnde manifestum est, quod intentio est actus voluntatis.* In quo intensionis actu vel inuoluitur, vel ad eum sequitur *desiderium*, & *spes* boni amati. Differunt autem spes, & desiderium in hoc, quod spes est de re difficili, quæ creditur futura: nam si non credatur futura cessat spes. Desiderium potest esse de re, quam non existimamus futuram. Et ideo de re quæ est in alterius potestate, & quem credimus eam non daturum, solet esse desiderium, non tamen spes. Videatur D. Thom. 1. 2. *quæst.* 17. & 18.

24 Ad intentionẽ finis sequuntur *consensus*, & *electio*, quia actus versantur circa media, quæ ad finem intentum conducunt. Eos autem sic explicat D. Thom. 1. *p. qu.* 83. *art.* 3. *Ad electionem concurrit aliquid ex parte cognoscitiuæ virtutis, & aliquid ex parte appetitiuæ. Ex parte autem cognoscitiuæ requiritur consilium, per quod diiudicatur, quid sit alteri præferendum: ex parte autem appetitiuæ requiritur, quod appetendo acceptetur, quod per concilium diiudicatur. Et ideo Arist. 6. Ethicor. sub dubio relinquit vtrum principalius pertineat electio ad vim appetitiuam, vel ad vim cognoscitiuam: dicit enim quod vel est intellectus appetitiuus, vel appetitus intellectiuus. Sed in 3. Ethic. in hoc magis declinat, quod sit appetitus intellectiuus, nominans electionem desiderium consiliabile. Et huius ratio est, quia proprium obiectum electionis est illud, quod est ad finem: hoc autem in quantum huiusmodi, habet rationem boni, quod dicitur vtile. Vnde cùm bonum in quantum huiusmodi sit obiectum appetitus; sequitur, quod electio sit principaliter actus appetitiuæ virtutis.* Inter consensum autem, & electionem hoc videtur esse discrimen, quod consensus significat actum, quo voluntas se applicat ad media, non determinando an medium præferatur alijs, vel non. Electio autem est actus, quo voluntas acceptat aliquod medium separando illud ab alijs, & ipsum eis præferendo.

25 Facta autem electione, non ibi sistit voluntas, sed ad executionem procedit: ad quod deseruit alius voluntatis actus, qui dicitur *vsus*,

&

& quem D. Thom. 1. 2. q. 16. art. 1. describit, his verbis : *Vsus rei alicuius importat applicationem illius rei ad aliquam operationem : vnde & operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur vsus eius rei, sicut equitare est vsus equi, & percutere est vsus baculi. Ad operationem autem & applicamus principia interiora agendi scilicet ipsas potentias animæ, vel membra corporis, vt intellectum ad intelligendum, & oculum ad videndum: & res exteriores sicut baculum ad percutiendum. Sed manifestum est, quod res exteriores non applicamus ad aliquam operationem, nisi per principia intrinseca, quæ sunt principia animæ, vt habitus potentiarum, aut organa, quæ sunt corporis membra. Ostensum est autem supra, quod voluntas est, quæ mouet potentias animæ ad suos actus & hoc est applicare eas ad operationem. Vnde manifestum est, quod vti primo, & principaliter est voluntatis tanquam primi mouentis ; rationis autem tanquam dirigentis ; sed aliarum potentiarum tanquam exequentium : quæ comparantur ad voluntatem, à qua applicantur ad agendum, sicut instrumentum ad principale agens. Actio autem proprie non attribuitur instrumento, sed principali agenti : sicut ædificatio ædificatori ; non autem instrumentis. Vnde manifestum est, quod vti proprie est actus voluntatis.* ¶ Cur autem voluntati competat applicare alias potentias, explicuerat optime S. Doct. *quæstione nona, articulo primo*, dicens : *Fines, & perfectiones omnium aliarum potentiarum continentur sub obiecto voluntatis, sicut quædam particularia bona. Semper autem ars, vel potentia, ad quam pertinet finis vniuersalissimus, mouet ad agendum artem, vel potentiam, ad quam mouet finis particularis sub illo vniuersali comprehensus : sicut dux exercitus, qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, mouet suo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem vnius aciei.*

26 Consecuto jam fine medijs actibus, quos recensuimus, sequitur *fruitio* eiusdem finis, quæ etiam est actus proprius voluntatis, sicut explicat, & determinat D. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. his verbis : *Respondeo dicendum, quod fruitio, & fructus ad idem pertinere videntur, & vnum ex altero deriuari. Sunt autem nobis primo manifesta, quæ sunt sensibilia magis : vnde à sensibilibus fructibus nomen fruitionis deriuatum videtur. Fructus autem sensibilis est id, quod vltimum ex arbore expectatur, & cum quadam suauitate percipitur : vnde fruitio pertinere videtur ad amorem, vel delectationem, quam aliquis habet de vltimo expectato, quod est finis. Finis autem, & bonum est obiectum appetitiuæ potentiæ. Vnde manifestum est, quod fruitio est actus appetitiuæ potentiæ.* Diuidit autem S. Doct. a. 4. seq. fruitionem in perfectam, & imperfectam. *Quoniam vltimus finis habetur dupliciter: vno modo perfecte, & alio modo imperfecte. Perfecte quidem, quando habetur non solùm in intentione, sed etiam in re: imperfecte autem, quando habetur in intentione tantum. Est ergo perfecta fruitio jam habiti finis realiter. Sed imperfecta est etiam finis non habiti realiter, sed in intentione tantum.*

Hi sunt præcipui voluntatis actus, quorum rudis saltem notitia videbatur necessaria ad complementum huius tractatus. Alia autem, quæ altiorem postulant considerationem, & discussionem magis diffusam, videantur apud N. Salmant. *tom. 3. in commentarijs ad loc. cit. ex 1. 2. & in arbore virtutum, à num. 4.*

QVÆSTIO V.

An voluntas sit perfectior intellectu?

DEcisio huius quæstionis, quæ toti operi coronidem imponet, ad id præcipue deseruiet, vt altiùs penetremus naturam, ac perfectionem intellectus, & voluntatis; si postquam has potentias absolute acceptas considerauimus, eas nunc comparemus inter se.

§. I.

Statuitur vera, & communior assertio.

27 DIcendum est intellectum esse simpliciter perfectiorem voluntate. Ita Aristot. quem D. Th. *1. p. q. 82. art. 3.* refert his verbis: *Sed contra est, quod Philosophus in 10. Ethic. ponit altissimam potentiam animæ esse intellectum.* Idem tuetur S. Doct. *ib. & q. 26. a. 2. & 3. contra Gent. cap. 26.* & alibi sæpe. Vnde hanc conclusionem docent communiter Thomistæ, quibus suffragantur Abul. *ad c. 5. Matth. q. 30.* Durand. *in 4. d. 49. q. 4.* Suarez *lib. 5. de Anima c. 9.* Vasq. *1. 2. disp. 11. cap. 8.* Venetus, Conimbr. Rubio *in præsenti*, & alij plures.

Probatur primo ratione fundamentali: quia perfectio potentiæ, sicut & eius specificatio, sumitur ab illius obiecto: sed altius, & nobilius est obiectum intellectus, quam obiectum voluntatis: ergo intellectus est perfectior voluntate. Suadetur minor: quoniam obiectum eò est altius, & nobilius, quò est vniuersalius, & abstractius, sed obiectum intellectus est vniuersalius, & abstractius, quam obiectum voluntatis; siquidem illud dicit ipsam rationem entis vniversalissimè acceptam per modum quidditatis, & abstrahendo ab exercitio existendi; istud vero dicit ens concretiue acceptum cum existentia, & alijs conditionibus singularibus: qua ratione D. Thom. *1 p. q. 5. a. 1.* docet multo plura requiri ad hoc, vt aliquid sit bonum, & obiectum voluntatis, quam vt sit verum atque obiectum intellectus: & ideo creaturæ possibiles, & obiecta Mathematicarum sunt simpliciter verum, & cognoscibile; non vero bonum, & amabile: ergo obiectum intellectus altius, & nobilius est, quam obiectum voluntatis.

28 Respondebis negando minorē nam cùm quidditas existens sit multo perfectior, quam quidditas ab existentia abstrahens; sequitur obiectum voluntatis esse perfectius obie-

cto

cto intellectus; cum istud dicat quidditatem abstrahendo ab existentia, illud autem importet quidditatem concernendo existentiam.

Sed contra: quia nobilitas potentiæ non sumitur ab eius obiecto sumpto in esse rei, sed considerato in ratione obiecti: sed quidditas abstrahens ab existentia, licet sit minus perfecta in esse rei, quam quidditas concernens existentiam; nihilominus est perfectior, quam illa, si consideretur in esse obiecti: ergo intellectus est potentia simpliciter perfectior quam voluntas. Minor suadetur: tum quia obiectum sensus concernit existentiam, & singularitatem, à quibus abstrahit obiectum intellectus: & tamen istud est perfectius illo in ratione obiecti, vt docent omnes Philosophi, & ipsa perfectio intellectus satis demonstrat: ergo licet quidditas existens sit in esse rei perfectior, quam quidditas non existens: illi tamen cedit in esse obiecti. Tum etiam, quia quidditas præscindens ab existentia est obiectum petens attingi per potentiam valde eleuatam, & subtilem, & quæ habeat talem vim, vt possit quamlibet rem, & sub qualibet præcisione attingere, essentiam ab existentia separando, vel adinuicem componendo: quod maximam immaterialitatem, atque eleuationem dicit, vt ex se liquet. E contra vero quidditas vt concernens existentiam est obiectum petens minus subtilem potentiam; siquidem non fundat, nec admittit tot, & tam diuersos modos attingibilitatis. Ergo licet quidditas existens sit perfectior quidditate abstrahente ab existentia, si comparentur in esse rei; non tamen si considerentur in esse obiecti.

29 Secundo probatur eadem conclusio: quoniam inter potentias dimanantes ab eadem essentia, & secundum eundem gradum, illa simpliciter est perfectior, quæ prius, hoc est immediatiùs dimanat: sed intellectus prius fluit ab essentia animæ quam voluntas: ergo est perfectior simpliciter, quam illa. Maior ostenditur: nam quod magis accedit ad principium suæ perfectionis, magis de perfectione participat: sed essentia est principium perfectionis potentiarum, quæ ab ipsa dimanant: ergo illa potentia est simpliciter perfectior aliis, quæ magis accedit ad essentiam: illa autem magis accedit quæ prius fluit: ergo inter potentias dimanantes ab aliqua essentia, illa est simpliciter perfectior, quæ prius ab essentia dimanat. Minor etiam constat: quia sicut volitio præsupponit intellectionem, & ea mediante fit; ita voluntas supponit intellectum, & eo mediante dimanat ab anima: & ideo hæc causalis est vera, homo est volitiuus, quia est intellectiuus, & non è contra: ergo intellectus prius dimanat ab anima, quam voluntas.

30 Dices hinc potius fieri, quod voluntas sit perfectior intellectu: quia natura procedit ab imperfecto

ad perfectum : vnde quod est prius generatione, est imperfectius : si ergo intellectus fluit ab anima priusquam voluntas, sequitur hanc esse illo perfectiorem.

Respondetur, quod licet in vno, & eodem id, quod est prius generatione sit imperfectius : quia natura procedit à gradibus communibus, & potentialibus ad gradus vltimos, & magis actuales, & proprios : tamen inter ea, quæ consequuntur vnum, & eundem gradum, non oportet, quod prius sit imperfectius ; sed potius è conuerso res se habet, vt constat ex ratione supra facta. Et plane, quod facta comparatione inter diuersas res, ea sit simpliciter perfectior, quæ ex natura rei est prior, constat exemplis : nam actus ex natura sua est prior, quam potentia ; siquidem producit illam : & tamen actus superat potentiam imperfectione. Similiter substantia ex natura rei est prior accidentibus ; quibus certum est in perfectione præire. Sic ergo facta comparatione inter intellectum, & voluntatem, cum dimanent ab anima secundum eundem gradum, & intellectus ex natura rei sit prior ; sequitur, quod etiam sit simpliciter perfectior. Quam doctrinam tradit D. Thom. 1. *p. qu.* 82. *art.* 3. *ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod illud, quod est prius generatione, & tempore est imperfectius : quia in vno eodemque potentia præcedit actum, & imperfectio perfectionem. Sed illud, quod est prius simpliciter, & secundum naturæ ordinem, est perfectius : sic enim actus est prior potentia. Et hoc modo intellectus est prior voluntate, sicut motiuum mobili, & actiuum passiuo ; bonum enim intellectum mouet voluntatem.*

§. II.

Satisfit argumentis opinionis aduersæ.

31 CONtrariam sententiam defendunt B. Albert. *in* 1. *d.* 1. *qu.* 14. Alensis 3. *p. qu.* 80. *memb.* 1. D. Bonauent. *in* 4. *d.* 49. vbi etiam Scotus, Gabr. Maior, Argentinas, & Ægidius, quos sequuntur communiter Scotistæ. Probatur primo ab auctoritate : quoniam Angelorum chori sunt dispositi iuxta eorum perfectionem, vt tradit Dionys. *cap.* 7. cælestis Hierarch. sed in supremo collocantur Seraphin, ita dicti ab ardore charitatis ; in secundo autem constituuntur Cherubim ita vocati à plenitudine scientiæ : ergo actus charitatis excedit quemcumque actum scientiæ : & consequenter voluntas erit perfectior intellectu ; cum ea sit perfectior potentia, quæ elicit nobiliorem actum.

Respondetur ordinem Angelorum fuisse dispositum in via : vnde & nomina eisdem fuerunt imposita ob excellentiam actuum, quos tunc elicuerunt, vt constat *ex illo Ezech.* 25. *Tu Cherub. extensus, & protegens*, & postea : *Peccasti, & deieci te de monte Dei.* Et quia Seraphin dilexerunt Deum excellentissimo amore charitatis ; ideo & nomen ardentium

tium meruerunt, & supremum ordinem obtinuerunt in patria. In qua sicut Cherubin & alios Angelos excedunt in amore; ita etiam excedunt in cognitione, seu intensione visionis beatificæ, quæ est præmium amoris viæ. Ex iis autem solum habetur, quod in via perfectior sit actus charitatis, quam quilibet actus intellectus, vt infra magis declarabimus; minime autem infertur, quod supremus actus voluntatis excedat supremum actum intellectus: nam facta comparatione inter amorem, & cognitionem, quæ Seraphin habent in patria, perfectior est cognitio beatifica, quam amor beatificus. Vnde potius infertur intellectum esse perfectiorem voluntate.

32 Arguitur secundo: quia illa potentia est nobilior, quæ habet perfectius obiectum: sed obiectum voluntatis est perfectius, quam obiectum intellectus; siquidem obiectum voluntatis est bonum sub ratione boni, & prima perfectio cuiuslibet rei est bonitas ipsius: ergo voluntas est perfectior potentia, quam intellectus. ¶ Respondetur negando minorem intellectam vt debet intelligi, de obiecto in esse obiecti: nam licet obiectum voluntatis sit perfectius in esse rei, quam obiectum intellectus, quod præcisè inducta probatio conuincit: obiectum tamen intellectus est perfectius in ratione obiecti; cum sit abstractius, & fundet altiorem attingibilitatem, petatque respici à subtiliori potentia, vt supra ostendimus.

33 Arguitur tertio: quoniam illud est melius, cuius oppositum est peius, vt dicitur 7. *Ethic.* sed oppositum amoris charitatis, nempe odium Dei est peius, quam oppositum visionis videlicet error circa Deum: ergo amor charitatis est melior visione beatifica: ergo nobilissimus actus voluntatis excedit nobilissimum actum intellectus, atque ideo voluntas erit perfectior intellectu. ¶ Confirmatur: quia id, quod reddit hominem bonum, & perfectum est melius eo, quod non habet vim ad præstandum hunc effectum: sed voluntas mediis suis actibus reddit hominem bonum, & perfectum; non vero intellectus: nam homo non dicitur bonus, quia plura sciat; sed quia exercet opera virtutum, quæ præcipuè à libertate voluntatis dependent: qua etiam ratione appetitus sensitiuus est perfectior, quam imaginatio; cum illa sit capax virtutis, non vero ista: ergo voluntas est perfectior simpliciter, quam intellectus.

Ad argumentum respondetur maiorem intellectam, vt debet intelligi de oppositis contrariè solum verificari in iis, quæ secundum suam propriam, & specificam rationem habent contrarium. In quo sensu neganda est minor, vel potius suppositum minoris: quia odium Dei contrariatur amori charitatis secundum suam propriam, & specificam rationem consideratam: error autem circa Deum non contrariatur visioni claræ Dei secundum suam propriam & specificam

cam rationem acceptæ; sed solum contrariatur cognitioni Dei, vt importat rationem communem cognitioni claræ, & obscuræ. Vnde solum infertur amorem charitatis esse perfectiorem cognitione Dei, prout est quid commune ad visionem Dei, & ad cognitionem obscuram, quæ est ratio potentialis, & imperfecta, minime vero, quod sit perfectior visione Dei secundum suam propriam, & specificam rationem considerata. Et hoc posterius erat necessarium, vt legitimè inferretur perfectissimum actum voluntaris excedere actum perfectissimum intellectus.

Secundo respondetur odium Dei posse bifariam accipi: primo vt dicit carentiam amoris Dei: secundo vt dicit rationem peccati. Et quidem priori modo acceptum non est peius errore, vt iste dicit carentiam visionis Dei: nam priuatio visionis habet rationem pœnæ damni in damnatis, ac proinde maximi mali. Posteriori autem modo consideratum est peius errore, aut carentia visionis: quia hæc secundum se accepta non habet rationem peccati. Sed hoc non est speciale in odio Dei, sed etiam in quolibet peccato etiam veniali, & contrario cuiuis virtuti satis infimæ: nam quoduis peccatum est moraliter peius eo, quod peccatum non est. Vnde solum sequitur, quod odium sit peius, quam error in esse morali; non vero in esse physico. Hinc tamen non colligitur voluntatem esse perfectiorem simpliciter intellectu: quia potentiæ non specificantur à suis actibus moraliter consideratis, sed physicè acceptis. ¶ Per quod etiam soluitur confirmatio: nam solum conuincit actus voluntatis moraliter esse perfectiores actibus intellectus; minime vero, quod voluntas physice accepta sit perfectior intellectu. Idemque proportionabiliter dicendum est de sensu, & appetitu inter se collatis.

34. Arguitur quarto: quia illa potentia, per quam efficimur formaliter liberi, & domini nostrarum actionum, cuiquè aliæ potentiæ subduntur tanquam mouenti, & imperanti executionem suarum operationum, nequit non cæteras potentias in perfectione anteire; atqui prædicta minima competunt voluntati: ergo voluntas est perfectior intellectu, & quibuslibet aliis animæ potentiis.

Respondetur negando maiorem: tum quia licet per voluntatem simus formaliter liberi; nihilominus totum hoc prouenit ab intellectu tanquam à radice. Tum etiam quia non semper liberum est perfectius, quam necessarium; sed potest necessarium excedere liberum in perfectione: vnde amor patriæ est perfectior amore viæ, licet ille sit necessarius, & iste liber. Tum præterea, quia licet voluntas applicet, ac moueat intellectum quoad exercitium; tamen intellectus altiori modo mouet voluntatem, nempe quoad specificationem: & ideo falsum est, quod voluntas imperet: imperare enim, sicut & dirigere, est rationis; ad

volun-

voluntatem vero solum spectat applicare, seu efficere ex imperio intellectus, & cum subordinatione ad ipsum. Tum denique, & præcipue, quia nullus est actus voluntatis, ad quem non moueat, & applicet intellectus; è conuerso autem plures sunt actus intellectus, qui non fiunt ex applicatione voluntatis, nempe omnes actus necessarij inter quos computatur nobilissimus actus intellectus, scilicet visio beata: quod satis declarat voluntatem essentialiter subdi, ac subordinari intellectui; non vero intellectum voluntati. Ex eo autem, quod voluntas moueat, & applicet intellectum ad aliquos actus; solum sequitur esse perfectiorem illo secundum quid, seu cum addito, videlicet, si considerentur illa vt mouens, & ille vt motus: minime vero, quod simpliciter, seu attentis omnibus ipsum excedat: sicut color quatenus mouet potentiam visiuam imprimendo illi speciem, exprimit nonnullum excessum perfectionis supra potentiam visiuam; cui tamen absolutè cedit in perfectione, vt ex se liquet.

35 Arguitur quinto: quoniam nobilissimi actus voluntatis, & intellectus debent versari circa ea, quæ sunt supra nos; cum hæc habeant rationem obiecti excellentissimi: sed licet cognitio eorum, quæ sunt infra nos, sit perfectior, quam amor ipsorum; nihilominus amor eorum, quæ sunt supra nos, est perfectior, quam eorum notitia, vt docet D. Thom. 1. p. q. 82. art. 3. vbi hac ratione docet charitatē esse excellentiorem habitibus intellectus iuxta illud Apost. 1. *ad Corinth.* 13. *Maior autem horum est charitas*: ergo perfectissimus actus voluntatis excedit perfectissimum actum intellectus, & eodem excessu voluntas superat intellectum.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: nam si intelligatur de amore comparato ad notitiam eorum, quæ sunt supra nos, quando prædicta notitia habetur per speciem creatam, & imperfecte, concedenda est: neganda vero si intelligatur de notitia, quæ non habetur per speciem creatam, sed attingit Deum in se ipso, & per se ipsum. Et ratio est: quoniam ideo probat D. Th. amorem eorum, quæ sunt supra nos esse perfectiorem illorum cognitione; quia intellectus attingit obiectum, provt est in ipso intellectu; voluntas vero terminatur ad res, provt sunt in seipsis: res autem superiores nobilius esse habent in se, quam in nostro intellectu: & ideo amor rerum superiorum est perfectior, quam eorum cognitio. Porrò hæc ratio solum procedit, quando res superior trahitur ad intellectum per speciem creatam, & ordinis inferioris, secus verò quando vnitur intellectui per semetipsam: tunc enim terminat cognitionem per id, quod habet in se; ac proinde modus, quem habet in intellectu, non est inferior eo, quem habet in se. Vnde cum visio beatifica attingat Deum in se ipso, & absque interuentu speciei intelligibilis creatæ sequitur non esse imperfectiorem amore Dei: sed potius

cum attingat Deum ſub altiori ratione obiectiua, debet eſſe perfectior amore. Quamobrem nequit ex prædicto, argumento colligi, quod voluntas ſit perfectior intellectu: quia nobilitas potentiæ non regulatur per actum attingentem rem ſuperiorem vtcumque; ſed per illum, qui attingit rem ſuperiorem provt eſt in ſe, quamvis autem amor charitatis excedat cognitionem Dei ænigmaticam, ſeu habitam per ſpecies creaturarum; non vero cognitionem claram Dei in ſe ipſo.

Replicabis: quoniam Deus non habet ita perfectum modum eſſendi in intellectu beati, ac habet in ſemetipſo; ſiquidem in ſe habet modum eſſendi infinitum; intellectui autem vnitur modo finito: ergo amor patriæ, qui terminatur ad Deum, provt eſt in ſe, eſt perfectior viſione beatifica. ¶ Reſpondetur omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: nam parem in hoc conditionem habent amor patriæ, & viſio beatifica: ſicut enim Deus, qui cognoſcitur, habet in ſe eſſe infinitum, vnitur tamen intellectui, & cognoſcitur finite: ita etiam Deus, qui amatur, eſt in ſe infinitus; & tamen amatur finite, & vnitur finitè voluntati in ratione obiecti.

36 Vltimo arguitur: quia ſi intellectus eſſet nobilior voluntate, omnis, & quilibet actus intellectus eſſet perfectior omni, & quolibet actu voluntatis: conſequens eſt falſum, vt conſtat ex præced. argumento: ergo &c. Sequela oſtenditur: nam potentia perfectior debet etiam habere actum adæquatum magis perfectum, cum ab eo ſpecificetur: ergo habet etiam actus inadæquatos perfectiores; hi quippe continentur ſub actu adæquato, & ſpecificant, ſaltem inadæquate potentiam: ſi ergo intellectus eſſet perfectior voluntate, quilibet actus intellectus quemlibet voluntatis actum excederet. ¶ Confirmatur: nam inter rationem genericam, & differentialem debet eſſe proportio: ſed iuxta noſtram ſententiam actus intellectus genericè acceptus excedit actum voluntatis genericè conſideratum: ergo quælibet differentia actus intellectus debet excedere quancumque differentiam actus voluntatis; ac proinde omnis, & quilibet actus intellectus erit perfectior omni, & quolibet actu voluntatis.

Reſpondetur argumento actus intellectus poſſe dupliciter conſiderari: vno modo provt ſunt præcisè intellectus actus, quatenus ſcilicet participant conceptum eſſentialem intellectionis, & concurrunt ſaltem inadæquate ad ſpecificandum intellectum. Altero modo ſumuntur materialiter, & ſecundum ſuas particulares rationes, quatenus v. g. vnus eſt actus fidei, & alter opinionis, & ſic de aliis: quo pacto nec inadæquatè ſpecificant intellectum. Nam licet actus fidei intret actum adæquate ſpecificatiuum; tamen non intrat provt aſſenſus fidei, ſed provt intellectio partialis. Si ergo actus intellectus priori modo conſideratus compare-

tur

tur ad actum voluntatis eodem modo acceptum; omnis, & quilibet actus intellectus erit perfectior omni, & quolibet actu voluntatis: & in hoc sensu concedimus sequelam, quam inducta probatio satis euincit. Si vero considerentur, & comparentur posteriori modo; negamus sequelam: quam illa probatio minime suadet; cum prædicto modo non habeant constituere actum adæquatum, nec specificare potentiam. Ex quibus fit, quod actus v. g. fidei sit perfectior actu charitatis; si considerentur, quatenus ille est formaliter actus intellectus, & iste voluntatis: secus vero, si secundum suas proprias rationes adæquatè considerentur.

Per quod patet ad confirmationem: nam licet inter genus, & differentiam requiratur proportio, hæc tamen non consistit in eo quod si vnum genus excedit aliud genus; quælibet differentia materialis illius debeat excedere quancumque differentiam istius. Si enim comparemus hominem, & cælum quoad genera, homo non est pefectior cœlo; cùm hoc dicat conceptum corporis incorruptibilis, illud vero corruptibilis: & nihilominus, si comparentur quoad rationes differentiales; cœlum cedit homini in perfectione, vt ex se liquet. Prædicta ergo proportio consistit in hoc, quod genus perfectius habet differentiam adæquatam perfectiorem; quamvis aliqua illius differentia materialis, & inadæquata sit minus perfecta, quam aliqua differentia, quæ sub genere non ita perfecto continetur. Vnde licet actus intellectus tam ex parte generis, quam ex parte differentiæ adæquate, & formaliter acceptæ excedat actum voluntatis; non est inconueniens aliquem actum intellectus secundum differentiam inadæquatam, & materialiter consideratam esse minus perfectam, quam actum voluntatis. Et ratio omnium est: quia ad vnionem, vel potius identitatem inter rationem generícam, & differentialem non requiritur æqualitas, sed proportio: & hæc reperiri potest inter extrema satis inæqualia, & dissimilia, vtputa inter materiam, & formam: atque ideo bene poterit dari inter genus magis perfectum, & differentiam minus perfectam, vel è conuerso.

Et hæc de ista difficultate, & pro toto Philosophiæ cursu dicta sufficiant. Quæ vtinam sint in gloriam sanctissimæ Trinitatis, B. V. Mariæ de Monte Carmeli, & omnium Sanctorum. Cedant etiam in glorioſam tui recordationem Doctor sanctissime Thoma, cuius mentem tenere fideliter studuimus, & cuius honor fuit totius nostri operis cynosura. *Haber vir diuine, & sacrosancte* (verbis te alloquor Nazianzeni orat. 18.) *meorum sermonum primitias. Habes tum doctrinæ præmium, tum certaminis: non oliuam Olympicam, nec poma, Delphicas nugas, aut Isthmicam pinum, aut Nemæum apium, quibus miseri, adolescentes olim ornabantur; verum orationem, qua nihil est, quod Verbi cultoribus magis conueniat. Quæ si certaminum tuorum, doctrinæque meri-*

tum assecuta est, Verbo id acceptum fero. At tu nos è cœlo benignus aspicias, sermonesque nostros, & vitam gubernes, Sanctæ Trinitatis, cui adsistis, pleniorem, clarioremque splendorem nobis concilians. Quam adoramus, quam celebramus, cui munere nostro fungimur, in Filio Patrem, in Spiritu sancto Filium adorantes. Cui vtinam etiam post confectum huius vitæ curriculum puri, & ab omni offendiculo liberi astemus, eaque perfectè fruamur in ipso Christo Domino nostro, cui omnis gloria, honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

RERVM NOTABILIVM:

In quo littera D. disputationem, & littera N. numerum marginalem; vltimus verò numerus paginam designat.

A

ACCIDENS.

ACcidens spirituale an possit recipi in subiecto corporeo? d. 2. num. 27. pag. 26

Differentia inter illud, & animam rationalem, ibid.

Vnde recipiat spiritualitatem, quando est in subiecto corporeo, d. 4. n. 31. 60

An accidens in esse intentionali dependeat à substantia, d. 8. n. 5. 116

Quænam sint accidentia conseruatiua sensus, n. 19. 129

Actio.

Actio immanens an debeat recipi in principio elicitiuo, d. 4. n. 5. 43

Quid ad eam requiratur, ibid.

Non omnis vera actio pertinet ad prædicamentum actionis, d. 20 n. 3. 334

Actus.

Actus primus an sit perfectior secundo, d. 2. num. 2. & sequentibus. 10

An actus inadæquati valeant respicere fines specie diuersos, d. 7. n. 14. 105

An subordinati exigant distinctas poten

potentias, n. 15. 106

Aër.

Aër est vnicum medium soni secundum eius esse physicum, d. 20. n. 13. 331

Agens.

Agens: Intellectus agens, Vide *Intellectus.*

Amor.

Amor non est perfectior, quàm cognitio, d. 21. numer. 21. & seq.

Angelus.

Angelus quare non possit habere rationem animæ, d. 3. numero 1. 29

Eius vita non pertinet ad hunc tractatum, d. 4. n. 13. 48

Anima.

Anima: eius prima definitio, d. 1. n. 1. 3

An valeat ab operatione cessare, n. 5. 6

Quomodo per hoc ab alijs secernatur, n. 6. ibid.

Intenditur per se primo à natura, vt sit, n. 5. ibid.

Recte diuiditur in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, d. 4. n. 1. 38

Eius multiplicitas, & ex quo deducatur. ibid.

Eleuatio eius in operando. ibid.

Diuersitas inter vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. ibid.

Eleuatio animæ loco-motiuæ, n. 3. 40

Quomodo sit in diuersis partibus, d. 5. n. 20. 75

Vnde proueniat habere diuersas operationes, n. 27. 78

An sit indiuisibilis, d. 4. num. 15. 49

An dependeat ab omnibus partibus, quas informat, n. 34. 62

Quomodo informet partes extra totum existentes, d. 5. num. 12. 70.

Vide plura verbo *Definitio.*

Anima rationalis.

Anima rationalis comprehenditur sub definitionibus Aristotelis, d. 2. n. 24. 23

Eius status, n. 26. 25

Eorum connaturalitas. ibid.

Vbi an in aliquo sit violenter. Potest esse radix potentiæ corporeæ, n. 28. 27

Continet eminenter formaliter vegetatiuam, & sensitiuam, d. 4. n. 15. Vsque ad 17. & deinceps. 49 50

Etiam continet virtualiter sensitiuum animalium, & vegetatiuum plantarum, num. 18. 51

Quomodo sit corporea, numer. 20. 52

Est purè spiritualis, d. 15. n. 1. 246

Quomodo multiplicetur ad multiplicationem corporis, num. 6. 250

Cur in hoc statu non cognoscatur per

per se ipsam, n. 9. 252
Est omnino incorruptibilis, n. 10. 253
Est forma per se subsistens, n. 13. 255

Appetitus.

Appetitus innatus an consequatur peculiarem gradum essendi, d. 4. n. 12. 47
Stat conuenientia in modo appetendi, & non in modo essendi, ibid.
Semper consequitur aliquam formam, d. 6. n. 7. 88
Constituit speciale genus potentiæ, n. 10. 90
Appetitus cognoscentium, d. 21. n. 1. 356
Diuiditur in sensitiuum, & rationalem, n. 2. ibid.
Sensitiuus diuiditur in concupiscibilem, & irascibilem, num. 3. 357
Isti realiter ad inuicem distinguuntur, n. 4. 358
Appetitus rationalis Vide *Voluntas.*

Aqua.

Aqua potest recipere species soni, d. 10. n. 16 171
An possit recipere ipsum sonum, Vide *Sonus.*

Auditus.

Auditus in quo organo recipiatur, d. 10. n. 35. Vide *Sonus.* 383

B

Beati.

BEati non producunt verbum, d. 20. n. 22. 341
Beatitudo Vide *Voluntas.*

C

Calor.

CAlor est virtus instrumentaria deseruiens nutritiuæ, d. 7. n. 23. 111

Capillus.

Capillus est vera pars hominis, d. 5. n. 14. 71
Eius alimentum, n. 17. 73
Vbi an cadaueris capilli verè augeantur.
Anima est in illis secundum gradum specificum sentiendi, & ratiocinandi n. 28. 80
Quare non sentiant. ibid.

Color.

Color definitur, d. 9. numer. 13. 140. & 144
Vt videatur, non petit lucem ex parte sui, sed ex parte medij, n. 26. 148
Est per se visibilis. ibid.

Compositum.

Duo composita substantialia nequeunt vnum per se constituere

tuere, d. 5. n. 4. 65
Compositum operatur vt *Quod*, d. 6. n. 13. 92
Aliter tamen per potentias corporeas, ac per spirituales, num. 15. 93.

Concupiscibilis.

Concupiscibilis. Vide *Irascibilis.*

Continentia.

Continentia alia formalis, alia virtualis, d. 4. n. 14. 48
Quomodo anima rationalis contineat vegetatiuam, & sensitiuam, d. 4. qu. 3. per totam. 48

Corpus.

Corpus quotuplex sit, d. 2. n. 7. 14
Pro quo supponat in definitione animæ, n. 12. 16
An petat necessario partes, d. 4. n. 31. 60

D

Definitio.

Definitio prima animæ est essentialis, d. 2. n. 21. 21
An ista possit dari per aliquid posterius, n. 22. ibid.
An idem per se ipsum valeat definiri, n. 17. 19
Secunda animæ definitio, d. 3. à n. 1. 29
Illius particulæ quomodo animæ conueniant, n. 6. 31
Est descriptiua, n. 7. 32
Est demonstratiua primæ, n. 14. 36
Definitio coloris, d. 9. num. 13. & 20. 211 & 215
Definitio soni, d. 10. n. 1. 160
Definitio odoris, d. 11. num. 1. 187
Definitio saporis, d. 12. numer 1. 198

Dentes.

Dentes, qua forma gaudeant, d. 5. n. 14. 71

Dictio.

Dictio. Vide *Intellectio.*

Diuisio.

Diuisio quid petat, d. 3. n. 6. 31
Diuisio animæ in vegetatiuam sensitiuam, & rationalem, an sit vniuoca, d. 4. n. 2. 40
An sit in illas vt membra infima, n. 3. ibid.
Diuisibilitas an conueniat omni animæ, n. 26 56
Diuisio quam potentiam respiciat, n. 27. 57

E

Ens.

Ens, esse: Axioma *esse est propter operari* explicatur, d. 3. n. 8. 32
Esse principium operandi non potest esse de essentia creaturæ, n. 9. 33

Esse.

Esse virtuale vbi fundetur d. 4. q. 3. n. 16. 49
Esse corporeum, & spirituale qua gaudent oppositione, num. 20. 52
Modus operandi quomodo sequatur modum essendi, n. 32. 61
Quodnam ens sit obiectum specificatiuum, & proportionatum nostri intellectus. Vide *Intellectus.*

Echon.

Echon quomodo generetur, d. 10 n. 28. 178

Æstimatiua.

Æstimatiua est quidam sensus internus, d. 14. n. 15. 233
Percipit rationes insensatas, n. 16. 234
Distinguitur realiter à phantasia, n. 17. 235
Quomodo determinetur ad cognoscendas rationes insensatas, n. 20. 237
Differt à memoria, n. 27. 242

F

Forma.

FOrma per se subsistens an valeat esse actus corporis, d. 2. n. 25. 24
Quomodo petat habere denominationem, quam tribuit, d. 4. n. 16. 49
Forma corporea non petit necessariò partes, n. 31. 69
Potest informare materiam, ex qua non educitur, n. 34. 62
Forma per se subsistens est incorruptibilis, d. 15. n. 13. 255

G

Genera potentiarum.

GEnera potentiarum sunt quinque, d. 6. n. 7. 88
A quo talis diuersitas sumatur, n. 8. 89

Generatio.

Generatio an sit operatio connaturalior viuenti, d. 7. n. 7. 100

Gradus.

Gradus vitæ. Vide *Modi viuendi.*

Gustus.

Gustus quod habeat medium, d. 12. n. 9. 201
Et quod organum, n. 13. 203

H

Humores.

HVmores, quot reperiantur in homine, d. 5. n. 1. 64
An transmutentur substantialiter, n. 7. 67
Eorum capacitas ad eandem formam vlteritus participandam. ib.

I

Intellectus.

INtellectus quare non possit recipi in corpore, d. 2. n. 28. 27

Quid habeat pro obiecto adæquato extensiuo, d 16. n. 1. 261
Quid pro obiecto proportionato huius status, n. 9. 267
Quid in statu separationis, n. 12. 269
Secundum se consideratus præscindit ab obiecto proportionato, n. 14. 270
Indiget speciebus, d. 17. n. 1. 274
Pro hoc statu est pura potentia in ordine intelligibili, n. 2. 275
Vnitur per identitatem cum specie, & obiecto in ordine intelligibili, n. 21. 289
Intellectus possibilis non distinguitur realiter à memoria partis intellectiuæ, d. 18. n. 6. 308
Intellectus practicus, & speculatiuus non distinguuntur realiter, n. 8. 309
Idem intellectus est pars superior, & inferior, n. 10. 310
Datur intellectus agens, d. 19. n. 1. 311
Distinguitur realiter à possibili, n. 3. 313
Quis eorum sit perfectior, n. 7. 316
Quomodo intellectus primo cognoscat singularia, d. 20. n. 30. 347
Dependet pro hoc statu ab operatione phantasiæ, d. 20. n. 33. 351.
Est radix libertatis, d. 21. n. 10. 362
Est perfectior simpliciter, quàm voluntas, n. 27.

Intellectio.

Intellectio non est connaturalior hominis operatio, licet perfectior, d. 7. n. 11. 90
Est vera actio, d. 20. n. 1. 322
Non pertinet ad prædicamentum actionis, n. 3. 324
Constituitur in genere qualitatis, n. 4. 325
Non est essentialiter productio termini à se distincti, n. 7. & 8. 326. 327.
Distinguitur realiter à verbo, n. 9 328
Intellectio & dictio non sunt actiones ex æquo distinctæ, n. 18. 337
Intellectio & verbum se præcedunt in diuersis generibus, n. 19. 338
Intellectio, seu visio beatifica non producit verbum, n. 22. 341
Omnis alia intellectio creata verbum producit, n. 24. & 28. 342 & 345

Irascibilis.

Irascibilis est potentia realiter distincta à concupiscibili, d. 21. n. 4. 358
Eius obiectum, n. 6. 359
Est perfectior, quàm concupiscibilis, n. 7. 360

L

Lux.

LVx non est corpus, d. 9. n. 1. 133
Nec forma substantialis, n. 2. ib.
Nec qualitas intentionalis, n. 3. 134
Est qualitas naturalis, n. 4. ibid.
Distinguitur à colore n. 6. 135
Non habet contrarium, n. 10. 137
Non requiritur ex parte obiecti, vt color videatur, n. 26. 148

M

Medium.

MEdium visus, & coloris, d. 9. n. 20. 144
Medium soni, d. 10. n. 7. 164 13. 168 & 16. 171
Medium odoris d. 11. n. 7. 191
Medium saporis, d. 12. n. 9. 201
Medium qualitatis tangibilis, d. 13. n. 1. 204 & 13. 211.

Memoria.

Memoria est quidam sensus internus, d. 14. n. 24. 241
Eius munus est attingere rationes insensatas absentes, & sensatas vt prius cognitas, n. 25. ibid. & 26. 242
Distinguitur realiter à phantasia, n. 27. ibid.
An differat à reminiscentia, n. 30. 244
In parte intellectiua datur memoria quoad aliqua munera, d. 18. n. 1. 305 & 3. 306
Non differt ab intellectu possibili, n. 6. 308

Modi viuendi.

Modi viuendi quot sunt, d. 4. n. 7. 44
Non sumitur ex eodem principio multiplicitas modorum viuendi, & multiplicitas vitæ, n. 9. 46

Motus.

Motus hominis jugulati non est vitalis, d. 4. n. 28. 57
Vnde canfetur. ibid.
Est sensibile commune d. 8. n. 7. 118

N

Natura.

NAtura quomodo se habeat ad essentiam, d. 3. n. 12. 34

Neruus.

Neruus opticus, an possit esse obiectum potentiæ visiuæ, d. 9. n. 35. 155
Nerui deseruientes auditui, d 10. n. 36.
Deseruientes odoratui, d. 11. n. 16 184
Neruus deseruiens gustui, d. 12. n 13. 203
Deseruiens tactui, d. 13. n. 12. 216

O

Obiectum.

OBiectum quot modis sumatur, d. 1. n. 1. 3
Obiectum formale, & materiale huius tractatus, ib. & deinceps ib.
Diuersitas formalis inter obiecta causat realem distinctionem potentiarum, d. 6. n. 2. 84
Obiectum habitus non est pars obiectiua obiecti potentiæ, n. 5. 87
Obiecto specificatiuo vnicè conuenit immittere speciem, secus vero secundario, d. 8. n. 8. 109
Obiectum potentiæ duplex, aliud extensiuum, aliud intensiuum, n. 20. 131
Obiectum extensiuum nostri intellectus, d. 16. n. 1. 261
An complectatur ens rationis, n. 3. 262
Obiectum proportionatum illius pro hoc statu, n. 9. 267

INDEX

Sonus.

Sonus definitur, d. 10. n. 1. 160
161
Non est motus, n. 2. 164
Eius subiectum, n. 7. 168
Secundum suum esse reale recipitur in solo aëre, n. 13.
Secundum esse intentionale potest recipi in aqua, & ijs corporibus, n. 16. 171
Multiplicatur circiter in medio n. 19. 173
Non petit audiri physice vsque ad, n. 20. ibid.
Ex qua parte emittat speciem, n. 174
Incipit instantaneè, n. 22. ib.
Sonus reflexus quomodo generetur, n. 28. 178

Species.

Species alia impressa, & alia expressa d. 17. in principio. 244
Species impressa requiritur ad cognitionem tam sensitiuam, quàm intellectiuam, n. 1. ibid.
Duæ species repræsentantes duo individua eiusdem rationis distinguuntur essentialiter, n. 10. 280
Species impressa repræsentat formaliter suum obiectum, n. 12. 281
Ad quid est per se primo instituta, ibid.
Species impressa non ponit in numero cum obiecto in generatione intentionali, n. 15. 284
Habet in isto ordine eandem naturam obiecti, n. 18. 286
Vnitur per identitatem cum potentia, n. 21. 289
Concurrit actiue ad cognitionem, n. 25. 293
Non concurrit principalius, quàm potentia, n. 27. 294
An debeat influere immediate, n. 31. 297

Species intelligibilis.

Species intelligibilis huius status, an repræsentet directè singularia, d. 17. n. 31. & seq. 299
Debet repræsentare primario obiectum proportionatum nostri intellectus, n. 33. ibid.

Species sensibilis.

Quò est immaterialior, eò puriorem animam postulat, d. 4. n. 1. 38
Debet esse eiusdem immaterialitatis cum potentia, d. 8. n. 13. 124
A quo illa immaterialitas proueniat, n. 14. 125
Non omnes ab eodem obiecto prouenientes sunt eiusdem immaterialitatis, n. 15. ibid.
Quomodo vehemens sensibile lædat sensum externum, n. 17. 128

Subiectum.

Subiectum quotuplex sit, d. 2. n. 15. 18
Notatu digna circa eius differentiam, n. 16. ibid.
Subiectum potentiæ corporeæ, d. 6. n. 13. 92
Subiectum potentiæ spiritualis. ib.
Subiectum visus, d. 9. n. 25. 147
Subiectum auditus, d. 10. n. 35. 155
Subiectum odoratus d. 11. n. 16. 195
Subiectum gustus, d. 12. n. 13. 205
Subiectum tactus, d. 13. n. 22. 216
Subiecta sensuum internorum, d. 14. n. 14. 232 & 18. 235

RERVM NOTABILIVM.

T

Tactus.

TActus an percipiat qualitates inhærentes organo illius, d. 13. n. 1. 204 & 3. 205
Solum percipit excellentias obiecti, n. 7. 207
Non immutatur intentionaliter, nisi prius immutetur naturaliter ab obiecto, n. 14. 212
Quod medium habeat, n. 20. 215
& quod organum, n. 22. 216

V

Verbum Diuinum.

VErbum Diuinum assumpsit immediate sanguinem, d. 5. n. 3 85
Explicatur axioma *Quod verbum assumpsit, numquam dimisit*, n. 18. 95
Verbum seu species expressa repræsentat formaliter obiectum primarium, d. 17. n. 13. 282
Distinguitur realiter ab intellectione, d. 20. n. 9. 328
Est eius obiectum *Quod* n. 12. 330
Non producitur per visionem beatam, n. 22. 341
Producitur in omni alia intellectione, n. 24. 342

Violentum.

Violentum quid, d. 2. n. 26. 25

Visus.

Visus non petit lucem ex parte obiecti, sed ex parte medij, d. 9. n. 26. 148
In quo subiecto recipiatur, n. 35. 255

Vita.

Vita quotuplex, d. 2. n. 18. 19
Vita vegetatiua an sit formaliter in Deo, d. 4. n. 5. 43
An nasus revnitus verè habeat vitam, n. 28. 57

Vngues.

Vngues sunt vera pars animalis, d. 5. n. 14. 71

Voluntas.

Voluntas est appetitus rationalis, d. 21. n. 14 364
Est libera simpliciter, n. 15.
An amet necessario beatitudinem n. 18 & 21. 365
Quos actus principaliores habeat, n. 23. 369
Est minus perfecta, quàm intellectus, d. 21. n. 27. 37

LAVS DEO.